This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Princeton University Library
32101 063698011

ANNEX
2

Digitized by Google

.784
.11
V.4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

JOBUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXII.

Digitized by Google

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

VOLUMEN QUARTUM,

SCHOLIA IN JOBUM

CONTINENS.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

1.

Jobi liber historiam contineat an fabulam?

Jobus (אִיּוֹב i. e. *infestatus* aerumnis, miseriis, ab אָיַב *odisse*, *infensum esse* alicui, s., ut alii volunt, *qui se ad Deum convertit*, resipiscens, ab arab. אוב *reversus est*) extiteritne unquam, sintque vere gesta, quae de viri pietate, calamitatibus, certaminibus, constantia, et fatis ultimis hoc in libro commemorata legimus, an ficta tantum sub imagine spectatae virtutis exemplar hic intueamur, varie multumque est disceptatum. Etenim fuere tum Judaei, tum Christiani, qui Jobum mortalibus unquam interfuisse plane negarent, atque ita meram poetae fictionem hoc libro contineri dicerent. Contra alii omnia et singula, quae volumine hoc enarrata sunt, vere gesta, atque sermones Jobi ejusque amicorum, prout hic consignati leguntur, ita ab illis vere prolatos esse ajunt. Quarum sententiarum neutra talis nobis videtur, cui omnes in partes subscribere queamus. Atque eos quidem quod attinet, qui nihil quicquam poetae fictioni tribuendum esse volunt, multa et gravia sunt, quae his adversantur. Tacita relinquo, quae in libri exordio leguntur de Satana in Dei conspectum sese una cum Dei filiis sistente, instar ministri aut apparitoris coram rege adstantis et ad ejus imperia exsequenda accincti, item de familiaribus ultro citroque Deum inter et Satanam habitis colloquiis; haec, inquam, tacita mihi sunt relinquenda, quum ipsi illi, qui cetera omnia hoc libro consignata vere gesta esse autumant, haec tamen tropice dicta esse non dubitent. Verum sunt

Digitized by Google

79388-cop 2

alia plura, quae eo modo, quo sunt narrata, vere accidisse vix est credibile. Primo enim tot numeri rotundi, atque etiam duplicati in vitae Jobi enarratione concurrunt, quod casu consistere non est opinabile. Decem ei liberi perierunt, filii *septem* (in quibus sacrum Orientalium numerum est agnoscere), *tres* filiae: ad horum modum *septem* ovium millia, tres camelorum; mille praeterea boves, et perfecte dimidiato numero asinae quingentae. Pro his redduntur deinde 14 ovium, 6 camelorum, 2 boum millia, ac mille asinae, exacte duplicatis numeris: liberi totidem quot habuerat, 7 filii, 3 filiae, hosque ei parit una ex malis residua uxor, non certe juvencula, sed decem jam antea liberorum, et vere adultorum, mater. Annorum, quos post cladem felices egit Jobus, eadem ratio: duplicati sunt ex numero septuagenario. Haec omnia artificem arguunt, historiae conditorem, qui rotundos arripere numeros solet. Tum Jobi illa amicorumque colloquia, quae longe maximam totius operis partem implent, vere habita et scripto fideliter mandata quis sibi persuadeat? Num tibi credibile fiat, miserum hominem, moerore confectum, ac morbo superincumbente jam absumptum et semineccm, eum inquam, velut pro concione diceret, sermones adeo longos tanto apparatu, tanta copia, tot figurarum luminibus distinctos, quin et metri legibus adstrictos, cum familiaribus habuisse? eos similiter amico respondentes pari tenore perorasse? Haeccine sunt colloquia decumbentis amici lectulo assidentium? Laudat quidem A. Schultensius (in *Commentar.* ad 3, 1.), ut persuaderet, rem non adeo esse incredibilem, Arabum facultatem, carmina non meditata fundendi. Verum si etiam demus, valde gentem poesi studuisse, ejusque etiam extemporalitati; numquam tamen aliquis sibi persuadeat, id quod omnes ingenii humani vires superare praestantissimorum poetarum exempla docent, perfecta adeo carmina, quibus nihil sublimius nihilque lugubrius uterque orbis audivit, colloquendo effusa esse. Quod quum prudentiores superioris aetatis interpretes bene sensissent, non pauci fuere, qui Jobi et amicorum sermones poetice exornatos hoc libro nobis

Digitized by Google

proponi arbitrarentur; simpliciora, familiariora, quin et alicubi parciora alicubi fusiora fuisse adhibita verba, talia tamen nobis tradita, quae materiam sermonum, modumque et ordinem disserendi exprimant, secundum diversos affectus, quibus collocutores animati fuerunt. Neque id tamen dubiis omnibus diluendis sufficiat. Restat alia difficultas, eaque haud levis. Si quaecunque infanda perpessus est Jobus, ipsum Capite 30. commemorantem audias, ea ejusmodi sunt, quae longius multo temporis spatium postulant, quam a rerum Cap. 1. narratarum initio ad Triumvirorum adventum usque effluere potuit. Omni igitur veri specie caret, tales sermones fuisse prolatos a Jobo, tanquam revera jam expertus esset, quicquid flebilis hujus capitis querimonia complectitur. Repugnat manifesto historiae tenor, rerumque gestarum series. Quippe ea non exiguum temporis intervallum requirunt, quod scriptoris narratio intercessisse non patitur. Statim enim atque infandae calamitatis fama amicorum aures perculisset, propere accucurrisse credibile est, ut aegrotantem inviserent, et afflicto condolerent. Quod fecerunt quoque, per septem integros dies luctuoso silentio transmissos. Reliquum tempus continentibus sermonibus insumptum. Quis interea locus perditissimorum nebulonum, misera viri sanctissimi clade exsultantium, sannis, triumphis, contumeliis, quibus se undique, nec semel impetitum queritur? Haec igitur omnia, etsi talia sunt, quae omnem veri similitudinem excedant, iis tamen ego non eo adducor, ut in eorum sententiam transeundum putem, qui ullum unquam Jobum extitisse prorsus negant. Etenim nihil omnino vetat, imo antiquissimus id mos tulit, a vera persona vel historia poematis et moratae fabulae argumentum peti. Quod Homerus, Epopoeae parens, et tragici apud Graecos olim poetae factitarunt. Nulla igitur idonea causa est dubitandi, vixisse olim Jobum aliquem, singulari pietate, virtute atque animi constantia inter varia et maxima fortunarum discrimina conspicuum, cujus historia pro fundamento substernitur, unde libri scriptor materiam cepit poematis. Quae vero poetae ingenio, quae verae historiae

Digitized by Google

sint deputanda, nemo hodie nostrum unquam conficiat. Multa quidem et varia in hanc rem conjectari possunt, et vere sunt conjecta, quin plures fuere, qui separatis iis, quae ad fictiones et ornamenta carminis, ex ipsorum opinione, sint referenda, quae in facto posita essent, conarentur definire. Quorum tamen et invicem discrepantiae, et res ipsa abunde docet, vanam esse operam, rerum gestarum veritatem conjectando assequi velle. Quare his missis nos potius divini poematis argumentum, indolem, structuram intueamur.

2.

Libri Argumentum.

Quum Jobus sanctissime honestissimeque vitam plurium annorum spatio exegisset, permissus a Deo Satanas, ut virum tentaturus bonis omnibus exspoliaret, filiis orbaret, domum everteret, necessarios tandem omnes arceret. Datum illi pariter, ut saevo morbo et adversus omnes medicinas contumaci corpus illius depasceret, eo rigore, ut citra mortem nihil relingueret intentatum. Pius ille vir suorum omnium auxilio destitutus, ad extremas rei familiaris angustias redactus, perpetuo ulcere contabescens, substrato cinere decumbens, et fluentem toto corpore saniem testa radens, nunquam tamen tot ingruentibus malis tentatus animo dejectus est. His accedebant vilissimorum hominum insultus, uxoris nunquam non recte pieque facta viri exprobrantis molestiae; ecquid non? Nec his tamen movetur, ut indigni quicquam aut insulsi Deo attribueret; sed isthaec omnia aequo animo ac forti Deique reverentissimo sustinet.

Sparta jam longe lateque calamitatis illius fama tres ex ejus amicis ad luctuosum spectaculum accivit. Cum primum venissent, ulceribus scatentem nacti, vix notum vultum agnoscere valent. Septem integros dies in silentio utrinque perseveratur, haerentibus viris illis ad triste miserandumque spectaculum. Tandem primus Jobus longum silentium abrumpens, acerbas eas vicissitudines

Digitized by Google

alte indoluit. Tunc amici, quibus illud constitutum erat, neminem malo aliquo immeritum premi, viri pii gravissimas quoridas veluti animi humanum aliquid in tot malorum angustiis patientis habent, serioque hortantur, ut criminum poenitudine atque devoti animi subjectione inflicta a Deo mala portaret; sciret enim, neminem nisi pro meritis puniri. Jobus vitae a se actae probe conscius, et eo conscientiae suae testimonio securus, contendit, omnia, quibus premitur, mala, graviora esse, quam pati pro meritis debuisset, falli proinde amicos, si eas omnes, quas homines patiuntur, poenas pro meritis repensas crederent. Quae cum plenus fiduciae dissereret, nihil se timere dixit, si coram divino tribunali vocatus causam suam dicere cogeretur. Dicto illo exacerbati amicorum animi, Jobum velut impium et in Deum injuriosum durius reprehendunt. Paullatim per altercationem ad continuas infestasque orationes provecti, summa utrinque contentione disceptatum de magna illa, atque inter homines illius aetatis varie multumque agitata quaestione, *quam Deus rationem teneat in hujusce vitae miseriis atque prosperitatibus dispensandis?* Homines tantum impios, quos inter Jobus jure meritoque censeatur, inflictis malis plecti, affirmant amici. Contra vero Jobus pluribus contendit, saepe viros etiam bonos malorum experimento a Deo probari, se autem nulla gravissimorum adeo criminum conscientia reprehendi, ut tam acerbe secum a Deo agi mereretur. Hanc controversiam tandem finire aggreditur primus Elihu, utrosque, et Jobum et adversarios, redarguendo, prorsus autem dirimit denique ipse Deus, e nube tonante spectandum se praebens. Is Jobi imprudentiores illas provocationes et gloriationes castigat quidem, ita tamen, ut viri innocentiam simul, simul probatam pietatem promulget, praemiisque amplissimis coronet. Statim enim a morbo reconvalescens Jobus, tum et pristinam sanitatem, cum et duplo locupletiorem, quam olim potiebatur, gazam, tum et filios recepit, et, quod caput est, felici exitu vitam ille suam meritis plenam clausit. Haec poematis summa.

Digitized by Google

3.

Scriptoris consilium, operisque constitutio, oeconomia et indoles.

Ad consilium et finem, quo auctor talem scriptionem instituerit, quod attinet, nemini universam orationis seriem diligenter attendenti facile obscurum fore puto, hoc nostro propositum fuisse, ut doceret, falso hominibus fere persuasum esse, neminem nisi criminum suorum merito puniri, nihilque nobis mali contingere, nisi quod in nos antea criminibus provocaverimus; accidere enim interdum, ut homines etiam sincere probi malis plurimis iisque gravissimis, Dei permissu, opprimantur; quod quibus ex causis fiat quamquam nos lateat, nequaquam tamen, quantacunque demum mala infligantur homini, eum decere, de injuria cum conditore suo expostulare, aut poscere, ut factorum rationem nobis reddat; Deum enim infinitis partibus esse majorem, sapientiorem, justiorem etiam homine, quin consiliorum suorum rationem captum ingenii humani longe exsuperare; ergo quaecunque ille agit, homini suscipienda esse sine obmurmuratione, et, si quae specie tenus in administratione rerum aut sapientiae aut aequitatis legibus adversari videantur, ea tamen habenda nobis esse illis maxime consona. Summae autem temeritatis esse, propter inflicta nobis mala Deum iniquitatis insimulare, aut queri, nobis quae contigerint aerumnas immerentibus accidere, quum coram sanctissimi pariter atque justissimi numinis tribunali mortalium nemo, ne integerrimus quidem, a labe prorsus immunis appareat.

Jam perspice, quam exquisito judicio poeta historiam elegerit in argumentum poematis, ex qua scilicet tam utilis doctrina facile hauriri possit, totiusque operis optime tela pertexi. Proponitur exemplum viri boni, pietatis conspicuae, probataeque integritatis, e summo rerum prosperarum fastigio in profundissimas miserias subita ruina deturbati. Causae quid fuerit, cur hominum integerrimus iis tundatur plagis, quas vix in flagitio-

Digitized by Google

sissimos nebulones coelestis vindicta incutere solet, nec ipse Jobus, nec ejus amici, divinando assequi valent, quicquid laborent et aestuent. Illud tamen lectoribus statim in operis limine aperit Satanae cum Deo colloquium. Videlicet periculo faciundo explorandum fuit, num, quod Deus Satana negante contenderat, Jobi, fidissimi sui cultoris, probitatem nullis, ne dirissimis quidem vexationibus labefactari posse, eventus sit comprobaturus. Immotus invictusque Jobus in sua erga Deum pietate peratat, ergo Satanas causa cadit, Deus ex hac lite victor abit. Quod Jobus tragoediae sibi factae eum nodum, quem poeta vel ante quam in medias res nos egerit, solvit, ipse Jobus ignoraret, optimo sane judicio factum est. Causam enim et rationem tot tantorumque malorum in caput suum immissorum si rescivisset, exiguum jam ejus constantia locum, et paene nullum, fuisset habitura. Ne vero iniquitatis ac injuriae suspicio in Deum cadat, qui sui honoris vindicandi causa in hominem innocentem tot ac tanta mala immiserit, statim ut rupto diutino silentio in acerbissimos questus et ardentissimam natalium exsecrationem sese effudisset Jobi dolor, Eliphasus coeleste oraculum prodit, quod summam numinis perfectissimi sanctitatem vindicat, 4, 17—21.: *Numquid mortalis a Deo justus habeatur? Num a conditore suo homo purus judicetur? En! ille ne suis quidem famulis credit, et angelos suos temeritatis insimulat; nedum argillacearum domorum incolas, pulvere fundatarum, quae conterentur tanquam a tineis erosae. Intra unius diei spatium excinduntur, nemine advertente in aeternum pereunt; abripitur quicquid in iis eximii esset; moriuntur denique, necdum sapientiam edocti.* Cujus effati haec haud dubie est mens: neminem mortalem, quantumvis justum ac purum, justam habere causam de Deo conquerendi, ac si innocens adfligeretur, quum omnes coram sanctissimi numinis tribunali simus nocentes, et materiam fovemus castigationis. Hoc vero oraculo, quo nihil cogitari potest efficacius ad retundendas Jobi querelas, quin et expostulationes, majestati divinae injuriosas, abutitur Eliphasus ad sinistras, quas

Digitized by Google

de amico conceperat, cogitationes coleraudas et fortius urgendas. Videlicet haec ei opinio erat, vulgo illa aetate recepta, sincere et vere probum neutiquam fieri posse, ut funditus pereat; adeoque Jobum, cujus res conclamatas sibi persuadebat, quemque ex tam alta calamitatum voragine nunquam emersurum augurabatur, suspicabatur minime fuisse Dei ex animo cultorem, sed pietatis simulatorem tantummodo. Hanc fucatam et callidam pietatem nunc tandem, Eliphasi judicio, nudaverat Deus, tales Jobo plagas infligendo, quibus nonnisi sceleratissimi hominum a justissimo numine plecti soleant. Hoc ut Jobo quoque persuadeat, indeque ansam nanciscatur eum cohortandi, ut ad bonam frugem sese recipiat, oraculum illud divinitus sibi oblatum adhibet in hunc modum, ut ei proponat immensam Dei sanctitatem, oculosque illos sole lucidiores, qui intimos animi recessus pertentent, ibique saepe labes detegant, ubi hominum adspectui purissima omnia appareant. Sociorum ambo reliqui, Bildadus et Sopharus, Eliphasi vestigia prementes, acerbius in Jobum invehuntur, multoque fidentius simulatae pietatis eum accusant. Ad haec Jobus, nullius sibi flagitii conscius, post acerbissimos questus de suis miseriis, deque amicorum inhumanitate, Deum hominesque testatur, innocentem se opprimi, Deo imparem esse, et justissimam causam obtinere non posse, animosius paulo et contentiosius cum Deo agit, quem probos ac improbos aeque plagis confiecre affirmat. His responsionibus multo etiam magis irritati sunt sociorum animi, acrius et vehementius ad accusandum denuo se accingunt. Jobum impietatis, superbiae, impotentiae, furoris insimulant, justitiam Dei urgent, impios semper certa supplicia, certissimumque post brevem felicitatem excidium manere, quam sententiam sua patrumque suorum experientia comprobatam fidenter pronuntiant, multisque imaginum luminibus exornatam gravissime amplificant. Contra Jobus ingeminat provocationes ad Deum, gravissimas expostulationes, integritatis suae contestationes; de amicorum crudelitate, de vitae humanae vanitate, de suis miseriis queritur; spem tamen ultimam in Deo

Digitized by Google

sese reponere fidenter testatur: quanto autem fortius impiorum poenas objecissent adversarii, tanto pertinacius Jobus eorundem impunitatem, perpetuamque usque ad mortem securitatem felicitatemque regerit et confirmat. His commotus prior censorum, Eliphasus, ad apertas criminationes et contumelias descendit; hominem integerrimum gravissimorum criminum acriter accusat, injustitiae, rapinae, oppressionis reum agit, utque impium virtutis et religionis simulatorem insectatus, postremo ad poenitentiam hortatur. Eo animosius Jobus ad Dei tribunal provocat, utque coram ipso causam suam agere sibi liceat, exoptat: de Dei in se severitate impatientius queritur, de sua justitia fidentius gloriatur; deinde suam de impiorum impunitate sententiam acrius tuetur. Ad haec alter triumvirorum, Bildadus, ornate sed breviter de Dei majestate et sanctitate solummodo disserit, audaciam Jobi clam exagitans, qui ad eum provocare ausus esset. Bildadum irridet Jobus, et infinitam Dei potentiam et sapientiam fusius et ornatius exponit. Quum autem nihil reponeret tertius, ceterique penitus tacerent; veram tandem animi sui sententiam de impiorum sorte aperit: non esse stabilem eorum felicitatem, ipsos eorumque posteros Deum sceleris vindicem subito quandoque experturos. Sed in his omnibus divinam sapientiam ab hominibus nullo modo pervestigari posse; summam autem hominis sapientiam in Dei timore positam esse. Priorem gloriam et felicitatem, cum praesenti sua miseria et dedecore comparatam, amplificat. Postremo contra Eliphasi criminationes ceterorumque iniquas suspiciones, vitae anteactae rationem singulatim reddit, suam in omnibus officiis spectatam integritatem coram Deo hominibusque testatur, iterumque ad Deum judicem provocat.

Perorata causa vicisse sibi videbatur Jobus, atque censorum criminatorumque ora obturasse. Sed quemadmodum adversarii iniquis criminationibus, ita ipse modum in se defensando excesserat, atque aestu disputationis talia ore emiserat, quae non procul a contumacia et arrogantia adversus Deum abesse viderentur. Hinc jam arbiter quasi inter utramque partem, inter-

Digitized by Google

nuntii divini personam sustinens (vid. 33, 23. et ad eum loc. not.), Elihu in medium prodit, hinc triumviros castigans, quod statum controversiae imprudenter confudissent, eamque deinde totam parum fortiter abjecissent, illinc Jobum, quod suae justitiae nimium tribueret, quod se omnis pravitatis immunem affirmaret, quod cum Deo contentiosius ageret. Deum non necesse habere, omnes consilii sui rationes hominibus exponere, plus uno tamen modo monere mortales, nocturnis scilicet visionibus, aut immissis gravioribus morbis, quo superbiam eis adimat. Jobum denuo increpat, eo quod se justum esse praedicaret, Deum autem injuste atque inimice egisse affirmaret, quod quam indecorum, quamque indignum esset, ostendit. Tertio Jobo objicit, quod ex bonorum miseriis et malorum felicitate male ac perverse concluderet, nemini prodesse religionis cultum; probos enim propterea calamitatibus diutius interdum conflictari, quod auxilium divinum vel non quaerant, vel non pariter exspectent. Postremo Dei consilium in hominibus castigandis aperit, nimirum, ut probet eos, ut emendet, ut eorum superbiam frangat, ut contumaces male perdat, submissis autem gratiam praestet; ita jam cum Jobo Deum agere; propterea ipsi cavendum, ne Deo minus obsequentem sese praebeat, neve ultra in se delictum admittat. Porro ex contemplatione divinae potentiae et majestatis ad debitam numini reverentiam praestandam hortatur. Ad Elihui toties intermissas, ac deinde repetitas castigationes nihil respondet Jobus.

Quae autem numinis ille internuncius protulerat, postremo confirmantur Dei ipsius oratione, qua, in abditas consiliorum rationes descendere haud dignatus, sed suae immensitatis stupenda quaedam exempla proponens, in eodem, quod Elihuus ingressus erat, argumento insistit, primo, castigata Jobi temeritate eum ignorantiae arguit, qui suorum operum, quae vulgo omnibus obversantur, rationem percipere non possit, formationem et naturam terrae, maris, lucis, animalium; deinde ei suam debilitatem demonstrat, ad edenda in aemulationem numinis potentiae

Digitized by Google

suae exempla provocans, tum ad unum atque alterum ex brutis animantibus remittens, quibuscum non ausit contendere, quanto minus cum creatore, omnipotente, rerum omnium domino, nullique obnoxio? Ad haec Jobus humillime se Deo submittit, suam imbecillitatem atque ignorantiam agnoscit, et cinere adspersus poenitentiam agit.

Omnis Jobum inter et triumviros concertatio trino certaminum orbe absolvitur, Eliphaso in singulis primas sibi partes vindicante, cui reliqui duo succinunt. *Primus* certaminum orbis Cap. 4—14., *secundus* Cap. 15—21., *tertius* Cap. 22—31. continetur. Satis commode *tribus* committuntur pugnandi partes; nimis enim angustum fuisset et exile, persona singularis, confusum plane et importunum pugnantium turba. Ceterum triumviri eandem causam eodem fere modo omnes agunt. Miseri amici exhibentur censores acerbi, severi, irritabiles, a pio solandi proposito in objurgationes et contumelias facile abrepti. Eliphasus quidem, qui lenissime omnium inceperat, in acerbissima descendit convicia, et gravissimas accusationes directe et speciatim Jobo intentat, a quibus ceteri sibi temperant: nam Bildadus locum de Dei majestate et sanctitate bis antea ab altero ornatum, ne nihil diceret, breviter tantum retractans, et Zopharus ad silentium confugiens, socium pariter destituere, et Jobo causam cedere videntur. Parum mores eorum inter se discriminantur; *affectuum* sane *gradationi*, quam morum diversitati impensius studetur. Quodsi aliquam hac in parte varietatem desideret delicata et fastidiosa recentiorum critica, excusanda est nascentis poeticae artis simplicitate, quae tamen rerum gravitate et sententiarum pondere abunde compensatur. Maxime quidem poema versatur in vehementioribus affectibus, dolore, iracundia, indignatione, acerrimisque concertationibus, ad terrorem concitandum potissimum comparatum, et sublimitatem inprimis spirans. Nec tamen desunt leniores animi motus; luctus et querimoniae ad miserationem commovendam, veluti 14, 1. 2. 3. 6. 19, 2. 3. 21. 22. Quantum denique in rerum descriptionibus valeat hoc carmen,

Digitized by Google

vel sola Dei oratio, rerum naturalium, animalium praesertim imagines, vividissimis coloribus designatas exhibens, ostendit.

4.

Ad quodnam carminum genus hoc poema sit referendum?

Dramatibus nostrum poema accenseri etsi hactenus possit, quod plures in eo personae inter se colloquentes indacuntur; tamen propterea non esse justum drama, et ipsi intelligunt harum rerum periti, et multis insuper docuit LOWTHUS (in *Praelectt. XXXIII. de S. Poesi Hebraeor.*, cf. ILGEN, *Jobi nat. atque virtutt.* p. 40.). Neque rectius ad *epicum* genus referri, quod Ilgenius voluit, ab Eichhornio ostensum (*Einleit. in das A. T.* P. III. p. 555. edit. tert.). Quod autem huic poemati et legitimi dramatis et epici carminis titulum abjudicamus, nihil de ejus pretio derogatum imus, quod ii potius facere censendi sunt, qui ad alienam normam id inique exigere volunt, unde necesse est vitiosum et mancum videri, quod sane in suo genere est pulcherrimum et perfectissimum. Quae enim potest concipi in ejusmodi argumento, difficili et recondito et ab omni actione abstracto, elegantior oeconomia? quae distributio ordinatior? quae denique accuratior et ad finem consequendum aptior deductio?

5.

Fabulae Scena.

Scena historiae ponitur 1, 1. in terra *Uz*. Quae ubi quaerenda sit, multae et variae sunt hominum doctorum conjecturae (v. SPANHEMII *Hist. Jobi* Cap. 3. p. 48. sqq.), ex quibus tamen duae tantummodo, aut tres sunt, quae sint commemoratu dignae. Prima est eorum, qui Usitidem credunt Idumaeae esse partem. Tribus illi potissimum argumentis sententiam suam defendunt. Primum est, quod Jeremias Thren. 4, 21. *filiam Edom habitare* ait *in terra Uz*, et Vaticiniorum 25, 20. reges terrae Uz jungit regibus Aegypti, Arabiae et Philisthaeae. Sed ibidem paulo post

Digitized by Google

distinguitur terra Uz ab *Edom*, quae Vs. 21. recenseatur cum Ammon, Moab, Tyro, adeoque eadem non fuit. Unde intelligitur, Threnorum locum hoc sibi velle, Idumaeos finibus vehementer dilatatis sedes suas protendisse usque in terram Uz. Quae enim, quaeso, cogitari potest causa, cur vates notissimi populi sedes commemoraret, nisi illa, qua usus est, loquendi formula, voluisset superbiam notare Idumaeorum, qui gentes finitimas suis armis subegerunt, atque in suam ditionem redegerunt? Plane sic iidem qui *Edom* appellantur Jerem. 49, 7., mox Vs. 8. veniunt nomine *Dedan*, qui Dedanitae Arabiae Desertae incolae fuerunt, ab Edomitis, ut verisimile est, postmodum subjugati, qua et spectat locus Ezech. 25, 13. Neque magis probat argumentum secundum, quod pro Usitide in Idumaea quaerenda afferunt, ab *Uza*, Seiri nepote ex Dischane, in terra Horaeorum vel Idumaeorum (Gen. 36, 28.), petitum. Est enim praeter veri speciem omnem, terrae tractui minime angusto (qualem fuisse necesse est Usitidem, si ea in Idumaea sita fuerit, ut quidam ex loco Thr. 4, 21. colligunt, sed falso, ut vidimus) nomen inditum fuisse ab uno Uzo, minimo omnium in Horaeis ducibus, qui postea expulsi ab Edomo et posteris. Et si vel maxime ante Esavi tempora haeaisset illi tractui nomen Uz, non retentum deinceps id nominis fuit sub Edomitis, a quo tempore perpetuo audivit illa regio *terra Edom*. Nec verisimile, Jeremiae aetate Idumaeam stricte dictam denominatam fuisse ab Uzo illo Horaeo *terra Uz*, nullis vel in Mose vestigiis. Multo infirmius tertium argumentum, amicos Jobi omnes in Idumaeis fuisse, quum tamen de uno Eliphaso Themanita constet ex Edomo prognatum, de reliquis non item. Et cujuscunque hi regionis incolae fuerunt, non necessario iidem Jobo conterranei, uti nec iisdem omnes orti conditoribus, quamvis amicitiae vinculo conjuncti. Nihilo solidiore fundamento altera nititur sententia, terram Uz esse vallem Damascenam, Arabibus hodie *al-Guthah* (אלגוטה) dictam. Neque enim sola levi aliqua literarum aut soni similitudine quicquam conficitur. Est autem nomen *Guthah*

Digitized by Google

Arabibus appellativum, vallibus locisque quibuscunque humilioribus atque irriguis commune (a rad. עוּשׁ *demersa fuit res*), sed Damascenae κατ' ἐξοχήν inditum. Eam porro Usitidem, cujus in V. T. mentio facta, terrae tractum satis late patentem fuisse, qui plura regna, aut, si mavis, regulorum ditiones comprehenderet, docet locus Jer. 25, 20. Superest tertia sententia, terram Uz in Arabia deserta, seu Scenitide sitam fuisse. Quae Arabia a *Septentrione* Mesopotamiae parte, et Euphrate fluvio, ab *Occidente* partibus Syriae, Palaestinae et Idumaeae, vel Arabiae Petraeae, a *Meridie* Arabiae Felicis montanis, ab *Oriente* Chaldaeae pariter et Babyloniae montanis terminatur, qui totus terrarum tractus hodie *Badiat-osch-Scham*, i. e. desertum Syriae audit. Sed quum haec ipsa in immensam longitudinem et latitudinem, per vastissimas eremos porrigatur, alii in parte ejus meridionali, Arabiam felicem versus, alii in septentrionali parte, Euphrati ac Mesopotamiae contigua, Usitidem censent collocandam. Quarum sententiarum posterior reliquis omnibus est verisimilior. Nam primo, ultra Arabiam stricte sic dictam, septentrionem versus sitam fuisse Usitidem, suadet ordo, quem servat Jeremias in recensendis populis 25, 20. Nec obstat, quod ibi post reges terrae Uz statim sequuntur Philisthaei. Nam ab Usitide vates reversus ad austrum, orasque Palaestinae maritimas, ordine recenset populos illum terrarum tractum tenentes, a Philisthaeis exorsus. Illam regionem ab *Uze*, Nahoris filio natu maximo (Gen. 22, 21.), nomen accepisse, inde credibile fit, quod illa *Carris*, Mesopotamiae australis urbi, pristinae Nahoris sedi (Gen. 11, 31. 24, 10.), vicina. Plane ut ex *Buzo*, ejusdem Nahoris filio altero, fuit *Buzitis*, Arabiae regio Jer. 25, 23. Quae circiter loca Ptolemaeus (Geogr. L. V.) commemorat *Ausitas*, i. e. Ausitidis incolas, quo nomine Alexandrinus interpres hebraeum עוּצִי constanter reddit. Accedit, quod ea pars Arabiae desertae sit omnium maxime contermina Chaldaeis, de quorum incursione in ipso libri exordio. Vicini itidem Sabaei, שְׁבָא, a *Scheba*, Abrahami ex Ketura nepote orti, qui *Orientem* versus, i. e. in Arabia deserta

Digitized by Google

sedes habuere (Gen. 25, 3. 6.), de quorum irruptione in armenta et famulos Jobi expressa mentio 1, 15.

6.

Ad quodnam tempus sint referenda, quae hoc libro enarrantur?

Qua vixerit aetate Jobus, res est in ambigno. Sunt, qui coaevum statuant Patriarchis, et Mose vetustiorem; sunt, qui Mosi, et servituti Aegyptiacae Hebraeorum supparem, malunt; alii cum tempore itineris Israelitici per desertum, sive cum Judicum aetate componunt. Revocant alii ad Davidis et Salomonis tempora; alii ad usque exilium Babylonicum, vel eo durante *circiter*. Vulgo tamen recepta opinio est, Jobum antea vixisse, quam Moses Israeliticam civitatem instituisset, legesque condidisset, ut historia Genesin inter Exodumque media sit collocanda. Verum quae ad eam sententiam vindicandam qui eam defendunt, potissimum urgent, nullam in universo libro legum Mosaicarum mentionem fieri, rituum, morum, rerum Israeliticarum speciem aut umbram reperiri plane nullam, haec, inquam, nequaquam quod illi volunt, probant. Ne enim historiae Hebraicae aut rerum Israeliticarum quicquam immisceretur, vetabat fabulae scena; quae non intra Israeliticae terrae fines esset. Quod nulla apud Jobum mentio fit Patriarcharum, quorum tamen fata ac res gestas Scriptorum latere non potuisse, ex Hebraico totius Libri colore potest colligi, hoc igitur silentium cum non fortuitum, sed de industria quaesitum sit, oportet ut causam habeat gravissimam. Ac talem satis verisimiliter reperisse sibi visus est PAREAU (in *Commentat. de immortalitatis notitiis a Jobi scriptore in suos usus adhibitis* p. 119. sqq.) in generali Libri consilio, quod non modo ad Israelitas, sed ad alias etiam gentes quascunque spectaverit. Est scilicet Carminis argumentum manifesto hujusmodi, ut quam latissime pateat, quando quidem ab omni aevo et apud omnes gentes maxima semper fuit hominum ad carpendam Providentiae iniquitatem proclivitas, atque prae-

Digitized by Google

stantissimum divinumque Poema ad harum reprehensionum perversitatem demonstrandam a Scriptore procul dubio destinatum erat. Itaque prudenter noluit Poeta eximius talia immiscere, quae ad suam gentem unice pertinerent. Quanquam enim et ad peculiarem Israelitarum et ad consuetudines ac notiones apud eos vel receptas, vel cognitas, ipse Israelita quum esset, non alludere non potuit, nec cavere omnino, ut ad aevi rationem se componeret; Israelitas nihilominus eorumve proavos nominatim commemorare, aut exempla ex horum vel illorum historia illustrandi causa adjicere; hoc igitur vetabat Carminis indoles, cujus scena non apud Israelitas, sed in terra extera collocaretur, quodque, etsi Israelitarum usibus inprimis inserviens, non horum tamen in gratiam, sed longe generaliori consilio ad compescendas hominum quorumcunque de divino regimine querelas componeretur. Eodem pertinet, quod nullum cultus Levitici vestigium in hoc libro deprehenditur. Nam quum Jobus veri quidem Dei cultor sisteretur, sed non Israelita, nihil eorum, quae ad cultum Leviticum spectarent, commomorari licuit; neque igitur id arguit, Jobum iis vixisse temporibus, quibus sacrificiorum usus nec ad certum locum, nec ad sacrorum ministros, sacerdotes, hosque e tribu Levi, nec ad certos ritus in Leviticо descriptos, restrictus fuit. Alia vero, quae nonnisi remotissimo aevo congruere volunt, ut quod senum effata pro legibus (8, 8. 15, 10. 18.), insomnia pro oraculis (4, 12. sqq. 33, 15.), voces ad aures perlatae pro monitis divinis habentur, et seriorum Hebraeorum cogitandi judicandique modo convenire, recte animadvertit G. H. Bernstein (in Commentat. vernaeule scripta de libri Jobi aetate, argumento et consilio, in *den Analekten für das Studium der exeget. und dogmat. Theol.* a Kelli et Tzschirnero editt. Vol. I. P. 3. p. 6. not.). Contra insunt huic libro, ut idem Vir Doctissimus vere observat, plura, quae lectori persuadeant, vixisse Jobum iis temporibus, quibus homines aevi patriarchalis simplicitatem jamdudum egressi essent. Et Jobum quidem ipsum vitam urbanam degisse, et, nisi princeps suae urbis fuerit, certe tamen inter

Digitized by Google

ejus primeros fuisse, testatur ipse in jucunda illa pristinae suae felicitatis pictura C. 29. hisce verbis Vs. 7. 8. 9.: *Quando ad portam per urbem proficiscebar, aut in foro sedem meam parabam, videntes me juvenes abdebant sese, senesque adsurgebant et stabant. Principes continebant verba, admota ad os manu.* Urbani strepitus mentio fit 39, 7. (al. 10.). Ad sententiam judicis scripto consignatam alludit 13, 26., ad tabulas signatas, quibus rei causa in judicio defenditur, 31, 25., ad sermones in libro literis mandatos 19, 23., et ibidem Vs. 24. ad morem publica monumenta plumbeis voluminibus inscribere, aut saxo insculpere. Quae aevo patriarchali haud magis congruunt quam 20, 24. commemoratio armaturae ferreae, aut equi bellici descriptio 39, 31. sqq. Neque vitae pastoritiae, qualem patriarchas egisse constat, convenit illa Jobi contestatio 31, 38., se non alienos fundos injusto modo occupasse, et possessoribus eripuisse. Neque antiquissimorum illorum temporum fuit, quod 3, 13. 14. mentio fit regum, qui urbes arcesque collapsas restaurabant, ut inde sibi gloriam immortalem pararent, quique palatia incredibili auri copia refertissima possidebant. Homines Jobi aequales accumulandis auri, argenti, gemmarum, vestiumque pretiosarum thesauris metallisque e terrae visceribus eruendis intentos fuisse probant loca 20, 15. 23, 10. 27, 16. 17. 28, 1—21. Sceleratos denique proceres et optimates eo quo vixit Jobus tempore in pauperes et imbelles superbia et violentia saeviisse, produnt quae 24, 2—16. leguntur.

7.

A quonam et quando scriptus sit Jobi liber?

Hunc librum Edomiticae aut priscae Arabicae sapientiae et doctrinae monumentum nonnulli judicarunt ideo potissimum, quod plures in illo reperiuntur dictiones, loquendi modi, significationes et vocabulorum formae, ad Arabicam dialectum vergentes, quam in ullo alio V. T. libro. Verum non tam ad Arabici, quam potius ad Aramaici seu Chaldaici sermonis naturam et indolem

Digitized by Google

propius accedere libri Jobei linguam, ita probavit BERNSTEIN in Commentat. laud. p. 49. sqq., ubi ostendit, nullum esse hujus libri Caput, in quo non plures Chaldaicae verborum formae et significationes Chaldaico loquendi usui propriae occurrunt, ut Chaldaicus libri color unicuique ultro in oculos incurrat. Fuere, qui ab Idumaeo librum scriptum esse existimarent. Idumaei enim, et maxime Themanitae, ob sapientiam celebres erant; vid. Jer. 49, 7. Baruch 3, 22. 23. Sed quae pro Edomitica origine libri proferuntur argumenta, sane perquam infirma, bene refutavit C. F. RICHTER in Progr. *de aetate libri Jobi definienda* (Lips. 1799. 4.) §. XI. p. 23., quam scriptionem repeti curavimus ad calcem libri Lowthiani *de S. Hebraeorum Poesi*, a nobis edit. Lips. 1815. Nobis quidem ab Hebraeo scriptum esse librum, eo minus est dubium, quo plura in illo deprehendimus, quae Hebraeum scriptorem haud obscure arguant. Multae enim in Jobo occurrunt notiones, sententiae, opiniones, loquendi denique formulae, quae Hebraeis propriae sunt ac peculiares. Homo ex luto efformatus ad pulverem rediturus dicitur 10, 9. iisdem fere verbis, quae Gen. 3, 19. legimus. *Spiritus vitae* homini a Deo inditus dicitur Job. 27, 3., ut Gen. 2, 7. 7, 22. Imbecillitas fragilitasque humani generis describitur Job. 14, 5. iisdem verbis, quibus Jes. 40, 6. 7. Ps. 37, 2. 90, 6. 7. 102, 12. 103, 15. Eluvio Noachica haud obscure designatur Job. 22, 15. 16. Ab iisdem criminibus Jobus se liberum ait, quae ut maxime detestanda iisdem paene verbis in Lege Mosaica notantur, ab injuria potissimum, duritie, inhumanitate in egenos, peregrinos, viduas, parentibusque orbatos (vid. Job. 24, 2—4. 6. 7. 9—11. 31, 32. 33., et conferas Exod. 22, 25. 26. Deut. 24, 6. 10. sqq. 27, 17. 19. Levit. 19, 9. 10. 25, 2—6.), nec non ab astrorum adoratione (Job. 31, 26. 27., coll. Deut. 4, 19. 17, 3.). *Ante colles natum esse* occurrit Job. 15, 7. et Prov. 8, 25. Summi numinis sedes in nubium *caligine* (עֲרָפֶל) ponitur Job. 22, 13. 14., plane ut 1 Reg. 8, 12. Salomon ait: *Dominus dixit: se velle in caligine habitare*, et Ps. 18, 12. legitur: *posuit tenebras latibulum suum*,

Digitized by Google

undique circa se tabernaculum suum, sc. caliginem, et Ps. 97, 2. *nubes et caligo circa eum.* Porro *comparere coram Dei facie cum jubilo* Job. 33, 26., solennis est formula, qua Hebraei significant *publicas gratias agere hostiis oblatis*, vid. Ex. 23, 15. Ps. 27, 4. 95, 2. Confessionis peccatorum formula eadem Job. 33, 27., quae Ex. 9, 27. 10, 16. Jos. 7, 20. Israelitam scriptorem etiam hoc arguit, quod 40, 23. Jordanes in majoris fluvii exemplum adducitur, majorem enim in Palaestina aut proxima vicinia Israelitae non habebant. Denique innumeri paene Jobi sunt loci, loquendi formulis in *Psalmis* (vid. Ps. 107, 40. coll. cum Job. 12, 21. 24. Ps. 107, 42. coll. cum Job. 5, 16. 22, 19. Ps. 147, 8. coll. cum Job. 5, 10. 37, 6., et Ps. 147, 9. coll. Job. 38, 41. (al. 39, 3.), et *scriptis Salomoneis* obviis, consoni. Magna praesertim nostri libri cum *Proverbiis* deprehenditur sententiarum, vocum, et locutionum consensio. Utrinque enim insigne Sapientiae elogium texitur, Job. 28, 12. sqq. Prov. 8, 11.; vera Sapientia in eo constituitur, si timor in Deum teneatur, ejusdemque Sapientiae solus auctor Deus a scriptore utriusque operis asseritur Prov. 1, 7. Job. 28, 28. Ad haec, phrasium et vocum consensus utrinque summus, veluti תּוּשִׁיָּה *sapientia* Job. 5, 12. 6, 13. 11, 6. 12, 16. 26, 3. 30, 22., nonnisi in Prov. recurrit, 2, 7. 3, 21. 8, 14. 18, 1. Item תַּעְרָה *calamitas* Job. 6, 2. 30. 30, 13. et Prov. 10, 3. 11, 6. 17, 4. 19, 13. Item תְּחְבֻּלוֹת *prudentia gubernandi consilia* Job. 37, 12. et Prov. 1, 5. 11, 14. 12, 5. 20, 18. 24, 6. Item פֶּתִי *simplex* Job. 5, 2. et Prov. 20, 19. Item אֲבַדּוֹן *orcus* Job. 26, 6. 28, 22. 31, 12. et Prov. 15, 11. 27, 20., nec non Ps. 88, 12. Porro עִמְקֵי שְׁאוֹל *profunda orci* Job. 11, 8. et Prov. 9, 18. Patere oculis Dei sepulchrum et Infernum habet Jobus, habet et Salomon, Job. 26, 6. et Prov. 15, 11. *Bibere iniquitatem sicut aquam*, phrasis est utriusque, Job. 15, 16. 34, 7. Prov. 26, 6. Spiritus seu ventos appendere Deum, utrinque legimus, Job. 28, 25. Prov. 8, 28. 29. Jobus ad amicos dicebat, ex eorum silentio, si nullam unquam vocem emisissent, judicium de ipsorum sapientia capiendum fuisse; stultum silentem tanquam

Digitized by Google

sapientem haberi, Salomon docuit, Job. 13, 5. Prov. 18, 28. Manes in Inferno collocat Jobus; coetum sive locum mortuum Infernum denominat Salomon, Job. 26, 5. Prov. 2, 18. 21, 16. Divitiis iniquе collectis numquam juvari virum impium, sed illas in manus piorum dilabi, ait Jobus; ait et Salomon, Job. 27, 16. 17. Prov. 28, 8. Tumidae mentis audaciam humilitatem consequi plerumque, saepius inculcat Salomon, quod ipsum et Jobus asseruit, Job. 22, 29. Prov. 16, 18. 18, 12. 29, 23. De creatione terrae marisque paria utrinque spectes, Job. 38, 4—8. Prov. 8, 26—29. 30, 4. Perituram impium ejusque memoriam, futurum tandem ut male oleat, veluti dapes corruptae, uterque profitetur, Job. 20, 7. Prov. 10, 7. add. Ps. 37, 10. 36. Cujus consensus tam manifesti quaenam sit causa? hauseritne Jobi scriptor ex Psalmis et Proverbiis? an vero carminum illorum et adagiorum auctores imitati sint Jobum? an originem debeant communi fonti, qui tum in Jobum, tum in Psalmos et Proverbia manarit, nemo quidem sibi sumat, ut a se praecise definiri posse censeat. Jobeidos tamen auctorem ab alio quicquam mutuatum esse, quo suum opus exornaret, quis exspectabit a tali poeta, cujus omne reliquum carmen tot tantisque propriis virtutibus elucet, ut sunt argumenti dignitas, apta digerendi ratio, sententiarum sublimitas, eruditionis pompa, ingenii foecunditas? Magis vero credibile est, derivata esse quaedam e Jobo in Psalmos et Proverbia. Atque hujus quidem adagiorum sententiarumque collectionis partem priorem jam Hiskiae tempore extitisse, quo ea retractata et adaucta fuit, constat ex Prov. 25, 1. Quodsi igitur haud vana sit suspicio, lectum fuisse Jobi poema Psalmorum antiquiorum auctoribus, et libri Proverbiorum compositoribus, nostrum librum saltem jam ante Hiskiae tempora extitisse necesse est. Sunt tamen, ut dicamus, quod res est, omnia illa loca, in quibus concordia quaedam Jobi cum Psalmis et Proverbiis deprehenditur, ejusmodi, ut non tam imitatione ex illo expressa esse videantur, quam communem potius unius ejusdemque aevi sermonem, scientiam, disciplinam, philosophandi rationem, communes denique

Digitized by Google

opiniones atque notiones arguant. Quae quum ita sint, nostrum poema si Hiskiae inter et Zedekiae tempora scriptum statuamus, non verendum nobis fuerit, ne longius a veritate aberremus. Attamen quod ad probandam seriorem libri aetatem e sermone illius Chaldaixante petitur argumentum, minus valere, vere monuit H. G. L. KOSEGARTEN in *Commentat. exeget. crit. in Job. XIX*, 25—27. (Gryph. 1815. 4.) p. 10., propterea quod omnium V. T. librorum poeticorum dictio ad dialectos Aramaeas propius accedat; dictio Aramaea Jobi itaque non necessario probat, librum recentioris originis esse, sed tantum, librum stylo poetico compositum esse. „Deinde," addit, „nobis, solo sono quodam linguae et dictionis peculiari, inductis, antequam historia linguae Hebraicae variarumque ejus dialectorum accuratissime excussa et dilucidata sit, de antiquitate et origine librorum non nimis temere dijudicandum esse censemus. Nam quamdiu linguae nondum mortuae in ore hominum versentur, leves et imperceptibiles fere variationes in iis exstant, quae post secula oblivione obruuntur, vel minus recte inter se permutantur; inde multae argumentationes falsae, ex linguarum peculiaritate petitae, originem trahunt. Dialectus Coreischitica e. g. ante Coranum scriptum apud solos Coreischitas invaluit, post Islamismum stabilitum vero generalis Arabum sermo factus est. Si igitur, cum liber Arabicus inveniretur dialecto Coreischitica conscriptus, aliquis asserere vellet, hunc librum post Mohammedem scriptum esse, quia auctor dialecto Coreischitica usus sit; nonne falsa esset argumentatio, quum etiam ante Mohammedem ab aliquo Coreischita conscribi potuisset? Nonne simili modo dialectus illa Aramaea (si Aramaeam eam nuncupare jam juvet), qua liber Jobi exaratus est, etiam ante exilium Babylonicum in aliquo tractu Judaeae, vel confinium Judaeae regionum, invalere, liberque iste, cujus tota natura et indoles originem quandam peculiarem prodit, componi potuisset?" Omnino antiquiorum V. T. librorum nullum Chaldaismis carere, ita ut illi soli non valeant, librum in quo reperiuntur seriori aetati adjudicandum, ostendit LUD. HIRZEL in

Digitized by Google

Commentat. de Chaldaismi biblici origine et auctoritate critica, Lips. 1830.

JOBEIDOS

ΣΥΝΟΨΙΣ.

I. *Exordium historicum*, prosa oratione, C. 1. 2.

II. *Sermocinatio triplex*, versa oratione, C. 3—41.

1. Disceptationum Jobum inter et triumviros, eum invisentes, orbis ternarius, C. 3—31.

Jobi orationem, qua diem natalem exsecratur, C. 3., sequitur

A. Congressus primus, C. 4—14.

1. cum Eliphaso, C. 4—7.
   א. Eliphasi oratio, C. 4. 5.
   ב. Jobi responsio, C. 6. 7.

2. cum Bildado, C. 8—10.
   א. Bildadi oratio, C. 8.
   ב. Jobi responsio, C. 9. 10.

3. cum Zopharo, C. 11—41.
   א. Zophari oratio, C. 11.
   ב. Jobi responsio, C. 12—14.

B. Congressus secundus, C. 15—21.

1. cum Eliphaso, C. 15—17.
   א. Eliphasi oratio, C. 15.
   ב. Jobi responsio, C. 16. 17.

2. cum Bildado, C. 18. 19.
   א. Bildadi oratio, C. 18.
   ב. Jobi responsio, C. 19.

3. cum Zopharo C. 20. 21.
   א. Zophari oratio, C. 20.
   ב. Jobi responsio, C. 21.

Digitized by Google

B. Congressus tertius, C. 22—31.

1. cum Eliphaso, C. 22—24.
   א. Eliphasi oratio, C. 22.
   ב. Jobi oratio, C. 23. 24.
2. cum Bildado, C. 25—31.
   א. Bildadi oratio, C. 25.
   ב. Jobi responsio, C. 26—31.

II. Elihui judicium de illis disceptationibus, sermone tribus interjectis intervallis continuato, C. 32—37.

III. Dei oratio, qua omnem hanc litem dirimit, C. 38—41.

III. *Clausula historica,* prosa oratione, C. 42.

Digitized by Google

JOBUS.

EXORDIUM. C. I. 2.

Jobi pietas, opes, rei familiaris status optimus, 1—5. In solenni judicio, a Deo habito, fides Jobi et sincera ejus pietas a Satana in dubium vocatur, 6—10. Decernitur ejus tentatio, 11. Permittit Deus, ut Satanas Jobo bona sua omnia eripiat; verum hic, uno die omnibus divitiis et liberis suis privatus, tamen constans manet in pietate sua, atque in voluntate divina, a qua ista omnia sibi evenisse novit, acquiescit, 12—22. In alio conventu judiciali a Deo habito Jobus a Satana denuo accusatur pietatis tantum simulatae; amorem vitae praestare homini rebus aliis omnibus; hanc quovis pretio hominem redimere non dubitare; igitur Jobum quoque vitae suae periculum aequo animo non esse laturum. Verum hanc quoque criminationem refellit constantia Jobi in pietate sua, quanquam tetro morbo infectus in summum vitae periculum venisset, 2, 1—10. Amici Jobi, certiores facti de necessarii sui calamitatibus, adveniunt, ut eum visant et consolentur, quominus tamen semptemdiali spatio loquerentur, fecit stupor, et dolor, ex cruciatu Jobi vehementi conceptus, 11—13. — Fuere post A. SCHULTENSIUM in Praefatione ad suum in hunc librum Commentarium fol. ***** col. b., plures docti et sagacis ingenii viri, ut inter recentiores BERNSTEIN in Commentat. super hoc libro in den *Analekten* Vol. I. P. 3. p. 122. sqq., qui et Prologum et Epilogum Jobeidos recentiori cuidam auctori adscriberent, vel ob styli prosaici a poetico diversitatem, vel ob Satanae in Prooemio factam mentionem, vel ob alias rationes, quas tamen solidis argumentis refellerunt EICHHORN *Einleit. in das A. T.* P. III. §. 644. a. p. 593. sqq., PAREAU *Commentat. de immortalitatis notitiis* p. 186. sqq., BERTHOLDT *Einleit. in die Schriften des a. u. n. Testam.* P. V. p. 2151. sqq., SCHAERER in Prolegomenis ad versionem Jobi vernaculam p. LVII. sqq., et, qui potissimum Stuhlmanni et Bernsteinii rationibus respondit, THEOPH. FRID. JAEGER, in Commentat. *de integritate libri Job*, Tubing. 1819. in quat. p. 2. sqq. Nos quidem nobis nequaquam

Digitized by Google

persuadere possumus, prologum et epilogum non profectum esse a reliqui libri auctore. Opus omni ex parte imperfectum habes, meros sermones, quorum causam, rationem et finem ignoras, exordium et clausulam si demas. Cf. not. infra ad Vs. 6.

Cap. 1, 3. *Eratque peculium ejus septem millia ovium* rel. מִקְנֶה propr. *emtio*, *acquisitio*, hic *pecudes*, ut sequitur, iis enim veterum divitiae maxime constabant. Describitur opulentia prisci aevi, hominisque tum inter suos primarii, qualis Abrahamus fuit, hodieque sunt Arabum Scenitarum principes regulive, *Emirorum* nomine noti (Sing. אָמִיר *qui aliis praeest imperatque, dux, princeps*). Vid. not. ad Gen. 12, 16. Nomen עֲבָדָה, quod praeter hunc locum semel tantummodo, Gen. 26, 14., occurrit, alii *agricolationem*, *opus rusticum*, ex usu verbi עָבַד, *terram coluit*, Gen. 4, 2. (ut Gallicum *labourage*), alii *servitium*, *famulitium*, *familiam* interpretantur, ex significatu *serviendi*, quem itidem illud עֶבֶד obtinet, unde עֶבֶד *servus*. Utrumque exhibet versionis Alexandrinae textus hodiernus: *καὶ ὑπηρεσία πολλὴ σφόδρα, καὶ ἔργα μεγάλα ἦν αὐτῷ ἐπὶ τῆς γῆς*. Videntur duorum interpretum versiones conjunctae esse. Ceteri Vett. h. l. in significatione *famulitii*, *familiae* conveniunt, in qua acquiescere tutissimum fuerit. וַיְהִי קֶדֶם — *Eratque vir ille magnus*, i. e. locupletior *omnibus filiis Orientis*, i. e. Orientalibus. Intelligendi populi illi miscellanei, Aegyptum inter et Euphratem habitantes, qui Jer. 25, 20. recensentur, qui ex Nachore, fratre Abrahami, ex quo etiam *Utz* fuit, Gen. 22, 21., tum qui ex *Ismaele* filio, quorum mentio Gen. 25, 13 — 15., denique qui ex *Ketura* prognati, Gen. 25, 6., quique omnes incoluere *Arabiam desertam*, et loca circumjacentia, hinc ad Euphratem, illinc ad felicem Arabiam, unoque hi nomine *Arabes* Hebraeis et Veteribus dicti. Et *Mesopotamiae* incolas *Orientalium* nomine comprehendi, colligitur ex Num. 23, 7. Gen. 29, 1.

4. עֲשָׂתָם — וְחָלְכוּ *Consueverant autem filii ejus quisque domi suae diem suum natalem convivio celebrare, arcessitis suis tribus sororibus, quae secum epularentur.* Describitur concordia amicissima familiae florentis ac beatae. Verbum חָלַךְ h. l. *consuetudinem* multis annis *continuatam* significat, ut Jerem. 5, 23. Jud. 1, 16. 3, 13. — בֵּיתוֹ pro בְּבֵיתוֹ, ut Gen. 24, 23. 38, 11. coll. infra Vs. 13. Verba בֵּית אִישׁ יוֹמוֹ quidam interpretantur hoc modo: *in aedibus* ejus, *cujus esset dies illius* sc. מִשְׁתֶּה *convivii*, i. e. quem dies convivii attingeret, quasi convivia in certos dies essent destinata, et dies in singulos fratres distributi. Sed praestat, suffixum nominis יוֹמוֹ ad proxime praecedens אִישׁ referre, ut concise haec sint dicta pro eo quod plene esset: בְּבֵית אִישׁ אֲשֶׁר הָיָה יוֹמוֹ *in aedibus ejus, cujus esset dies* sc. natalis, nam יוֹם *dies alicujus* est dies ejus natalis, ut infra 3, 1., aut alius dies, festus alicui ob causam aliquam, ut Hos. 7, 5.

Digitized by Google

Certe diem natalem jam inde ab antiquissimis temporibus festum fuisse, vel ex Gen. 40, 20. colligitur. Minus verisimiliter nonnulli, post Chaldaeum, circulis hebdomadalibus per septem dies continuos, pro numero filiorum, epulas illas celebratas fuisse statuunt.

5. כִּי חָקְפוּ *Quando circumiverunt*, quasi in orbem seu circulum, sive, ut Vulgatus, *quumque in orbem transiisset dies convivii*; cf. תְּקוּפַת הַשָּׁנָה *circumactio anni*, Ex. 34, 22. 1 Sam. 1, 20. 2 Chr. 24, 23. In ambiguo est, sensusne sit: quotiescunque convivium apud hunc vel illum fratrem celebratum esset; an vero: quoties convivia fratrum per circulum agitata essent (חָקְפוּ in עָשׂוּ תְקוּפָה *orbem suum conficerent*, resoluto), ut indicetur, Jobum *septies quotannis* solemnem sacrificationem, praesente universa familia, instituisse, et quidem sub tempus natale cujusque filiorum, ut quicquid forte volvente anno peccatum esset a suis vel in occulto, rite expiaretur. Post וַיִּשְׁלַח subaud. וַיִּקְרָא אוֹתָם (cf. Vs. 4.) *misit et evocavit eos.* וַיְקַדְּשֵׁם *Lustravitque eos*, i. e. lotionibus, aliisque ceremoniis praeparavit ad rem divinam secum rite obeundam; Ex. 19, 10. et 1 Sam. 16, 5. Lustravit pater filios ideo, ut si forte aliquid peccassent, sacrificiis rite casteque factis expiarentur; quo pacto patris religiosissima pro suis sollicitudo elucescit. וְהֶעֱלָה עֹלוֹת *Obtulit holocausta*, ipse, tanquam paterfamilias, more Patriarcharum, v. c. Noachi, Gen. 8, 20., et Abrahami, Gen. 12, 7. 8. 13, 18. 22, 13. *Mane* vero ad ea offerenda *surrexisse* (הַשְׁכִּים בַּבֹּקֶר) dicitur, quod eo tempore illa fieri solebant, vid. Genes. 22, 3. Ex. 32, 6. — מִסְפַּר *Secundum numerum*, subaud. praefixum ב vel כ, ut 1 Sam. 6, 4. 18. Jer. 2, 28. — כֻּלָּם *Omnium illorum*, filiorum et filiarum, etsi mox filii, tanquam praecipui illorum, soli nominantur. וּבֵרְכוּ אֱלֹהִים בִּלְבָבָם *Et forsan valere jusserunt Deum in corde suo.* Verbum בָּרַךְ, *bene precatus est*, non solum de convenientium, verum etiam de *digredientium*, salutationibus usurpari constat, vid. Gen. 28, 3. 47, 10. Quia autem *eos valere jubemus*, a quibus *digredimur*, discessus vero etiam *renuntiatae societatis* indicium est; propterea בָּרַךְ *valedixit* usurpatur quoque quum quis aliquid *rejicit, seponit, parum curat.* Quo sensu VIRGILIUS *Eclog.* 8, 58. *Vivite Sylvae.* Ubi Servius: *valete, non bene optantis, sed renuntiantis.* CICERO *de Nat. Deor.* L. I. sub fin.: *Deinde si maxime talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat!* Similis ratio est formulae χαίρειν φράσαι, et πολλὰ χαίρειν ἐᾶν, pro simplici *mittere*, *missum facere.* Hinc nostra phrasis: *valedicere Numini*, significabit *deflectere a reverentia ejus*, Deo ejusque cultui aut obsequio nuntium remittere, quo sensu et infra Vs. 11. et Cap. 2, 5. 9. nec non 1 Reg. 21, 10. 13. occurrit. Postrema commatis verba, כָּל־הַיָּמִים, multi referunt ad *dies natalitios et convivales*, quibus in orbem euntibus haecce sacra fuerint annexa. Malim tamen, *semper, constanter, perpetim*

Digitized by Google

interpretari, quomodo saepissime alias haec phrasis sumitur, v. c. Gen. 43, 9. Deut. 4, 40. 5, 26. 1 Reg. 5, 1., ubi similiter ad tempus praeteritum accommodatur.

6. הַיּוֹם *Die quodam*, ut pluribus aliis locis He emphaticum *aliquem* designat. Sic 1 Sam. 1, 4. וַיְהִי הַיּוֹם *factum est die aliquo, ut sacrificaret.* Cf. 2 Reg. 4, 19. et infra Vs. 13. hujus Cap. וַיְהִי בְּנֵי הָאֱלֹהִים *Et veniebant filii Dei.* Coelitum concilium, de quo cf. not. ad Ps. 29, 1. Deus cum spiritibus supernatibus, tanquam rex aut judex, cum ministris et apparitoribus suis, describitur. לְהִתְיַצֵּב *Ut sisterent sese*, pro officio suo, tanquam ministri aut apparitores principis ad jussa ejus capessenda, quomodo id ipsum verbum Prov. 22, 29. et Zach. 6, 5. usurpatur, ut עָמַד 1 Reg. 10, 8. Ita Luc. 1, 19. *Γαβριὴλ, ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.* Nam verbum *παρεστῆναι*, quod et h. l. Alexandrinus posuit, eodem sensu *comparendi coram rege* a Graecis usurpari, observant Interpp. ad laudat. Lucae loc. Ad nomen יְהוָה observandum, in historica libri parte, id est, in prologo atque epilogo, promiscue illud usurpari, in poetica vero parte non occurrere (nam quod 12, 9. in libris editis יְהוָה legitur scribarum haud dubie oscitantiae tribuendum). Unde quidam collegerunt, exordium et clausulam libri non proficisci ab eodem, cui reliqua pars debetur, qui vel Idumaeus, vel Hebraeus quidam Mose antiquior censendus esset. Quod tamen minime sequitur. Nam quum historiae tempus antiquissimae aetati assignatum, scena autem extra terram Israeliticam collocata esset, poscebat *τὸ πρέπον*, ut in sermonibus personarum, quae loquentes inducuntur, nominis יְהוָה usus sollicite evitaretur. Cf. Prolegg. §. 6. Verum ubi poeta ipse loquitur, narratoris personam sustinens, nihil vetabat, quo minus nomen illud, Israelitis inde a Mose peculiare, usurparet. — וַיָּבוֹא גַם הַשָּׂטָן בְּתוֹכָם *Venitque et Satan in medium eorum.* Nomen שָׂטָן a verbo שָׂטַן *adversatus est* (ut Arabum שَطَن per *Schin*) *acerbo odio aliquem persequutus est* (vid. Ps. 38, 21. 71, 13. 109, 20. 29.), in universum significat *adversarium*, dicturque de *homine*, qui vel callide et subdole in bello contra datam fidem alteri adversatur 1 Sam. 29, 4., vel adversatur consilio et benevolentia alterius, 2 Sam. 19, 23., vel qui aperto Marte aut bello adversatur alicui, 1 Reg. 5, 4. (al. 18.), vel denique, qui odio persequitur aliquem, ejusque conatibus quolibet modo adversatur, 1 Reg. 11, 14. 23. 25. Hoc vero loco, ubi scena est in coelis, inque spirituum superorum conventu, *spiritum malevolum* designari, hominem adversarium et criminatorem, ut Zach. 3, 1. 2. (ubi pariter cum הַ demonstrativo dicitur, ut in hoc et sequ. Cap. constanter), 1 Chron. 21, 1., apparet ex iis, quae de eo proxime Vs. 7—9. et 2, 7—10. narrantur; ut igitur frustra sint, qui Satanam meri *circuitoris* munere fungi h. l. credunt, a שׁוּט *circuitare*, dictum illum opinati. Ceterum et in hac *Satanae*

Digitized by Google

mentione, serioris aetatis, qua libri hujus Prologus sit consignatus, argumentum detexisse quidam sibi visi sunt. Videlicet *Satanae*, mali daemonis, notionem Hebraeos demum ex Chaldaeorum philosophia adscivisse, inde colligunt, quod Satanae nomen eo sensu in libris solum post reditum ex exilio conscriptis usurpatum reperitur, quum in antiquioribus scriptis illud numquam ita ponatur, sed appellative *adversarium* denotet. Quibus tamen recte jam reposuit J. D. Michaelis in *Epimetro ad Lowthii Praelect. XXXII.* p. 681. „Audax profecto et periculosum est, in tanta librorum Hebraicorum paucitate definire de singulis vocabulis, quo quaeque eorum significatio tempore orta sit: atque, ut de hoc ipso nomine loquar, facile accidere potuit, ut ab omni jam retro aetate spiritus rebellis Hebraeis Satanas diceretur, et tamen nuspiam in libris sacris hoc ejus nomen occurreret, quia rara ac paene nulla in illis daemonum rebellium mentio.“ Sane existere spiritus malevolos, humano generi infensos, vetustissima opinio est, populis longe plurimis, praesertim Orientis, fere communis, ut minime sit mirandum, in libro, ad finem vergentis regni Judaici, uti verisimile, aevo scripto hujusmodi daemonis mentionem fieri. Incongruum quidem alieni videri possit, in media coelitum concione malum daemonem comparere, Deumque cum illo sermones miscere. Sed observandum, Satanam non minus, ac ceteros coelestes spiritus, Dei imperio obnoxium esse, atque ex ejus jussis pendere (*cf.* 2, 1. ubi Satanas pariter ac בְּנֵי אֱלֹהִים coram Deo לְהִתְיַצֵּב *λειτουργεῖν* dicitur). Utitur Jova hujus daemonis ministerio vel ad supplicia exsequenda, vel quum quacunque alia ex causa ei visum sit, hominibus mala immittere. Ille vero, quantumvis mortalium generi infensus, nocendique cupidus, tamen catena quasi revinctus describitur, ac ne attingere quidem pios ausurus unquam, nisi frena laxante Deo. Considerare certe, et attentius Jobum circumspectare potuit Satanas orbem perambulans, laedere autem, venia hujus rei necdum concessa, non potuit.

7. מְשׁוּט בָּאָרֶץ וּמֵהִתְהַלֵּךְ בָּהּ *A vagando per terram et circumeundo in ea.* שׁוּט *discurrere*, ut conson. Arab. verb., vid. Num. 11, 8. 2 Sám. 24, 2. 8. Non alio autem, nisi malo animo, nocendique cupido orbem pervagari Satanam, et unusquisque intelligit ipse, et satis apparet ex his, quae proxime narrantur. Chaldaeus haud male: *a circumeundo in terra ad pervestigandum opera hominum.* Similiter in Zoroastris Vita (vid. *Zendavesta*, von J. G. Kleuker, Vol. III. p. 11.) malorum daemonum mortiferus princeps, *Engremeniosch* nomine, orbem terrarum longe lateque pervagari dicitur, eo consilio, ut, quocunque possit modo, bonis omnibus adversaretur atque noceret.

8. הֲשַׂמְתָּ וגו׳ *Num attendisti ad servum meum, Jobum?* שׂוּם לֵב *ponere cor super s. ad aliquid* valet *diligentius attendere, observare*, vid. Ex. 9, 21. (ubi cum אֶל construitur), Hagg.

Digitized by Google

1, 8. 7. Alexandrinus: *προσέσχες τῇ διανοίᾳ σου;* et Vulgata vetus: *animadvertisti?* Hieronymus: *numquid considerasti?*

9. הַחִנָּם *Num gratis?* ex sincero corde et amore? et non potius propter suum commodum timet Jobus Deum? Q. d. non tam tuae voluntati, quam suis commodis servit, mercenarius est, non ingenuus tui cultor.

10. Jam subjicit Satanas, quaenam sint, propter quae Jobus serviat Deo, beneficia nimirum divina, quae hic invidiosissime commemorat. שַׂכְתָּ בַעֲדוֹ *Sepsisti* (cf. verbum Hos. 2, 8. et simile infra 3, 23., nec non nomen מְשׂוּכָה cum גָּדֵר *maceria*, junctum Jes. 5, 5.) *circa eum* (ut Thr. 3, 7. גָּדַר בַּעֲדִי *sepsit circum me*), inaccesso quasi munimento obseptum eum protegis. Syrus: *tu obtexisti manum tuam super eum.* Quod Arabicus interpres bene sic reddidit: *tu custodisti eum manu tua.* מִסָּבִיב *A circuitu*, circumquaque. Pendet adhuc a verbo שַׂכְתָּ. — מַעֲשֵׂה יָדָיו *Opus manuum ejus*, i. e. omnia ejus negotia, ut Deut. 2, 7. Hag. 2, 14. — וּמִקְנֵהוּ פָּרַץ בָּאָרֶץ *Et greges ejus diffuderunt se per terram.* מִקְנֵהוּ *Possessio*, i. e. greges *ejus*, vid. ad Vs. 3. פָּרַץ propr. *prorupit*, i. e. immensum exerevit et auctum ita est, ut quasi intra septa contineri non possit. Metaphora ducta ab aquis et fluviis, obicem perfringentibus et late effusis, vid. 2 Sam. 5, 20. פֶּרֶץ מָיִם *ruptura aquarum.* De multitudine longe lateque sese diffundente nostrum verbum usurpatur quoque Gen. 28, 14. 30, 30. 43. Ex. 1, 12. Alexandrinus: *καὶ τὰ κτήνη αὐτοῦ πολλὰ ἐποίησας ἐπὶ τῆς γῆς.* Vulgata vetus: *et pecora ejus multa fecisti super terram.* Hieronymus: *et possessio illius crevit in terra.*

11. וְאוּלָם שְׁלַח־נָא יָדְךָ וְנֹגַע כָּל־אֲשֶׁר־לוֹ *Verum emitte, quaeso, manum tuam, et tange omne quod ei est*, quaecunque possidet. *Manum emittere* in aliquid, h. l. in malum usurpatur pro: manum extendit, ad laedendum aut percutiendum, ut saepius, velut Exod. 3, 20. 9, 15. 1 Sam. 24, 6. 10. 22, 17. Ps. 55, 21. Pariter נָגַע h. l. designat *tetigit damnum inferendo*, ut infra 2, 3. Gen. 26, 11. Ps. 105, 15. Am. 9, 5. — אִם־לֹא *Num non?* vide, annon te abdicarit? Vel: tum hoc vel illud mihi facito, *si non* rel. Cf. Jos. 14, 9. Jer. 22, 6. Alexandrinus et Vulgatus: *ἢ μήν, certe*, ut Hebr. 6, 14. — עַל־פָּנֶיךָ *Contra faciem tuam*, quasi in os tuum, non amplius corde tantum, sed abjecta omni Numinis reverentia, *palam* profitebitur, vanum esse, Deo servire, ut illi Mal. 3, 14. Adfert haec phrasis *contemtionem*, et quasi insultationem in os, coll. infra 21, 31. De יְבָרֶכְךָ *valedicturus*, s. renunciaturus est, *tibi*, vid. not. supra ad Vs. 5.

14. Nomen בָּקָר *boves*, collectivum et epicoenum, jungitur adjectivo feminino חֹרְשׁוֹת, cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 711. no. 2. עַל־יְדֵיהֶם A. Schultens reddit *super manibus fuit*, quod explicat: *more solito*, prout assueverant, quomodo Esr. 3, 10. 2 Chr. 29, 27.

Digitized by Google

עַל־יְדֵי דָוִיד *ex instituto a Davide more* significare ait. Alii: *in locis suis*, s. pascuis sibi designatis, quum יד haud raro *spatium, tractum, locum* denotet, ut Num. 2, 17. *Tentoria fixerunt quisque* עַל־יָדוֹ *loco suo;* cf. Deut. 2, 37. 23, 13. Sed עַל־יְדֵיהֶם h. l. denotat: *juxta eos*, sc. boves (quod generale s. epicoenum est, mares et feminas notans, ut diximus), quo sensu saepissime haec phrasis occurrit, vid. Ex. 2, 5. Jud. 11, 26. 2 Sam. 15, 2. 18, 4. Neh. 3, 2. Ita et veteres omnes.

15. וַתִּפֹּל שְׁבָא *Et irruit Scheba*, i. e. irruerunt Sabaei. De iis vid. Prolegomm. §. 4. Veterum plerique nomen שְׁבָא pro appellativo habuerunt, *praedonum turbam* significante, a שָׁבָה *captivum abduxit.* Alexandrinus: καὶ ἐλθόντες οἱ αἰχμαλωτεύοντες, Vulgata vetus: *et venerunt hostes;* Syrus et Arabs: *irruerunt turmae.* Sed recte Hieronymus tamen: *Sabaei*, quocum consentit Alexandrinus in Complutensi et Antverpiana editione: ἐπέπεσεν Σαβά. Ad constructionem, qua verba feminina תִּפֹּל et תִּקַּח nomini שְׁבָא junguntur, notandum, quod nomina regionum, quae feminina esse solent, per metonymiam pro ipsis populis usurpantur, cf. Ps. 114, 2. Jes. 21, 2. Proxime tamen usurpat verbum plurale הָרְגוּ, respiciendo ad viros turmae, non ad nomen gentis. נְעָרִים *pueri*, i. e. servi, pecorum custodes, *pastores*, ut Vs. sequ. Alexandrinus, Vulgata vetus, Syrus et Arabs verterunt.

16. עוֹד זֶה מְדַבֵּר *Adhuc isto loquente*, ut 1 Reg. 1, 14. 22. — אֵשׁ אֱלֹהִים *Ignis Dei*, i. e. fulgur, cf. Num. 16, 35. 1 Reg. 1, 10. 12. Jes. 29, 6., quod Graecis quoque διὸς πῦρ et διὸς πῦρ dicitur. Cf. Glassii *Philolog. S.* p. 47. ed. Dath.

17. Pro nomine כַּשְׂדִּים Alexandrinus et vetus Vulgata posuerunt appellativum ἱππεῖς, *equites*, forsan quod equites venerunt, ut solent, qui excursiones faciunt. Syrus vero et Arabs recte: *Chaldaei.* Erant Arabiae desertae confines, testibus *Ptolemaeo*, L. V. c. 20., *Strabone*, L. XVI. p. 767., *Plinio*, L. VI. c. 28. שָׂמוּ שְׁלֹשָׁה רָאשִׁים *Disposuerunt*, constituerunt (ut Jos. 8, 13.) *tria capita*, i. e. agmina, tres turmas aut cohortes, quae *capita* dicuntur, quando singulae se hosti objiciunt, eumque adgrediuntur, sicut *capita* in quibuscunque animalibus, cf. Jud. 7, 16. 20. 9, 34. 1 Sam. 11, 11. 13, 17. Alexandrinus recte ἀρχὰς τρεῖς, vetus Vulgata: *tres ordines*, Aquila: τάγματα τρία. Chaldaeus: *constituerunt tres turmas.* Syrus et Arabs: *diviserunt se in tres partes.* Hieronymus: *Chaldaei fecerunt tres turmas.* וַיִּפְשְׁטוּ עַל־הַגְּמַלִּים *Et diffuderunt se in camelos.* Verbum פָּשַׁט *excoriavit* (Lev. 1, 6. Mich. 3, 3.), *spoliavit, exuit* vestibus, opibus (Hos. 2, 2. Mich. 2, 8. Job. 19, 9. al.), ubi cum עַל construitur, notat *irruere* vel *diffundere sese in aliquem* vel *in aliquid spoliandi causa*, *ad spolia agenda grassari;* ita 1 Sam. 23, 27. פָּשְׁטוּ פְלִשְׁתִּים עַל־הָאָרֶץ *Philisthaei ad spolia agenda grassantur per terram.* Cf. 1 Sam. 30, 1. 14. Nah. 3, 16. Bene

Digitized by Google

h. l. Syrus et Arabs: *irruerunt in camelos.* Hieronymus: *et invaserunt camelos.*

18. עֹד eandem h. l. significationem, quam עוֹד Vs. 16. 17., i. e. *dum* habet, ut 1 Sam. 14, 19. Jon. 4, 2.

19. *Et ecce! ventus ingens venit* מֵעֵבֶר הַמִּדְבָּר *ab ultra desertum*, s. *ab ulteriore parte deserti (über die Wüste her)*, ut 1 Paral. 12, 36. 2 Paral. 20, 2. Alexandrinus: ἐκ τῆς ἐρήμου, Vulgata vetus: *a deserto.* Hieronymus: *a regione deserti.* Desertum intelligendum est Arabicum, austrum versus, Jobo versus septentrionem et Euphratem habitante. E quibus desertis australibus etiam alias in V. T. vehementiores procellae oriri dicuntur, vid. Jos. 21, 1. Jerem. 4, 11. 13, 24. Hos. 13, 15. וַיִּגַּע מֵאַרְבַּע *Et tetigit* vehementissimo impetu, *concussit*, uti Vulgatus posuit, *quatuor angulos domus*, in quibus maxime firmitas aedificii consistit.

20. וַיָּקָם אִיּוֹב *Surrexitque Jobus.* קוּם *surgere*, h. l. significatione *aggrediendi agendum aliquid*, ut 2 Sam. 13, 31. Jon. 3, 6. usurpatur. Quomodo et Arabes consonum suum verbum usurpare solent in formula illa vulgari קאמת תנוח *surrexit plangere*, pro *coepit plangere.* וַיִּקְרַע אֶת־מְעִלּוֹ *Conscidit pallium suum*, pro more non Orientalium solum, vid. Gen. 37, 34. Jos. 7, 6. Esth. 4, 1., verum Graecorum etiam et Romanorum; vid. Livium 1, 13., Suetonium in *Jul. Caes.* 33. Cf. Jahn *Bibl. Archäologie*, T. I. P. II. p. 557. מְעִיל *Vestis exterior*, pallium, Gen. 37, 34., vid. Jahn l. c. p. 92. — וַיִּגֵּז אֶת־רֹאשׁוֹ *Totondit caput suum*, aliud luctus signum, vid. Jerem. 7, 29. Mich. 1, 16. *Olympiodorus* in Nicetae Catena ad h. l: *Nam* illi populi *quibus comam nutrire ornamentum erat, luctus tempore se radebant; contra, quibus tondere decorum ducebatur, illi cum in squalore luctuque jacerunt, comam nutriebant et capillorum molestiam ferebant.* Sunt, qui verbo גָּזַז *evellendi* notionem tribuant, ut verba nostra contracte sint posita pro וַיִּגֵּז אֶת־שְׂעַר רֹאשׁוֹ *evulsit capillum capitis sui.* Verum גָּזַז non *evellere*, sed *tondere* significare, ex usu linguae dialectisque cognatis probavit Bochartus in *Hieroz.* P. I. L. II. C. 45. T. I. p. 537. sqq. edit. Lips. Et comarum tonsionem in luctu non minus receptum fuisse, quam evulsionem, plurimis veterum testimoniis ostendit idem Bochartus l. c. p. 539. וַיִּפֹּל אַרְצָה *Procidit humi*, ut Josua fecisse legitur animi moerorem declarandi causa 7, 6.

21. עָרֹם יָצָתִי מִבֶּטֶן אִמִּי *Nudus exivi ex utero matris meae.* יָצָתִי pro יָצָאתִי, tertia radicalis exspiravit, ut in וַיִּרְמְּ pro וַיִּרְמָּאוּ Jer. 8, 11., ad formam quiescentium tertia *He*, ut מָלְאּ, pro מָלְאוּ Ex. 18, 16. Similem sententiam expressit Plinius Prooemio L. VII. *Hist. Nat. Hominem natura tantum nudum, et in nuda hunc, natali die abjicit ad vagitus etatim et ploratum.*

Digitized by Google

וְיָשׁוּב שָׁמָּה *Et nudus revertar illuc.* שָׁמָּה referendum ad verba מִבֶּטֶן אִמִּי, quae autem primum *propriе* de *utero materno*, tum *metaphorice* de *gremio terrae*, dici apparet, communi mortalium matre, quae, dicente VARRONE, omnes gentes *peperit*, et denuo *resumit*, coll. Gen. 3, 19. Coh. 5, 14. 12, 7. Recte igitur Chaldaeus addidit: *ad domum sepulchri.* Et sicut Davides Ps. 139, 15. *uterum matris* vocat חַשְׁכֵּי אֶרֶץ *infima terrae*, sic vicissim Jobus infra 17, 14. *patrem s.* genitorem suum sepulcrum dixit, quod nos mortuos instar matris suscipit. יְהוָה נָתַן וַיהוָה לָקַח *Jova dedit*, quae mihi fuerunt (cf. 1 Paral. 29, 14.), *et Jova cepit*, adeoque non nisi quod suum est repetiit. יְהִי שֵׁם יְהוָה מְבֹרָךְ *Nomen Jovae sit benedictum*, laudetur. Est hic oppositio inter *scopum diaboli*, qui erat, ut Jobus Deo malediceret, et *eventum rei*, quo Jobus Deo gloriam et laudes tribuit.

22. בְּכָל־זֹאת *In omnibus his* dictis et factis suis. Sed Alexandrinus: *ἐν τούτοις πᾶσι τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ*, et Vulg. vetus: *in omnibus his, quae contigerunt ei.* וְלֹא נָתַן תִּפְלָה לֵאלֹהִים *Nec dedit*, tribuit, *insulsum* quid *Deo.* תִּפְלָה proprie *cibum insipidum* significat, *cui vel sal vel alia aromata desunt ad conditurum* (coll. Arab. تفل *minime fragranti odore fuit*, speciatim *propter defectum aromatum*), ut חָפַל infra 6, 6., hinc omne omnino *absurdum, ineptum, insulsum*, quo significatu hoc ipsum nomen Jer. 23, 13. et infra 24, 12., cognatum autem תָּפֵל Thr. 2, 14. (cum שָׁוְא *vanum* junctum) usurpatur. Nostram autem phrasin alii sic explicant: non adscripsit Deo quicquam vitiosi inconditive, nihil in Dei viis et rationibus tanquam insulsum ac minus sapiens taxavit. Alii, verbo נָתַן *edendi, emittendi ex ore* significata accepto (ut נָתַן קוֹלוֹ *edidit vocem suam*, Prov. 2, 3. 8, 1.), negari autumant, Jobum aliquid insulsi, absurdi et Deo indigni, aut corde concepisse, aut ore emisisse adversus Deum. Ita haec phrasis sensu parum differret ab ea, quae infra 2, 10. occurrit: לֹא־חָטָא אִיּוֹב בִּשְׂפָתָיו *non peccavit Jobus labiis suis.* Sic Veterum plerique. Hieronymus: *neque stultum quid contra Deum loquutus est.* Chaldaeus: *neque ordinavit verba, ut peccaret coram Domino.* Syrus et Arabs: *nec impia verba contra Deum profudit.* Sed priorem illum sensum expressit Alexandrinus: *καὶ οὐκ ἔδωκεν ἀφροσύνην τῷ Θεῷ*, quod in Vulgat. vet. redditum: *et non dedit insipientiam Deo.*

C. 2, 1. וַיְהִי הַיּוֹם וַיָּבֹאוּ וגו׳ *Factumque est die quodam, ut venirent* rel.; cf. ad 1, 6. 7.

3. וְעוֹדְנוּ מַחֲזִיק בְּתֻמָּתוֹ *Et adhuc ille firmiter tenet integritatem suam*, s. *innocentiam suam*, ut Vulgatus; secus ac in calumniabaris, 1, 9—11. וַתְּסִיתֵנִי בּוֹ לְבַלְּעוֹ חִנָּם *Tu vero persuadere voluisti ad absorbendum eum frustra*, tu me instigare voluisti, ut eum perderem sine causa, immerito. Verbum בָּלַע

Digitized by Google

absorpsit, *deglutiit*, h. l. traductum ad *omnium fortunarum ruinam*, ut et alias *perdendi*, *destruendi*, *abolendi* significatu usurpatur, quia quae absorbentur et deglutiuntur, ea tolluntur, perduntur, vid. 2 Sam. 20, 19. 20. Thr. 2, 2. 5., ubi cum verbo שָׁחַת jungitur. Bene Hieronymus: *tu autem commovisti me adversus eum, ut afflígerem illum frustra.* חִנָּם *Frustra*, i. e. immerito, sine causa, nihil tale commeritum, ut infra 9, 17. Ps. 35, 7. 19.

4. עוֹר בְּעַד־עוֹר *Cutem pro cute*, sc. יִתֵּן *dabit*, quod ex altero membro subaudiendum, quo proverbialis hujus formulae sensus satis declaratur. עוֹר *Cutis* h. l. pro toto corpore, ut infra 16, 15. 18, 13. 19, 26. *Cutis pro cute* erit igitur: alienum corpus pro proprio, quemadmodum Ex. 21, 23. in illo נֶפֶשׁ תַּחַת נֶפֶשׁ *vita pro vita*, pariter vita propria et aliena sibi invicem opponuntur. Et nostro loco in altero membro prius declarante sequitur: *cuncta, quae habet homo, dabit* בְּעַד נַפְשׁוֹ *pro vita sua.* Quare בְּעַד־עוֹרוֹ dictum pro בְּעַד־עוֹר, et prius עוֹר *alienam cutem* significabit; sensu non diversum ab כֹּל אֲשֶׁר לָאִישׁ. Formulae hujus adagialis igitur haec erit mens: quivis facile aliena pelle, i. e. corpore sustinet redimere propriam salutem, nec pellem tantum boum, camelorum, mancipiorum, sed et filiorum, si casus ita ferat, facile pro pelle propria amittit. Bene Ephraemus: *pellem pro pelle, pellem scilicet pecorum, quin et filiorum*, dabit pro pelle propria. Innuit igitur Satanas, Jobum pro suo ipsius amore, nondum sensisse de suo quicquam periisse, et bene cum illo actum, quod ipsemet sospes et incolumis manserit; sed si ipse impetatur, non aequo animo laturum, verum illico maledicturum Deo, et vitam fore illi longe pietate carlorem: itaque si plane convinci debeat, se Jobum injuste accusasse, alio documento nunc opus esse, ut Jobus in suo corpore adfligatur. Chaldaeus nomen עוֹר *συνεκδοχικῶς* pro *membro* accepit, vertit enim: אֵבְרָא אֲמָטוֹל *membrum pro membro.* Unde hausta illa nostrae formulae explicatio, Hebraeis fere recepta; homo ne omnia membra quidem aeque cara habet, quin minus ignobilioris jactura alterum redimeret, quanto magis igitur omnia, quae extra corpus suum habet, pro vita sua dabit.

5. וְגַע אֶל־עַצְמוֹ vid. 1, 11. אוּלָם שְׁלַח־נָא יָדֶךָ *Et tange ad os* s. ossa *ejus*, et בְּשָׂרוֹ *carnem ejus*, pro toto corpore. Aliis עַצְמוֹ est quasi Pronomen, *ipsummet*, ut infra 21, 23. Gen. 7, 13. 17, 23. 26.

6. הִנּוֹ בְיָדֶךָ *Ecce illum in manu tua*, i. e. permitto eum tuae potestati. אֶת־נַפְשׁוֹ שְׁמֹר *Animam*, vitam *ejus custodi*, i. e. serva, ut recte Hieronymus. Jarchi: „*custodi animam ejus*, ut ne exeat," i. e. nolo vitam ei eripias. *Servare* igitur hic dicitur *animam*, qui non perdit, ut *vivificare* (חָיָה), qui vitam non adimit, Ex. 1, 17. Num. 31, 15. 18.

Digitized by Google

7. וַיַּךְ אֶת־אִיּוֹב בִּשְׁחִין־רָע *Percussitque* Satanas *Jobum ulcere malo*, quod Deut. 28, 27. 35. de ulceribus leprae et elephantiasis ponitur (vid. not. ad ea loca), quo quidem morbo laborasse Jobum, ex locis passim in nostro poemate occurrentibus (praesertim 7, 4—6. 13, 14. 29. 16, 14—16. 22. 17, 1. 18, 13. 19, 17. 19. 20. 26. 23, 17. 30, 10. 17—19. 27—30.), collatis cum veterum et recentiorum medicorum commentariis fuse ostendit J. D. MICHAELIS in *Isagog. in Vet. Testam.* §. 10. p. 56. sqq. Fuit autem elephantiasis turpissimus, dolorificus, molestissimus ac detestabilis morbus, immedicabilis ex veterum sententia, ut vitae pertaesi nil praeter mortem sperare aut optare elephantiaci dicantur. מִכַּף רַגְלוֹ וְעַד קָדְקֳדוֹ *A planta pedis ejus et usque ad verticem ejus*, de eodem morbo Deut. 28, 35. dicitur. Aretaeus Cappadox in libro *περὶ αἰτίων καὶ σημείων ὀξέων καὶ χρονίων πάθων* L. II. p. 70. ed. Boërhav. elephantiasin describens: *ὄγθοι ἐπανιστάμενοι ἄλλοι παρ' ἄλλους, tumores alii juxta alios exsurgunt.*

8. In elephantiasis initio intolerabilis persentiscitur prurigo, ut a fricando manus et ungues abstinere nemo possit. Aretaeus l. c.: *Γόνασι κνησμοὶ καὶ τῶν κνησμῶν ἅπτονται μεθ' ἡδονῆς. Genua pruriunt, pruritus cum voluptate scalpitur.* Hinc narratur Jobus sumsisse sibi חֶרֶשׂ *testam*, לְהִתְגָּרֵד בּוֹ *ut se ea scaberet.* Habent hodie in Oriente manum eburneam, aut alia materia constantem, qua se scabunt, ut docet CHARDINIUS *Itiner. Pers.* T. II. p. 342. edit. in quat. Et Clericus in not. ad h. l. Amstelodami et Ultrajecti hujusmodi manus eburneas, ex India adlatas, se vidisse asserit. Attamen et olim, apud Romanos, tale instrumentum usitatum novimus ex Apophoretis MARTIALIS, qui Lib. XIV. Epigr. 84. de scalptorio, sive manu sic: *Defendet manus haec scapulas, mordente molesto. Pulice, vel si quid pulice sordidius.* Ideo forte Jobus, eo instrumento destitutus, testa sese radebat. Quod autem dicitur: וְהוּא יֹשֵׁב בְּתוֹךְ־הָאֵפֶר *et ipse sedens* erat *in medio cineris*, id more graviter lugentium et afflictorum fecit, vid. Jes. 47, 3. 58, 5. Jer. 6, 26. Ez. 27, 30. Jon. 3, 6. Quem lugendi modum etiam inter Graecos usitatum fuisse constat ex *Odyss.* H. Vs. 153. 160., ubi poeta Ulyssen ex naufragio in Ithacam dejectum dicit sedisse *ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι, ad focum in cineribus.* Alexandrinus בְּתוֹךְ־הָאֵפֶר *ἐπὶ τῆς κοπρίας* reddidit, quod sequuta Vulgata vetus: *in stercore*, et Hieronymus: *in sterquilinio.* Quo tamen illi nomine non tam fimetum videntur voluisse indicare, quam potius locum ignobilem et immundum, quod, ubi jacuit Jobus, ibi ex sanie ac tabe madebat solum, putridae carnis frustis foede constratum. Similiter *fimeti* nomine infima fortunae conditio significatur Ps. 113, 6. 7. 83, 11. 1 Sam. 2, 8. Et apud Homerum (Iliad. X. 414.) Priamus Hectorem lugens *κυλινδόμενος κατὰ κόπρον* dicitur. Ceterum quod post *ἐπὶ τῆς κοπρίας* in Alexandrina et Vulgata vetere additum

Digitized by Google

legitur ἔξω τῆς πόλεως, *extra civitatem*, inde ortum, quod ex lege Mosaica leprosi extra castra atque civitatem ejiciendi essent, vid. Lev. 13, 46. 2 Reg. 15, 5. 2 Paral. 26, 21.

9. עוֹדְךָ pro הֲעוֹדְךָ *Num tu adhuc?* subaudito He interrogativo, ut 1 Sam. 22, 1. (al. 21, 16.) Jes. 47, 13. מַחֲזִיק בְּתֻמָּתֶךָ vid. Vs. 3. Verbis בָּרֵךְ אֱלֹהִים וָמֻת *benedic Deo et morere*, aliqui hunc sensum tribuunt: *lauda Deum, et morieris*, quae verba acrem et acerbam continerent ironiam, qua uxor violenter et callide maritum suum exulceret et pungat, respiciens ad Jobi verba 1, 21. יְהִי שֵׁם יְהוָה מְבֹרָךְ, q. d. i nunc, et in laudando Deo persevera stulte, quando nihil jam tibi reliquum est, nisi ut miserum hunc spiritum, quem aegre ducis, tandem exhales! Praestat tamen, cum veteribus omnibus verbum בָּרַךְ eodem h. l. *valedicendi* significatu capere, quo ter quaterve superius Vs. 5., et 1, 5. 11. aderat, *ut valere jubeas Numen* nihil sit aliud, quam, exsolvas te cura religiosa, qua hactenus Deum tanquam virtutis remuneratorem, et scelerum vindicem suspexisti, quandoquidem nihil aliud, nisi mors exspectandum tibi restat. Ceterum haec uxoris verba in Alexandrina et Vulgata vetere mirum in modum amplificata sunt. Unde vero Alexandrinus interpres hanc laciniam hauserit, ut et ceteras, quas Hebraeo textui passim adsuere ausus est, difficile dictu.

10. כְּדַבֵּר אַחַת הַנְּבָלוֹת *Secundum loqui* (Infinitivus nominascens, ut Jes. 59, 13.) *unius stultarum*, i. e. ut loqui solet stulta et impia quaedam femina. Eadem loquendi formula 2 Sam. 13, 13. תִּהְיֶה כְּאַחַד הַנְּבָלִים, et 2 Sam. 6, 20. אַחַד הָרֵקִים *unus nebulonum.* נָבָל *Stultus*, saepe dicitur de homine profano et impio, ut Ps. 14, 1., ubi not. vid. גַּם pro הֲגַם *etiamne?* subaudito He interrogativo, ut Vs. 9. et 1 Sam. 22, 7. Designat haec particula utriusque membri, quod sequitur, aequalitatem, et ex aequo bonorum et adversorum auctorem colendum esse Deum dicat, q. d. itane vero Deum coluerimus, quum nos fortunaret, nunc vero, quum malis nos adficit, ab eo deficiemus?

11. הַבָּאָה *Quod venit*, est Praeteritum *Cal*, cum praefixo He relativo, ut Gen. 18, 21. 21, 3. 46, 27. — אֱלִיפַז הַתֵּימָנִי *Eliphas Themanites*, i. e. ex familia vel regione Themanitarum. Utroque hoc nomine Eliphas gente *Idumaeus* fuisse significatur. *Eliphas* enim nomen fuit Esavi filii natu maximi, Gen. 36, 4. 10. 11. 15. *Theman* vero illius Eliphasi filius, vid. l. c. Vs. 11. 15. Quum igitur Theman Esavi s. Edomi fuerit nepos, factum, ut *Theman* et *Edom* regiones interdum aequipolleant, vid. Jer. 49, 7. Ez. 25, 13. Obad. Vs. 8. 9.; et Huscham, rex Idumaeorum, fuit Themanites מֵאֶרֶץ הַתֵּימָנִי, ut notatur Gen. 36, 34. Videtur autem poeta Eliphasum assignare illi Idumaeae parti, quae proxima fuit Arabiae desertae (cujus pars terra Uz fuit), si non pars illius, orientem versus. Fuit enim *Theman* vicina *Bozrae* civitati, in confinio terrae Moabitidis, Jerem. 48, 14. Hinc eae civitates ob

Digitized by Google

vicinitatem conjunguntur Jer. 49, 7. 13. Am. 1, 12. sqq. Quod autem Eliphasum, qui in iis, quae sequuntur, concertationibus cum Jobo primas semper partes agit (unde et omnium nomine Dei censuram excipit Job. 42, 7.), Idumaeum fecit poeta, id non videtur casu aut mero arbitrio ab illo factum. Nam Idumaeos, ac speciatim Themanitas, sapientiae fama claruisse, Jeremiae (44, 7.), atque Abdiae (Vs. 8.), prophetarum, testimonio constat; Baruchus etiam hos τοῖς μυθολόγοις καὶ τοῖς ἐκζητηταῖς τῆς συνέσεως adnumerat, 3, 22. 23. — בִּלְדַּד שׁוּחִי *Bildad Suchites*, dictus a *Suacho* (שׁוּחַ), uno ex filiis Abrahami et Keturae, Gen. 25, 2. Suchitas aliqui eosdem putant, qui apud Graecorum geographos *Sauchitae*, *Saccaei*, quorum regio *Saccaea*, incolae Arabiae desertae, vicini Agubenis, Agraeis, Ausitis. Ptolemaeus Lib. V. c. 15. *Βαταναίας χώρας, ἧς ἀπ' ἀνατολῶν ἡ Σαυκαία, καὶ ταύτης τὸ Ἀλσάδαμον ὄρος οἱ Τραχωνῖται Ἄραβες.* — צוֹפַר הַנַּעֲמָתִי *Zophar Naamathides*. Hunc quidam ortum existimant *Naama* (נַעֲמָה), urbe tribus Judae, Jos. 15, 21. 41. Vix tamen credibile est, ad illam urbem recte referri Zopharem. Longius enim ea distabat a deserta Arabia et confinibus australis Mesopotamiae, ubi sedisse Jobum demonstravimus Prolegg. §. 4. Intelligenda igitur alia Naama, vel urbs, vel regio; qualis vero, nemo facile definiverit. Multae et variae interpretum ea de re exstant conjecturae, sed pleraeque incertae atque inanes, nec dignae, quibus recensendis hic immoremur. וַיִּוָּעֲדוּ יַחְדָּו *Convenerant* enim *ipsis*, s. inter ipsos *simul*, communicatis inter se consiliis ac tempore indicto. לָבוֹא לָנוּד לוֹ *Ut venirent ad condolendum ei.* Verbum נוּד Hebraeis, Chaldaeis et Arabibus *movere*, *huc illuc agitare*, significat; sed constructum cum Dativo est *condolere*, *complorari*, ut infra 42, 11. Jerem. 22, 10., forsan ab agitatione et commotione capitis, quae condolentium est gestus naturalis.

12. Formula וַיִּשְׂאוּ אֶת־עֵינֵיהֶם *sustulerunt oculos suos*, adhibetur in rebus gravioribus quae cum fortiore quadam animi commotione advertuntur, vid. e. c. Gen. 13, 10. 43, 29. Num. 24, 2. al. — מֵרָחוֹק *E longinquo*, eminus, sub primum sc. adspectum, ea tamen distantia, qua prius Jobum facile agnovissent. A. Schultens illud מֵרָחוֹק existimat ad exaggerandam Jobi calamitatem positum, qui tam foedis ulceribus diffluerat, tam tetrum quoque exhalaret odorem, ut *procul* horrorem incuteret, neque quisquam propius ad eum accedere auderet, metu contagionis. Talis scena instruitur Ps. 38, 12., ad quem loc. cf. not. Huc faciunt Aretaei verba, quibus suam descriptionem hominis elephantiasi adfecti concludit: *Tales quum sint, quis non aufugiat? aut quis non aversetur, licet filius, aut pater, aut etiam germanus frater sit, quum metus sit, ne morbus communicetur.* וַיִּזְרְקוּ עָפָר עַל־רָאשֵׁיהֶם חַשָּׁמָיְמָה *Pulverem super capita sua jaculati sunt coelum versus*, more lugentium, vid. Jos. 7, 6.

Digitized by Google

2 Sam. 13, 19. Ez. 27, 30. Thren. 2, 10. Act. 22, 23. Hic vero gestus dolentium, pulverem coelum versus super capita jaculandi, eo spectasse videtur, ut inde tanquam tristi nebula ac nube capita sua cooperta jacere testarentur. Eodem ritu et Achilles Patrocli sui mortem plorasse describitur Iliad. Σ. 22.

13. וַיֵּשְׁבוּ אִתּוֹ לָאָרֶץ *Sederunt apud eum humi*, more lugentium, vid. 2 Sam. 12, 16. Jes. 3, 26. Thr. 2, 10. — שִׁבְעַת יָמִים וְשִׁבְעַת לֵילוֹת *Septem diebus et septem noctibus*, quot dies solennis luctus etiam apud Hebraeos erant, coll. Gen. 50, 10. 1 Sam. 31, 13. 1 Paral. 10, 12. Ez. 3, 15. Sic. 22, 12. וְאֵין־דָּבָר אֵלָיו דָּבָר *Nec quisquam loquebatur ad eum verbum;* quod de ejusmodi videtur intelligendum esse sermonibus, quales exactis illis septem diebus habuerunt, in quibus plurimum fuit acerbitatis et fellis, quum illi exprobrarint insolentes spiritus, impietatem in Deum, et illa omnia, quae multis longisque disputationibus continentur. Nam quum Jobum talia viderent pati, qualia ante eum nemo, persuadebant sibi, peccatorum illum poenas luere. Cur autem nullum verbum eousque objurgatorium emiserint, ratio redditur satis idonea, כִּי רָאוּ כִּי־גָדַל הַכְּאֵב מְאֹד *videbant enim, dolorem esse vehementem.* Quare inhumanum putabant, illum aspero exulcerare sermone, quem tam videbant excruciari vehementer.

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 3.

Cum diu Jobus silentium tenuisset, tamen septimo ab amicorum adventu die illud tandem rumpit, dira exsecratione diem suum natalem detestando. Optat se non natum esse, et beatos praedicat, qui aut in maternis visceribus extincti sunt, aut qui cum primum emerserunt in lucem, periere. Deinde quot sint in morte commoda, quamque illa desiderari soleat et debeat, eleganti oratione describit.. — Capitis hujus Versus decem priores singulari Dissertatione illustravit CAROL. AURIVILLIUS, in Ejus *Dissertatt.* junctim editt. a J. D. Michaelis p. 320. sqq. Totam vero hanc Jobi declamationem germanice versam notisque illustratam a C. GUIL. JUSTI reperies in *Memorabill.* a H. E. G. Paulo editt. Part. V. p. 147. sqq.

1. אַחֲרֵי־כֵן *Postea*, i. e. post exactum septidui spatium, 2, 13. וַיְקַלֵּל אֶת־יוֹמוֹ *Exsecratus est diem suum*, i. e. diem natalem, ut supra 1, 4., ubi not. vid. Syrus: *et maledixit die, in qua natus erat.*

2. וַיַּעַן אִיּוֹב *Et loquutus est Jobus.* Verbum עָנָה, quod proprie *respondit* denotat, saepe dicitur de eo, qui orditur sermonem, etiamsi nulla interrogatio praecesserit, vid. Deut. 26, 5. 27, 14.

3. יוֹבַד יוֹם אִוָּלֶד בּוֹ *Pereat dies, quo sum natus!* Utinam numquam extitisset! Nunc, quia extitit, habeatur eo loco, ac si numquam fuisset, deleatur memoria ejus! Nam *perire* dicitur, cujus memoria non amplius superest. Simile illud Statii: *excidat illa dies aevo!* Neque an tale quid fieri posset, laborandum est: nam qui in dolore sunt, aut graviori aliquo concitati affectu, multa dicunt aut cogitant, quae rerum natura non patitur. Id quod in tota hac Jobi declamatione tenendum est. Vel possit futurum יֹאבַד verti in plusquamperfecto Conjunctivi, sensuque optandi, *utinam periisset!* Sic infra 10, 18. אֲגוֹעַ וְעַיִן לֹא־תִרְאָנִי *utinam exspirassem, nec adspexisset me oculus!* Ante אִוָּלֶד subaud. Pronomen relativum אֲשֶׁר, ut proxime ante אָמַר, et infra

Digitized by Google

Vs. 16. Ps. 51, 10. 84, 6. — וְהַלַּיְלָה *Et nox illa* sc. יֹאבַד, cf. Vs. 6. Ante אָמַר non pauci subaudiunt בַּאֲשֶׁר *in qua* nocte *dixit* subint. *dicens*, i. e. qua dictum est; impersonali loquendi formula, ut Gen. 48, 1. וַיֹּאמֶר לְיוֹסֵף *et dixit Josepho*, sc. aliquis, i. e. dictum ei fuit. Vid. 1 Sam. 19, 21. 2 Sam. 16, 23. Ita Alexandrinus: ἡ εἶπαν, Vulgata vetus et Hieronymus: *in qua dictum est*, quod et habet Syrus Arabsque. Simplicius tamen non solum, verum et magis poeticum: *nox*, quae *dixit*, i. e. quae nuntia fuit nativitatis meae, prosopopoeia et infra Vs. 10. 30, 17. Ps. 19, 3. usurpata. Similia ex Arabibus larga manu dedit A. Schultens in Commentar. ad h. l. Veluti *dies insidiator*, i. e. dies, quo malum ipsis insidiatur. Item *dies sanguinem fundens*, ad quam formulam Tebrizi, Commentator in Hamasam: *quod ipsi diei tribuitur effusio sanguinis, est minus proprie dictum, quia in eo id acciderat.* Ex antiquis interpretibus huc referri possit Chaldaeus, qui וְלֵילְיָא דַאֲמַר *et nox quae dixit* vertit, nisi is הַלַּיְלָה pro nomine proprio habuisset angeli, conceptui hominum, ex Judaeorum daemonologia a Deo praepositi, cui illud nominis, quod conceptus plerumque noctu sit. Vid. Buxtorfii *Lex. Chald. Talmud.* p. 1140. Unde factum, quod in Veneto, Buxtorfiano et Londinensi Chaldaei interpretis textu ante וְלֵילְיָא haec verba legantur: וּמַלְאָכָא דִי מְמַנֵּי עַל עִבּוּר *et angelus, qui praefectus est conceptui*, quae tamen ab Antverpiensi textu absunt. הָרָה *Conceptus*, i. e. progenitus, natus. Nam הָרָה quandoque est, per metonymiam antecedentis pro consequente, *procreare*, ut 1 Paral. 4, 17. וַתַּהַר אֶת־מִרְיָם *peperit Mariam*, unde הוֹרִים *progenitores*, proavi, Gen. 49, 26., Aben-Esra observante. Hinc Chaldaeus h. l. אִתְבְּרָא *creatus est* vertit. *Creare* autem in lingua Chaldaica est *gignere*, ut Virgilius (*Aeneid.* X. 705.): *regina creat Parin.* Nequaquam tamen absonum foret, verbi הָרָה significatum usitatum *concipiendi* retinere, ita ut non solum natali diei male imprecetur Jobus, sed etiam nocti, qua primum mater se concepisse didicit; ut significaret inauspicatam fuisse noctem illam, in qua conceptus est. גֶּבֶר *Vir*, i. e. mascula proles. Hieronymus: *homo*, quo sensu generaliori hoc nomen infra Vs. 23. 4, 17. 10, 5. 14, 14. occurrit. Ceterum omnem hanc natalis exsecrationem imitatus est Jeremias 20, 14–18. Mire etiam cum Jobi sensu colludunt duo Ovidii loca, in quorum altero vir dolens et miser male accepit diem suum natalem, quod toties advenerit, et vitam, quam dedit, faciat esse diuturnam Lib. III. *Tristium*, *Eleg.* XIII. Vs. 1. sqq.: *Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nasci?) Ad sua natalis tempora noster adest. Dure, quid ad miseros veniebas exsulis annos? Debueras illis imposuisse modum. Si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset, Non ultra patriam me sequerere meam. Quoque loco primum male sum tibi cognitus infans, Illo tentasses ultimus esse mihi.* In altero, *Epist. ad Ibin* Vs. 209. sqq. talem dicit fuisse natalem diem, qualem Jobus optat fuisse suum: *Natus*

Digitized by Google

es infelix (ita Dî voluere), nec ulla Commoda nascenti stella, levisve fuit. Lux quoque natalis, ne quid nisi triste videres, Turpis, et inductis nubibus atra fuit. Sedit in adverso nocturnus culmine bubo, Funereoque graves edidit ore sonos. Similes sunt Versus, quibus diem natalem exsecratur Naser Davud, princeps Mohammedanus, qui medio Seculo XIII. nostrae aerae Palaestinae partem tenuit, quum Franci suas excursiones usque ad Neapolin protendebant. Leguntur in ABILFEDAE *Annall.* T. IV. p. 560. a Reiskio Latine sic reddita: *O utinam mansisset mea mater innupta, totam per aetatem suam, nunquam a domino meo* (Deo) *hero viroque destinata! O utinam, quandoquidem Deus eam destinaverat principi cordato, prudenti, puro et suavi, tam quoad ramos* (affines), *quam quoad radicem* (majores et patres); *Destinasset eam saltim unam earum esse, quas steriles, ut nunquam audivisset laetum nuncium de foetu a se prodito, seu masculo, seu sequiore! Aut, quandoquidem utero me gerebat, utinam infelice partu et onus et animam excussisset!*

4. הַיּוֹם הַהוּא יְהִי־חֹשֶׁךְ *Dies ille* meus natalis (Vs. 3.) *sit caligo!* s. o si fuisset caligo! (vid. not. ad יֹאבַד Vs. 3.) o si nunquam extitisset! Dies certe omnis expers lucis, totus mersus tenebris, idem erit ac nullus. Videtur explicatio esse illius, quod dixerat *pereat!* Quem sensum et bene expressit Hieronymus: *vertatur in tenebras;* nam ubi versus erit in tenebras, non amplius dies erit, sed potius nox. Verba אַל־יִדְרְשֵׁהוּ אֱלוֹהַּ מִמַּעַל A. Schultens hoc modo interpretatus est: *non inveniat eum Deus desuper*, i. e. ut numquam talis dies extitisset! „Dies, qui numquam extitit," ait Schultens, „ne ab ipso quidem Deo, si eum quaerat, posset *inveniri*, ac *investigari*." Verum praeterea quod nimis subtile est hoc interpretamentum, maxime illud ei obstat, quod verbum דָּרַשׁ *inveniendi* significatu nusquam occurrit, nec Jes. 65, 1., quem locum solum Schultens ad stabiliendam illam significationem adducere potuit, multo minus Ps. 111, 2., quem locum Aurivillius addidit. Cf. nott. ad loca laudd. Hebraei dupliciter haec verba interpretantur, vel: *non requirat eum*, i. e. non curet, favore suo et hilari vultu non prosequatur eum, ut quicquam laeti eo accidat, sed infaustus sit omnibus, qui in eo die fuerint, ut de terra Israel Deut. 11, 12. dicitur, quod Deus *eam requirat*, i. e. favore suo prosequatur. Vel, *non requirat*, ut scilicet luce eum collustret more aliorum dierum, ut inter dies non habeatur; qui sensus robur accipit tum ex verbis, quae proxime sequuntur, tum ex addito מִמַּעַל, *desuper*, *ex alto*, quia lucis copia, qua fit dies, in tellurem, humiliorem circumfuso aere solisque radiis, e superiori tractu advenit. Cf. Jes. 45, 8. — וְאַל־תּוֹפַע עָלָיו נְהָרָה *Nec splendeat super eum lux*, Hieronymus: *non illustretur lumine.* Nomen נְהָרָה etsi hoc unico V. T. loco de *diurna luce* occurrat (ut Chaldaicum נְהוֹרָא Dan. 2, 22.), non tamen est, cur

Digitized by Google

dubitemus, nomen fuisse Hebraeis, vivente lingua, usitatum, quum verbum נָהַר *splendendi*, *lucendi* notione Jes. 60, 5. Ps. 34, 6. reperiatur, vid. not. ad loc. posteriorem. Chaldaeus h. l. שְׁפַרְפָּרָא *auroram*, *diluculum* vertit, nam tunc incipit dies splendescere.

5. יִגְאָלֵהוּ חֹשֶׁךְ וְצַלְמָוֶת *Foedent eum caligo et umbra mortis!* Verbum גָּאַל quum sit notione duplici praeditum, *vindicandi* altera, altera *polluendi;* duplex inde nata est locum nostrum interpretandi ratio. Prima haec: *Vindicent*, occupent, afforant sibi *eum* (quasi jure propinquitatis; vid. Lev. 25, 25. Ps. 119, 154.), vel: utinam sibi vindicassent, s. occupassent illum tenebrae! Ita Symmachus: *ἀντιποιήσαιτο αὐτῆς*, *vindicent eam sibi.* Et Theodotion: *ἀγχιστευσάτω αὐτὴν*, *jure propinquitatis redimat.* Eandem notionem haud dubie spectavit Alexandrinus: *ἐκλάβοι αὐτὴν*, *excipiant eam*, ut Vulgata vetus reddidit. Verum praestat altera interpretandi ratio: *contaminent*, s. *utinam* contaminassent *illum!* Verbum גָּאַל i. q. Chaldaicum גְּעַל *inquinari*, *pollui* (ex cognatione Gutturalium אהחע horum primam, *Aleph*, nonnumquam et in *Ain* transformari constat), unde Mal. 1, 7. לֶחֶם מְגֹאָל *panis pollutus*, et Thr. 4, 14. נִגְאֲלוּ בַדָּם *polluti sunt sanguine.* Hinc h. l. Chaldaeus: וְיַסְנְנוּן יָתֵיהּ *coinquinent eum*, Aquila: *μολύναι*, *contaminet.* Hieronymus sensum generaliori verbo expressit: *obscurent eum*, itidemque Syrus et Arabs: *operiat eum.* De צַלְמָוֶת *umbra mortis*, i. e. tenebrae densissimae, vid. not. ad Ps. 23, 4. תִּשְׁכֹּן־עָלָיו *Habitet*, i. e. maneat *super eo*, incumbat ei, sive: utinam mansisset super eo! עֲנָנָה forma feminina nominis עָנָן *nubes*, hoc unico loco obvia. Densae atraeque nubis caliginem denotari, docet res ipsa. Alexandrinus: *ἐπέλθοι ἐπ᾽ αὐτὴν γνόφος*, Vulgata vetus; *veniat super illum caligo.* Hieronymus: *occupet eum caligo.* עֲנָנָה ab Aquila *νέφωσις*, *nubilum*, a Symmacho *ἀχλύς*, *caligo*, a Theodotione *συνεφία*, *nubium collectio* redditum. וִיבַעֲתֻהוּ כְּמְרִירֵי יוֹם *Terreantque eum atrores diei!* Nomen כְּמְרִירֵי referendum est ad כְּמַר, quod convenit cum consono Syriaco verbo, *tristatus*, *contristatus*, *moestus est*, unde כְּמִירָא *moestus*, *tetricus*, *atratus*, et Thren. 5, 10. עוֹרֵנוּ כְּתַנּוּר נִכְמָרוּ *pelles nostrae instar furni atratae sunt.* Hinc כְּמְרִיר significat *atrorem*, ut *atrores diei* sint tenebrae densissimae. Nomen est formae חַכְלִיל, שַׁפְרִיר, repetitâ tertiâ radicali, significatus intendendi causa, nisi quod prima radicalis Vocali *Chirek ἀνωμαλῶς* enuntietur. Ab hac interpretatione non multum discedit Aurivillius, cui כְּמְרִירֵי יוֹם sunt *nigredines*, *quae diem quem demum cunque obruere queant maxime terribiles*, quibus significantur maxima infortunia, quae optet, ut venturus dies praevidisset et sensisset ante, iisque absterritus neutiquam accessisset. Alii ab *incalescendi*, *effervescendi* significatu, quem verbum כָּמַר Hos. 11, 8. 1 Reg. 3, 26. Gen. 43, 30. obtinet, כְּמְרִירֵי יוֹם interpretantur *aestus*, fervores *diei*, quibus ventum illum

Digitized by Google

urentem et haud raro hominibus letiferum, qui Arabibus שמום *Samum* i. e. *venenatus* dicitur, innui existimat. Quod tamen nescio annon inter diras hasce exsecrationes languidius sit. Interpretum plures מְרִירֵי referunt ad מָרַר *amarus fuit*, unde קֶטֶב מְרִירִי, Deut. 32, 24., ut Caph sit servile, מְרִירִים vero, *amaritudines*, sint *mala*, *infortunia*, quemadmodum Am. 8, 10. יוֹם מָר est *dies infaustus*, et Arabibus לילה אלמריר *nox amara*, nox summi infortunii. Hinc מְרִירֵי יוֹם *amari diei* erunt casus amari et acerbi diei, quae demum cunque diem reddunt tristem et infaustum. Molestum tamen ita est praefixum כְּ, quod quidem veritatis magis expressivum esse volunt, quam similitudini significandae inservire, ut Num. 11, 1. *fuit populus* כְּמִתְאוֹנְנִים *sicut moerentes*, i. e. moerens. Sed id huic loco minus commodum. Veteres tamen *amaritudinis* significatum expresserunt. Obad. 1, 11. *Tu quoque* eras כְּאַחַד *tanquam unus ex eis*, i. e. vere eras illorum in crudelitate socius. Ita Joh. 1, 14, *Gloria* ὡς μονογενοῦς, i. e. ὄντως, *vere unigeniti*. Vulgata vetus: *conturbent eum quasi amaritudines diei*, secundum Aquilae interpretationem: καὶ ἐκθαμβήσαισαν αὐτὴν ὡς πικραμμοί. Chaldaeus: *exterreant eum quasi amaritudines diei*. Hieronymus: *involvatur amaritudine*; non quod בִּמְרִירִים legit, sed quod sensum docte expressit. Observatu tamen non indignum, pro כִּמְרִירֵי in codd. quibusdam Rossianis בִּמְרִירֵי legi. מָרֵי נֶפֶשׁ sunt *exacerbati animo*, quasi h. l. significentur, qui vitae pertaesi diem mortis sibi exoptant.

6. הַלַּיְלָה הַהוּא *Noctem illam* quod attinet, sc. qua natus sum. Adhuc diei natali imprecatus est, nunc vero nocti, si ea natus est. Utrumque enim initio (Vs. 2.) proposuerat. יִקָּחֵהוּ אֹפֶל *Capiat* i. e. invadat et occupet *eam caligo*, sc. densa et horrida, nullo collustrata sidere. Unde Aquila: σκοτομηνία, *nox illunis*. אַל־יִחַדְּ בִּימֵי שָׁנָה *Ne gaudeat inter dies anni*, i. e. quod sit et habeatur inter dies anni. Sensum ei poetice tribuit. Alii יִחַדְּ vertunt *ne uniatur*, Chaldaeum sequuti, qui sic reddidit: *non aduniatur cum diebus bonis anni*. Sic etiam Symmachus: μηδὲ συναφθείη. Sed hoc ratio punctorum non patitur. Tunc enim scribendum fuerit יֵחַד, vel certe יִחַד (sine Dagesch in ד). Sic enim interdum, etiam non expresso Jod radicali, Futurum Kal quiescentium prima radicalis Jod habet Chirek sub literis praeformativis, maxime ubi Jod geminum scribi debuerat. Nunc autem scribitur יִחַדְּ, pro יִחְדְּ, forma apocopata, ex יִחְדֶּה ut וַיִּשְׁבְּ *et captivum ducebat*, pro וַיִּשְׁבֶּה. Litera Cheth vero cum Pathach effertur, utpote Gutturalis, quemadmodum pro שָׁמַעְתְּ, formae פָּקַדְתְּ, dicitur שָׁמַעַתְּ, duriuscule enim ע per Scheva traheretur. Referendum igitur nostrum יִחַדְּ ad verbum חָדָה *gavisus est*, unde similiter Ex. 18, 9. וַיִּחַדְּ יִתְרוֹ עַל כָּל־הַטּוֹבָה *gavisus est Jethro super omni bono*, et Piel תְּחַדֵּהוּ *exhilarabis eum*, Ps. 21, 7. Apud Chaldaeos et Syros verbum frequenter hoc significatu repe-

Digitized by Google

ritur. Demto poetico colore, quo gaudentis instar pingitur nox cupivisse, ut praesto esset in diebus anni, vertit Alexandrinus: *μὴ εἴη εἰς ἡμέρας ἐνιαυτοῦ*, *non sit in diebus anni*, ut Vulgata vetus habet. בִּימֵי שָׁנָה *In diebus anni.* *Dies* h. l. capiendum latiori sensu, quem vox יָמִים saepius admittit, *νυχθήμερα*, aut partes quascunque alias, quibus annus conficitur. בְּמִסְפַּר יְרָחִים אַל־יָבֹא *In numerum lunarum*, i. e. mensium (ut infra 7, 3. 29, 2. 39, 2. Ex. 2, 2.), qui apud Hebraeos lunares sunt, *non veniat*, q. d. e calendario, ut nos solemus dicere, deleatur. Sic quoque Alexandrinus: *μηδὲ ἀριθμηθείη εἰς ἡμέρας μηνῶν*, *neque numeretur in diebus mensium*, ut Vulgata vetus reddidit. Chaldaeus: *in numerum neomeniarum*, s. calendarum *non veniat.*

7. גַּלְמוּד proprie parentibus liberisve *orbum* videtur significare, vid. Jes. 49, 21., ubi גַּלְמוּדָה nomini שְׁכוּלָה jungitur. Hinc *desertum*, *solitarium*, vid. infra 15, 34. 30, 5. Quarum significationum vestigium leve deprehenditur in consona arabica voce, *saxum* denotans *durum et glabrum*, in quo viroris, nedum fructus, omnino nihil possit excrescere, sterile. Unde factum, quod A. Schultens nostrum locum sic reddidit: *ecce nox illa sit dura silice vastior*, quod nemini facile probetur. Nulla idonea est causa, cur rejiciamus Hieronymi interpretationem: *sit nox illa solitaria*, ut in ea scilicet homines non conveniant simul laetaturi, ut interdum solent; cui sensui bene congruit alterum hemistichium. Eodem sensu *nox* dicitur *sola* VIRGILIO *Aeneid.* L. VI. Vs. 268. *Ibant obscuri sola sub nocte per umbras*, *Perque domos Ditis vacuas et inania regna.* Talis enim solitudo moerorem inducit et horrorem. Vocis גַּלְמוּד significationem propriam bene expressit Syrus et ex eo Arabs: *nox haec sit orba*, i. e. desolata et solitaria, vacuaque hominibus, omnique animanti. Nisi fortasse intellexerit sterilem, prolis omnis expertem, ita ut nulla in ea audiatur vox laeta ob infantem recens natum. Subdit poeta: אַל־תָּבוֹא רִנָּנָה בּוֹ *non veniat in ea jubilus*, nulla laeta proclamatio, sit ita infausta nox, ut nulla in ea agitetur laetitia. רִנָּנָה ut רִנָּה, quod frequentius occurrit, *jubilum* significat a רָנַן, de quo vid. not. ad Ps. 33, 1. Alexandrinus רִנָּנָה duplici voce, *εὐφροσύνη* et *χαρμονή*, expressit, nisi sint duae interpretationes conjunctae. Legitur tamen jam in vetere Vulgata: *nec veniat jucunditas neque gaudium in ea.* Hieronymus: *nec laude digna*; ut Ps. 61, 1. רִנָּתִי idem *laudationem meam.* *Laude* is significat cantum laetum, ut quo Dei beneficia celebrantur. Syrus quoque et Arabs *laudem* posuerunt.

8. יְקַבְּהוּ אֹרְרֵי־יוֹם *Exsecrentur eam*, sc. diem et noctem nativitatis meae, *maledictores diei.* יְקַבְּהוּ non referendum ad verbum קָבַב, ut factum a quibusdam, inductis loco Num. 23, 8. 25., ubi קָבַב et קָבָה *mala imprecari* significat, sed ad נָקַב, proprie *perforavit* (ut consonum arabicum verbum), unde metaphorice ad

Digitized by Google

loquelam translatum *aliquid nominatim exprimere et designare* notat. Qua in significatione accipitur tam in *bonum*, et praecisam designationem rei, e. g. mercedis, Gen. 30, 28., nominis, Num. 1, 17. Jes. 62, 2. al. indicat, quam in *malum*, et connotat *alicujus rei exsecrationem*, ubi nomen, vel fama alicujus malis dictis quasi perfoditur. Ita usurpatur de exsecratione avari, frumentum cohibentis et asservantis, Prov. 11, 26., iniqui judicis, ibid. 24, 24.; impii fortunati, infra 5, 3. אֹרְרֵי־יוֹם *Qui diem exsecrantur* aliqui putant esse tales, qui prae malorum gravitate vitam suam exsecrantur, et se diris devovent. Hi יוֹם pro יוֹמוֹ *natali suo* positum volunt. Sed quum altero Versus hemistichio certum hominum genus designetur, tale sine dubio et in hoc priore intelligendum. Significantur divini et harioli, aliique ejusmodi veteratores, qui suis imprecationibus efficere posse praedicarent, ut sors felicior infeliciorve, fausti infaustive dies, nunc advocarentur, nunc abigerentur, et qui mercede ad hoc conducebantur, ut maledicerent iis diebus, in quibus inimici aliquid moliebantur, ne quid eo die ex votis succederet. Quale exemplum habemus Num. 22., ubi Balacus, rex Moabitarum, Bileamum hariolum mercede conduxit, ut populo Israelitico malediceret, a qua imprecatione putabat illius populi vires infirmatum iri. הָעֲתִידִים עוֹרֵר לִוְיָתָן *Parati*, i. e. promti, exercitati, *suscitare Leviathanem*. לִוְיָתָן ceteris omnibus, quibus legitur, V. T. locis, beluae, veluti *crocodili*, ut infra 40, 25. (al. Vs. 20.) Jes. 27, 1. Ante Infinitivum Pilel עוֹרֵר subaudiendum praefixum לְ, quod post עֲתִיד alias Nomini aut Infinitivo praemitti solet. Iis vero, qui periti sunt suscitare Leviathanem, significantur *Crocodili*, seu ingentis draconis cujusvis est nomen. Vid. Bochart *Hieroz.* T. III. p. 737. sqq. edit. Lips. Et sic h. l. לִוְיָתָן, praeter Chaldaeum, acceperunt ceteri veteres tantum non omnes. Magis probari possint, qui de illo hominum genere cogitant, qui suis artibus dracones et serpentes excantant, et e suis latibulis evocant, eo consilio, ut in unum locum coactos tollant. Quod pertinet ad describendam magnitudinem operum, quae ab istis incantatoribus perpetrari possunt. Quare sensus est hic: utinam istum diem meum natalem diris devoverent peritissimi quique in hac exsecrandi arte.

9. יֶחְשְׁכוּ כּוֹכְבֵי נִשְׁפּוֹ *Obscurentur stellae crepusculi ejus!* Optat, ut stellae crepusculi, noctem illam inchoantis, delinquant, lucemque suam amittant, quasi horrentes noctem diram et infaustam. Alii utrumque crepusculum, tam vespertinum, quam matutinum indicari putant, ut nox ista adeo sit obscura, ut statim ab occasu solis ingruant densissimae tenebrae, eamque a crepusculo vespertino usque ad ortum plenum solis occupent. Quum נֶשֶׁף et ipsam noctis obscuritatem significet (vid. Jes. 5, 11. 59, 10., et infra 24, 15. coll. Prov. 7, 9., ubi אִישׁוֹן לַיְלָה *nigredo noctis*, respondet נֶשֶׁף in priori hemistichio); sunt, qui malint hoc

Digitized by Google

ad totam noctem referre, ut nulla omnino in ea sit stellarum lux aut splendor. Omnem astrorum lucem et speciem obscurari vult ab illius inauspicatae noctis densa caligine. Sic et Alexandrinus: σκοτωθείη τὰ ἄστρα τῆς νυκτὸς ἐκείνης, *tenebrescant sidera noctis illius*, ut Vulgata vetus reddidit. Hieronymus: *obtenebrentur stellae caligine ejus.* Subaudiit ante נִשְׁמַת praefixum ב, nec id quidem male. Sed quis non sentiat, *crepusculi* mentionem esse magis poetica et elegantius? יְקַו־לְאוֹר וְאַיִן *Exspectet lucem et non* sit, aeternis offundatur tenebris, ut numquam adveniat dies. Aeternam optat esse noctem illam, cui nulla succedat dies, cujus splendore depulsis tenebris aliquid aeger animus habeat moeroris levamentum. וְאַל־יִרְאֶה בְּעַפְעַפֵּי־שָׁחַר *Nec videat palpebras aurorae*, i. e. radios, qui sub auroram emicare solent; nunquam eam excipiat aurora. Hieronymus: *neque* (videat) *ortum surgentis aurorae.* Radii aurorae *palpebris* comparantur ob eorum celerem vibrationem et crispationem, vel, quod micet tantum in aurora per radios lux solis, ut si aliquis per palpebrarum pilos videat, non apertis plene oculis. Ita et Sophocles in *Antigone*, Va. 103. 4. Ἐφάνθης πότ' ὦ γουνὰς Ἀμέρας βλέφαρον. *Apparuisti tandem, o aurorae dei palpebra!*

10. Causam subjicit, cur tempori suo natali tam dira imprecetur. כִּי לֹא סָגַר *Quia non conclusit*, dies scilicet et nox, qua nasciturus eram, huic enim causam suorum omnium malorum, in quibus nunc versetur, tribuit, ut Prov. 27, 1. *dies* aliquid *parere* dicitur. דַּלְתֵי בִטְנִי *Ostia ventris mei*, quod Aben-Esra de umbilico intelligit, per quem in utero matris foetus alimentum recipit. Ita jam Chaldaeus: *quoniam non clausit valvas forium mearum*, *quae sunt ostia ventris mei*, i. e. matris meae. Recte Hieronymus: *ostia ventris mei*, *qui portavit me.* Eodemque sensu Alexandrinus: ὅτι οὐ συνέκλεισε πύλας γαστρὸς μητρός μου, *quia non conclusit portas ventris matris meae*, ut Vulgata vetus reddidit. וַיַּסְתֵּר עָמָל מֵעֵינָי *Et* quod non *abscondit molestiam ab oculis meis.* Subaudienda est ex priori hemistichio negandi particula, quasi esset וְלֹא הִסְתִּיר *neque abscondit* עָמָל *laborem*, i. e. aerumnam (ut 11, 16 Jer. 20, 18., cf. infra Vs. 20. 5, 6. 7.), מֵעֵינָי *ab oculis meis*, ne eam nunc viderem, ne in his nunc angustiis versarer. Ita Hieronymus: *nec abstulit mala ab oculis meis.* Alii, non subandita negandi partieula, sic vertunt: *abscondisset* a meo conspectu aerumnas has tam graves, videlicet si ventrem maternum clausisset ille dies meus natalis, si non essem natus. Ita Alexandrinus: ἀπήλλαξεν γὰρ ἂν κόπον (al. πόνου) ἀπὸ ὀφθαλμῶν μου, *abscondisset enim laborem ab oculis meis*, ut vetus Vulgata reddidit. Neque Chaldaeus vel Syrus particulam לא expresserunt. Quod ad phrasin ipsam, *velari* dicitur *aliquid ab oculis*, quod plane e conspectu tollitur, et aboletur. Eadem plane formula Jes. 65, 16. *Oblivioni datae sunt angustiae prio-*

Digitized by Google

res, וְנִסְתָּרוּ מֵעֵינָי *et absconditae ab oculis meis.* Cf. et Hos. 13, 14.

11. לָמָּה לֹּא מֵרֶחֶם אָמוּת *Quare non ex utero mortuus sum?* O utinam statim cum natus sum mortuus essem! מֵרֶחֶם *Ex utero*, alii: statim ab exitu ex utero (coll. infra 10, 18.), alii: ab eo tempore, quo eram adhuc in utero matris, interpretantur. Posteriore sensu accepit Jeremias, qui, nostrum locum aperte imitatus, 20, 14. sqq., Vs. 17. exclamat: *quod non necavit me ab utero* (מֵרֶחֶם), *ut mater mea fuerit sepulchrum meum, ejusque uter* fuerit *gravidae in aeternum.* Hinc Hieronymus: *quare non in vulva mortuus sum?* Et Alexandrinus: διατί γὰρ ἐν κοιλίᾳ οὐκ ἐτελεύτησα; quod Vulgata vetus sic expressit: *quare enim in ventre non obii?* Futurum אָמוּת, et post אֶגְוָע, positum pro Praeterito, in formula optativa, cf. not. supra ad Vs. 3. Ante alterum hemistichium repetendum est ex priore interrogatio לָמָּה לֹּא *cur non*, simulac מִבֶּטֶן יָצָאתִי וָאֶגְוָע *ex utero egressus sum*, statim *etiam exspiravi?* Bene Hieronymus: *egressus ex utero non statim perii?* Alterutrum optat, aut in utero matris exstinctum se fuisse, aut simulac inde egressus est. JUNIUS: „Hoc et sequenti Versu est vitae ineuntis detestatio, quatuor gradibus distincta: a tempore, quo gestatus est in utero; quo emersit ex utero; quo ab obstetrice exceptus est; et quo admota sunt ei ubera.“

12. מַדּוּעַ קִדְּמוּנִי בִרְכָּיִם *Quae praevenerunt*, exceperunt *me genua?* Verbum קָדַם generatim *anteivit, praevenit*, speciatim etiam *antevertere aliquem officio et beneficiis*, officiose alicui occurrere, significat, ut Deut. 23, 5. Neh. 13, 2. Ps. 21, 4. Ita hic Jobo genua dicuntur *officiose obvenisse*, quando se ei, ex utero materno prodeunti, subjecerunt, eumque, ne in terram caderet, exceperunt. בִּרְכַּיִם *Genua*, alii intelligunt *obstetricis*, quae foetum ex utero recens exeuntem excipit, alii *patris*, coll. Gen. 50, 23. וּמַה־שָּׁדַיִם כִּי אִינָק *Et quid* s. *quare ubera* matris sc. me exceperunt, *quod sugerem* ea? Quare ubera suxi, quum exstingui statim mihi satius fuisset? מַה pro לָמָּה *quare*, ut infra 7, 21. 15, 12. Thr. 39. Ad שָׁדַיִם repetendum קִדְּמוּנִי *obvenerunt mihi*, praesto affuerunt, כִּי אִינָק *quod sugerem*, s. *ut sugerem*, כִּי pro לְמַעַן, ut infra 6, 11. 7, 17. 15, 14.

13. כִּי *Nam* eo pacto, si factum esset, quod modo optavi, si numquam lucem vidissem, aut cum luce prima exstinctus essem. שָׁכַבְתִּי *Decumberem* sc. in sepulchro mortuus. Verbum שָׁכַב usitatum de *decubitu quieturi*, somnumve capturi (Jes. 56, 10. Prov. 3, 24.), saepe ad eos transfertur, qui in sepulchro mortui jacent, ut Ps. 88, 6. שֹׁכְבֵי קֶבֶר *decumbentes in sepulchro.* Cf. infra 7, 21. 21, 26. וְאֶשְׁקוֹט *Et quiescerem* haud jactatus hujus vitae miseriis. יָשַׁנְתִּי *Dormirem* somno mortis. אָז יָנוּחַ לִי *Tunc quies esset mihi*, expers tot ac tantarum, quae me obruunt, aerumnarum.

Digitized by Google

Modus potentialis hoc Versu nunc per Praeteritum, nunc per Futurum exprimitur, שָׁכַבְתִּי *jacui*, i. e. jacerem, et mox אֶשְׁקוֹם *quiescam*, i. e. quiescerem, inde ad Praeteritum redit, יָשַׁנְתִּי, denique ad Futurum, יָנוּחַ לִי.

14. עִם מְלָכִים וְיֹעֲצֵי אֶרֶץ *Cum regibus et consiliariis terrae* scil. mortuus quiete dormirem in sepulchro. יֹעֲצֵי אֶרֶץ *Consiliarii*, s. ut Hieronymus vertit, *consules terrae* sunt consiliarii regum et principum, penes quos sunt gubernacula, moderatores et gubernatores rerum. Quo sensu יוֹעֵץ et inter splendida illa nomina comparet, quibus magnus rex Jes. 9, 5. celebratus, insignitur. Bene Syrus et Arabs: *principes terrae.* חֹבְנִים חֳרָבוֹת לָמוֹ *Qui aedificant solitudines*, loca deserta, *sibi*, in nominis sui famam. Significari putant plures interpretum principes, qui in locis desertis, quae nulla spes erat unquam cultum iri, sumtuosas aedes excitant et magnifica palatia, quibus famam suam ad posteros propagent. Alii splendida palatia, quae ruinae futura sint, Jobum per sarcasmum *loca vastata* vocare existimant. Mitto conjecturas plures alias, quas in Scholiis uberioribus recensuimus et expendimus. Quidnam vero Hebraeis significet *vastata exstruere*, non est divinandum, sed ex linguae usu eruendum. In quo quidem eo minus est difficultatis, quo frequentius phrasis בְּנוֹת חֳרָבוֹת *aedificare vastata* occurrit, veluti Jes. 58, 12. 61, 4. Ez. 36, 10. 33. Mal. 1, 4., quibus locis omnibus nulla est dubitatio significari ea loquutione *res collapsas* et *ruina dejectas resuscitare* ac *resurgere facere.* Quo vero pertineat nostro loco mentio *regum et principum*, *qui ruinam restaurant sibi*, i. e. in usum, vel, ut famam suam ampliarent, et ad posteros propagarent (cf. Gen. 11, 4.), rationes alii comminiscuntur alias. Plerique autumant *mortis conditionem aequalem* insinuari, regum turres pauperumque tabernas aequo pede pulsantis. Alii statuunt, tacitam his verbis removeri objectionem, quod si ab utero mortuus fuisset, caruisset vitae bonis, quibus usus fuerat. Negare ergo Jobum, haec esse bona solida, sive honor spectetur summus, in titulis principalibus, sive voluptas maxima, in palatiis exstruendis, sive divitiae opesque (Vs. seq.). Hisce enim bonis omnes in morte spoliari, et qui eis numquam usus sit, non minus tranquillum esse, quam qui omnia ista possederunt. Nihil tamen horum scopo ac seriei satis videtur accommodatum esse. Videntur potius certi quidam vetustioris aevi reges principesque potentissimi designari, qui, dum viverent, arces urbesque collapsas restaurabant, ut inde sibi gloriam immortalem pararent, quippe palatia incredibili auri copia refertissima possidebant (Vs. seq.). Qui quidem reges quinam et quales fuerint, hodie frustra aliquis anquirat, nec illud scire multum attinet. Satis est nosse, pro *hominibus jam longe olim mortuis* universe ac generatim, quibuscum quietus dormire optabat, nostrum, ut poetam decet, per synecdochen speciatim singu-

Digitized by Google

larem aliquem hominum ordinem nuncupare, et quidem certos quōsdam reges, multis ante tempestatibus fato functos, quorum memoria in hominum sermonibus ac mentibus tunc adhuc haerebat. Horum igitur sorti eo nomine invidet, quod illi dulci jamdudum quiete fruantur; dum ipsi cum acerbissimis miseriis sit conflictandum.

15. אוֹ עִם־שָׂרִים — זָהָב *Aut* cubarem (Vs. 13.) *cum principibus*, *quibus aurum* erat (subaud. relativum אֲשֶׁר ad שָׂרִים), et *qui replebant domos suos argento*. Multa de hoc ritu e variis scriptoribus ad h. l. congessit Pineda, additque A. Schultens de Arabibus priscis idem annotatum se reperisse. Cf. Ed. Pocockii Nott. ad *Specim. Hist. Arab.* p. 154. sq.

16. אוֹ כְנֶפֶל טָמוּן *Vel* essem *sicut abortivum abditum*, in utero scilicet matris, ubi extinguitur. Chaldaeus: *aut sicut abortivum, quod absconditum est in ventre.* Alexandrinus: ἢ ὥσπερ ἔκτρωμα ἐκπορευόμενον ἐκ μήτρας μητρὸς, *aut tanquam abortivum prolapsum de vulva matris*, ut Vulgata vetus reddidit. Accurate expressit nominis נֶפֶל significationem, vid. not. ad Ps. 58, 9. — לֹא אֶהְיֶה *Non essem* in rerum natura, non viverem. *Esse* dicitur qui vivit, et contra *non esse* mortuus est, ut Jer. 31, 15. *Rachel plorans filios suos* כִּי אֵינֶנּוּ *quia non sunt*, non sunt in vivis. Gen. 42, 13. וְהָאֶחָד אֵינֶנּוּ *et unus non ipse*, i. e. מֵת *mortuus est*, ut ipsi fratres loquuntur 44, 20. Cf. Ps. 103, 16. Lactantius *Institt.* L. III. C. 17. *Quando nos sumus, mors non est; quando non sumus, mors est.* עוֹלָלִים h. l. non tam *infantes*, *pueros* notare, ut alias, sed foetus, qui nondum ad maturitatem pervenerunt, ostendit additum לֹא־רָאוּ אוֹר qui *non viderunt lucem*, non fuerunt nati. Bene Hieronymus: *vel qui concepti non viderunt lucem.* Sunt, qui hujus Versus initio interrogationem repetant, hoc modo: *aut cur tanquam abortivum non eram?* etc., ut trium unum optet, aut e matris utero numquam prodiisse, sed ibi suffocatum se fuisse; aut, simulac prodiit, extinctum esse, aut ne unquam quidem in utero matris vixisse se, ut *tanquam abortivum* fuerit, quod in utero animam s. vitam non habuit. Sed malim priorem sensum, ut נֶפֶל *abortivum* sit, quod animam in utero materno habuit, sed ibi postea mortuum est. Et quia duo initio (Vs. 10. 11.) proposuerat, vel in utero matris mori, vel quum primum ex utero prodiit; praecedentia *Nunc jacerem et quiescerem cum regibus* etc. pertinebunt ad posterius: si statim editus diem suum obiisset (Vs. 11.). Hoc autem, quod hic dicitur, prioris erit explicatio: vel certe abortivis similis essem, non fuissem scilicet inter homines, hanc lucem non adspexissem.

17. Tribus sequentibus Vss. causam praecedentium affert, cur sibi melius esset, aut jam inde a matris utero mori, aut simulac in hanc lucem prodiit. Quia qui decesserunt, omnibus

Digitized by Google

hujus vitae molestiis soluti et liberi sunt; qua immunitate jam suavissime frueretur, ab his tantis, quae nunc patitur, malis liberatus. שָׁם *Ibi*, inter mortuos, Vs. 11., vel in sepulchro, cujus mentio implicita est Vs. 13., q. d. ibi, inquam, ubi dixi, quod quieturus fuissem. רְשָׁעִים nonnulli hic denotare volunt *irrequietos, jactatos*, continuo motu metuque agitatos, a primaria verbi רָשַׁע significatione, *turbari*, oppositum רָשׁ שָׁקַט *fidit* (vid. infra 34, 29. 1 Sam. 14, 47., et cf. not. ad Ps. 1, 1.). Verum quemadmodum in duobus, qui proxime sequuntur, Vss. exactores et vincti, domini et servi, sibi invicem sunt oppositi, ita hoc quoque Versu poetam credibile est voluisse opponere oppressoribus oppressos, quod fit retenta vulgari interpretatione: *illic improbi cessant* a *commotione*, subaudito מ ante רֹגֶז, coll. constructione verbi חָדַל infra 7, 16. Prov. 23, 4., vel construe: *omittunt commotionem*, coll. Jud. 9, 9. 11. 13. Jes. 1, 16., i. e. desinunt alios commovere et vexare, orbem concutere et tremefacere. Possit vero et hoc sensu in nomine רְשָׁעִים primaria *turbandi* significatio spectari, ut tales proprie notentur, qui irrequieti sunt in turbandis aliis, et noctes ac dies in eo toti sunt, ut aliis molestiam creent, alios vexent et opprimant. Nomen רֹגֶז aliqui *timorem* explicant (ex notione verbi רָגַז, prae metu *tremere, expavescere*, Exod. 15, 14. Deut. 2, 25. al.), vertuntque *desinunt a timore*, quem aliis scilicet incutiebant. Sed praestat, hoc nomen *commotionis, inquietudinis, vexationis* notione h. l. accipere, qua ipsa infra Vs. 26., 14, 1. et Jes. 14, 3. occurrit, quo postremo loco ei junguntur tanquam synonyma עֹצֶב *dolor*, et הָעֲבוֹדָה הַקָּשָׁה *servitus dura*. Hinc Hieronymus: *ibi impii cessaverunt a tumultu*. Sed Alexandrinus: ἐκεῖ ἀσεβεῖς ἔπαυσαν θυμὸν ὀργῆς, quod vetus Vulgata reddidit: *ibi impii deposuerunt furorem suum*. Cepit רֹגֶז significatione *irae, furoris* (cf. verbum Prov. 29, 9.), qua ipsa infra 37, 2. commode capi potest. Eandem notionem, sed transitivo sensu expressit Syrus et Arabs: *nam ibi impii cessant ab eo, ut ad iram irritent*. In altero hemistichio verba יְגִיעֵי כֹחַ aliqui vertunt *labores roboris*, i. e. qui robur et vires hominum frangunt, et supra vires nonnumquam a miseris exiguntur. Alii: *labores violentiae* (כֹּחַ eadem significatione, qua Coh. 4, 1.), i. e. qui ab hominibus duris per imperium et vim imponuntur. Ac sane יְגִיעַ reliquis omnibus, quibus occurrit, locis est nomen substantivum. Verum interpretes antiqui unanimi consensu pro adjectivo ceperunt, ut יְגִיעִים sit pluralis Participii *Passivi*, s. Peil, יָגִיעַ, idem cum יָגֵעַ, quae est forma Participii alterius, 2 Sam. 17, 2. Coh. 1, 8. Utrumque notat *fatigatum, defessum*. Vertendum igitur: *et illic quiescunt fessi robore*, i. e. defecti viribus, quorum robur quasi defatigatum erat molestiis et vexationibus creatis ab improbis (רְשָׁעִים), qui hic immodice fatigati erant, illic suavissimam nanciscuntur quietem.

Digitized by Google

18. יַחַד *Simul*, pariter, sine discrimine omnes, ut Ps. 14, 3. 74, 6. 8. אֲסִירִים *Vincti*, qui e vinculis opus durum faciebant, ut qui ad metalla, aut aliam id genus duram servitutem et opus grave damnabantur, quibus assidue adstabat, qui opus ab illis severius exigeret, נוֹגֵשׂ *exactor*, ergodiocta, ut Ex. 3, 7. 5, 6. 10. Zach. 9, 8. Alexandrinus: φορολόγου, quod Vulgata vetus *exactoris* reddidit, nec aliter Hieronymus. Illo vero non tantum qui *tributa et vectigalia exigit*, sed omnis omnino, qui opera exigit, et moras castigat cessantium significatur. Aquila σὶς-πράσσοντος, Symmachus ἐπαναγκαστοῦ, *coactoris* reddidit. Syrus et Arabs: *qui eos ad servitutem* s. obsequium *adigit*. Exactoribus autem קוֹל *vox*, s. clamor tribuitur, quia multis clamoribus instabant, verbisque duris et imperiosis miseros vinctos terrebant. שָׁאֲנָנוּ *Tranquilli sunt*, securi, non ultra metuentes vincula duriora, in quibus hic tenebantur.

19. קָטֹן וְגָדוֹל שָׁם הוּא *Parvus et magnus illic est*, q. d. tam magni, quam parvi ex aequo illic sunt, tam qui celebres, nobiles, et magni, aut opulenti et potentes hic fuerant, quam qui obscuri, ignobiles, aut pauperes. וְעֶבֶד חָפְשִׁי מֵאֲדֹנָיו *Et servus liber est a domino suo*, jam ultra servire ei non cogitur. Notat omnium post mortem aequalitatem, quod scilicet attinet ad solutionem et immunitatem a malis praesentibus, neque honores aut opes, quibus in hac vita alii supra alios claruerunt, eos propterea ampliores aut majores illic reddere. Quum enim mors advenerit, ut cessat regum et potentiorum dominatus, et insolens ambitio, sic infirmorum et pauperum servilis et misera conditio. Idem dixit SENECA in *Consolatione ad Marciam*, Cap. 20. *Mors servitutem, invito Domino, remittit; haec captivorum catenas laxat, haec e carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Haec est, in quo nemo humilitatem suam sensit. Haec quae nulli pepercit, haec, quae nihil quicquam alieno fecit arbitrio. Haec, ubi res fortuna male divisit, et aequo genitos alium alii donavit, exaequat omnia.*

20. לָמָּה יִתֵּן לָעָמֵל אוֹר *Cur dat* scilicet Deus *aerumnoso lucem*, i. e. vitam, ut Vs. 16., i. q. חַיִּים in altero hemistichio. Sunt, qui יִתֵּן ad *diem natalem* referant, ut illud Vs. 10. *Quia non clausit ventris materni*, etc.; nec alienus est sensus. Sed malim jam Deum ipsum invidiose peti, etsi nomini ejus pareat, quasi cohibens sese, et in medio cursu ac indignationis aestu reprimens. Hieronymus: *quare misero data est lux?* Accepit יִתֵּן impersonaliter, subaudito לְמִי *dans*. עָמֵל *Laboriosus, laborans*, h. l. pro aerumnoso, ut infra 20, 22. Chaldaeus: לְלַאֲבָא *fatigato molestiis*. וְחַיִּים לְמָרֵי נָפֶשׁ Et cur *vitam* dat *amaris animo?* i. e. iis, qui prae miseria animo sunt acerbo, ac in perpetua animi moestitia? quibus omnia in hac vita omnium miseriarum sunt plenissima, ut et vitae eos prorsus taedeat, de quibus haec ipsa

Digitized by Google

phrasis et infra 21, 25. Jes. 38, 15. Prov. 31, 6., et de indignabundis Jud. 18, 25.

21. הַמְחַכִּים לַמָּוֶת *Qui exspectant mortem*, bene Alexandrinus: οἱ ἱμείροντας τοῦ θανάτου, et Vulgata vetus: *quae* (animae) *desiderant mortem*, וְאֵינֶנּוּ *nec est*, i. e. quae tamen sese non offert. Qui libenter morerentur, nec mori possunt. Verba וַיַּחְפְּרֵהוּ מִמַּטְמוֹנִים aliqui sic reddunt: *et qui effoderent eam ex latebris*, i. e. qui vel ex imis terrae latebris mortem scrutarentur et effoderent, si illic se putarent invenire posse. Eleganti sane et tragica figura hoc dictum foret, modo מַטְמוֹנִים *latebras* notaret. Sed locis ceteris omnibus quibus illud nomen occurrit, Gen. 43, 23. Jes. 45, 3. Jer. 41, 8. Prov. 2, 4., aperte *thesauros in terra abditos* (coll. Jos. 7, 21. 22.) significat, ut proinde sensus hic sit: qui studiosius effoderent mortem, quam thesauros in terra reconditos; quibus longe suavius fuerit mortem nancisci, quam amplos thesauros. Eundem in modum veteres. Alexandrinus: ἀνορύσσοντες αὐτὸν ὥσπερ θησαυρὸν, Vulg. vet.: *quaerentes eam tanquam thesaurum*. Hieronymus: *quasi effodientes thesaurum*. Chaldaeus: *et scrutantur eam magis, quam thesauros absconditos*. Syrus et Arabs: *quaerunt eam sicut thesaurum*.

22. הַשְּׂמֵחִים אֶלֹי־גִיל יָשִׂישׂוּ כִּי יִמְצְאוּ־קָבֶר *Qui laetantur ad exsultationem*, qui summopere laetantur, usque eo, ut prae laetitia exsultent, *gestiunt* (cf. Hos. 9, 1.), *quum invenerint sepulchrum*, si mori contingat; q. d. qui summopere gaudeant, ut etiam gestiant, si detur mori. Hieronymus: *gaudentque vehementer, si invenerint sepulchrum*.

23. Sub initium hujus Versus repetendum est ex Vs. 20. לָמָּה יִתֵּן אוֹר לְגֶבֶר אֲשֶׁר־דַּרְכּוֹ נִסְתָּרָה *cur dedit lucem viro cujus via* est *abscondita*, ut nesciat, quo se vertat prae copia malorum ingruentium, quamve viam aut agendi rationem ineat, qua ex malis evadat. וַיָּסֶךְ אֱלוֹהַּ בַּעֲדוֹ *Et circa quem Deus obsepsit*, s. *texit* (coll. Ex. 40, 21.), i. e. cui praeclusit viam e malis evadendi, aut ita eam texit undiquaque malis, ut nullus pateat exitus. Hunc enim esse horum verborum sensum apparet ex locis parallelis Thren. 3, 7. גָּדַר בַּעֲדִי וְלֹא אֵצֵא *circumsepsit me, ut egredi nequeam*, me sepe malorum obduxit et obstruxit; et Vs. 9. גָּדַר דְּרָכַי בְּגָזִית *circumsepsit vias meas lapidibus quadris*, ita ut effugium ex his malis non sit. Cf. Hos. 2, 8. et apud nostrum infra 12, 14. 19, 8., qui posterior locus prae ceteris conferendus, et haud dubie obversatus Chaldaeo, qui sic reddidit: *obumbravit circa eum Deus*; nec non Hieronymo: *et circumdedit eum Deus tenebris*.

24. Ratio omnium praecedentium, cur tanto studio mortem optet, et vitam oderit, ac exsecretur diem quoque aut noctem ortus sui. כִּי־לִפְנֵי לַחְמִי אַנְחָתִי תָבוֹא *Nam ante panem*, cibum,

Digitized by Google

meum gemitus meus venit, ingemisco quoties mihi cibus est sumendus, dum mihi in mentem mea venit miseria. Quaesitum est, quod nonnulli haec verba eo pertinere putant, quod diro atque foetenti ulcere percussae essent Jobi manus, et os, ac lingua, ita ut si vellet cibum sumere, ut naturam sustentaret deficientem, majorem ex illo dolorem caperet, quam ex fame et morte. וַיִּתְּכוּ כַמַּיִם שַׁאֲגָתִי *Et effunduntur instar aquarum rugitus mei*, i. e. ingentia mea suspiria. *Rugitus* vocat, tralatione a leonibus ducta, inconditos suos clamores, quales esse solent ejulantium et lamentantium, cf. not. ad Ps. 22, 2. Comparat autem singultum suum cum rauco illo murmure, quod edunt aquae, dum vel per occultos meatus cum strepitu labuntur, vel, dum exundantes excedunt alveum, et per circumfusos campos late diffluunt. Alii suspiria Jobi cum ingenti aquarum inundatione conferri arbitrantur, quod illa non sine ubere lacrymarum fluxu ederentur.

25. Hunc Vs. cum eo, qui proxime sequitur, interpretum haud pauci pertinere putant ad totum vitae anteactae tempus, quod numquam timore vacasset, quod semper haec ipsa mala praesagiisset, et mente quasi praecepisset Jobus, in medio cursu suae prosperitatis, q. d. numquam vere et omni ex parte sui felix, quia semper verebar, ne ex mea prosperitate deciderem; id quod nunc mihi tandem accidit. Haec causa est, cur merito totam vitam exhorrescam. Sed monuit recte A. Schultens, a veri similitudine omni abhorrere, Jobum tam dira, tam invisitata, atque inaudita mala, qualia ipsum oppresserunt, unquam praesago futuri metu concipere potuisse. Praestat igitur, omnia haec de praesenti Jobi miseria intelligere, ut verba כִּי פַחַד פָּחַדְתִּי וַיֶּאֱתֵנִי ita sint vertenda: *quum timorem timeo*, *tum supervenit mihi*, nempe novus timor terrorque. Eo ipso tempore, quo terrore aliquo concutior, alius instat terror, gravius adhuc me adfligens, ita ut mole immensa molestiarum et anxietatum undique sim coopertus. פַּחַד פָּחָד, ut Prov. 1, 27. פַּחְדְּכֶם יְאֵתֶה וַאֲיִדְכֶם *veniet metus et pavor vester*, i. e. malum, quod metuitis. Verbum autem cum accusativo suae actionis construitur, ut Ps. 14, 5., cf. similem constructionem Gen. 1, 11. Jes. 24, 26. Ez. 21, 15., sicut etiam Graece et Latine dicitur *gaudere gaudium*, *pugnare pugnam*, et alia hujusmodi. Alterum hemistichium idem dicit quod prius: וַאֲשֶׁר יָגֹרְתִּי יָבוֹא לִי *et quod metui*, *venit*, accidit *mihi*.

26. Sententiam superiori Versu expressam hoc auget et exaggerat. לֹא שָׁלַוְתִּי — רָגַז *Non sum tranquillus*, *nec quiesco*, *nec requiesco*, *et venit* denuo *commotio*, agitatio. Ne minima quidem interspiratione aut remissione dolorum uti licet, sed continua jactatio (רָגַז vid. Vs. 17.) et commotio corpus animumque divexat. Sensu plane alio Hieronymus hunc Versum accepit,

Digitized by Google

quem sic vertit: ***Nonne dissimulavi? non silui? nonne quievi? et venit super me indignatio;*** quasi hoc dicat Jobus, se non intumuisse, neque insolentiorem fuisse rebus affluentibus, et tamen in haec mala incidisse. Illud enim videtur Hieronymus *dissimulandi* verbo voluisse, Jobum suam potentiam ita temperasse, et ea humanitate atque modestia complexum esse alios, etiam infimos (cf. infra 31, 13.), ut aliis major et potentior nullo modo videretur. Recte vero Alexandrinus verbi לֹא שָׁלַוְתִּי significationem expressit: *οὔτε εἰρήνευσα*, et Vulgata vetus: ***neque in pace fui.***

Digitized by Google

ELIPHASUS.

Cap. 4. 5.

Incitatus acerbissimis Jobi querelis Eliphasus, silentium rumpit, quod eo usque tenuerat. Initio quidem lenius Jobum reprehendit, quod, qui praestantissimo fuisset omnibus et pietatis et fiduciae in Deo collocandae exemplo, qui alios saepe correxisset, et consolatus in doloribus fuisset, is, quum ipse in calamitatem incidisset, videretur desperare (4, 2 — 6.). Mox tamen censuram suam fortius admoturus, indirectae orationis tela in subsidium vocat, atque summi numinis justitiam defensurus adversus Jobi questus illos intemperantius effusos, dari sibi cupit vel unum exemplum eorum, qui integri vitae scelerisque puri in tam gravia inciderint mala; justorum contendit periisse neminem, et impiorum in hac vita nullum suorum scelerum poenas effugisse (7 — 11.); unde effici innuit haud obscure, Jobi, tam diu tamque crudeliter a Deo vexati pietas minime fieri posse, ut omni ex parte pura et perfecta fuerit, qualis ea hominum oculis apparuit. Illi vero suae orationi ut plus ponderis atque auctoritatis conciliet Eliphasus, coeleste Oraculum prodit, quod infinitam Dei sanctitatem vindicat, omni finito captu immensum quantum sublimiorem, quae non mortalium tantum cogitationes transscendat, sed et immortalium ac beatorum spirituum perfectionem obnubilet quasi atque obscuret (12 — 21.). Quod oraculum eo fine haud dubie Eliphaso suggestum, ut haberet, quo blande revocaret Jobum ad patientiam illam suam prius demonstratam, pio erga Deum animo innixam (1, 21.), a qua nonnihil deflexisse videri posset, quod adversus Deum tam vehementi oratione quodammodo insurrexisset; plane enim illius mens conspirat cum Elihui atque Jovae sermonibus. Illam tamen non assequutus Eliphasus, abutitur oraculo sibi suggesto ad suspiciones de Jobi fucata pietate conceptas, fortius urgendas, ansamque sibi suppeditatam sumit (Cap. 5.), multo acriori, quam antea, objurgatione Jobum perstingendi (etsi nondum aperte in eum invectus), (1 — 5.), eumque serio ad resipiscentiam hortandi. Postquam dixisset, homini mala non sine causa immitti a Deo (6. 7.), a quo, sicut justo bona, sic etiam malis infortunia contingant,

Digitized by Google

hortatur Jobum, si cupiat liberari a malis, quae divina justitia ipsi inflixit, id a Deo supplici oratione precetur, qui ut percussit solus, sic etiam solus idem sanare potest (6—14.). Quod si fecerit Jobus, a placato Deo bonorum omnium abundantiam ei promittit (15—27.).

2. הֲנִסֶּה דָבָר אֵלֶיךָ תֵלָאֶה *Nam si sustollamus verbum ad te, aegre feres?* In verbo הֲנִסֶּה explicando variant interpretes. Quibusdam est tertia persona Praeteriti Niphal; qui integrum hemistichium sic vertunt: *an tentata est tibi res*, in qua *labores?* Quem sensum Chaldaeus expressit: *numquid propter tentationem rei, quae ad te pervenit, deficis?* q. d. an propterea, quod tentatus es una tentatione, jam succumbis? Alii: *num si tentabitur verbum ad te, aegre feres?* Alii in Piel: *an tentet* scilicet tentans? i. e. si quis tentet sermonem ad te, conetur te alloqui, graviter feres scio. Malim tamen subscribere iis, qui הֲנִסֶּה pro הֲנִשָּׂא scriptum sumunt, ut saepe alias literae ס et שׂ, nec non ה et א invicem permutantur, vid. Ps. 4, 7. 60, 4. (quo posteriori loco רָמָה pro רָאָה). Ita sic erit vertendum: *num si sustollamus*, proferamus *ad te verbum;* nam verbum נָשָׂא de verbis, vel sermonibus usurpatum, saepe notat *sententiam, verbum proferre, enuntiare*, Ex. 20, 7. Num. 23, 7. 24, 3. Habac. 2, 6. Ps. 50, 16. Job. 29, 1. Quo sensu ut et h. l. נָסָה pro נָשָׂא scriptum capiamus, suadet non modo hoc, quod ille ad rem praesentem, perquam aptus et concinnus est, verum etiam veterum auctoritas. Primo enim Masorethae ad Deut. 4, 34., ubi vocabulum הֲנִסָּה itidem exstat, notarunt, ב׳ בתורה ליש׳, i. e. *bis occurrere, significatione diversa*, scilicet indicato Deuteronomii, et hoc loco. Jam quum apud Mosen extra omnem controversiam *tentandi* significatione sit capiendum; sequitur, h. l. altero significatu esse sumendum. Aben-Esra quoque observat, נ in הֲנִסָּה esse primae pluralis personae formativam, et ס pro שׂ esse positum. Quibus accedit interpretum veterum plerorumque consensus. Aquila: *μήτι ἐπιρροῦμεν λαλῆσαι πρός σέ.* Theodotion: *εἰ ληψόμεθα λαλῆσαι πρός σὲ, κοπιάσεις.* Symmachus: *ἐὰν ἀναλάβωμεν λόγον, μοχθήσεις.* Hieronymus: *si coeperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies.* Syrus: *si producam*, s. suscipiam, *tecum loqui, aegre feres.* Ceterum in Hebraeo particulam conditionalem, אִם, esse subaudiendam, ut sit: *nonne si suscipiemus* etc., docet res ipsa. וְעִצּוֹר בְּמִלִּין מִי יוּכָל *Attamen cohibere se in verbis* (ut infra 29, 9.) *quis poterit?* quis se temperare queat, quin ad tam atroces voces respondeat? Non male Hieronymus: *sed conceptum sermonem tenere quis poterit?*

3. Directe Jobum convicturus Eliphasus, tum *impatientiae* haud decorae viro sancto, tum *simulatae pietatis*, quod virtutem, quam aliis inculcaret, ipse haud praestaret, absque ulla circumitione rem aggreditur, eamque hic depingere incipit ut

Digitized by Google

strenuum aliorum monitorem et hortatorem ad constantiam fidemque inconcussam in adversis: verbis fortissimum et plane invictum; re ipsa ignavum et infidum pugnatorem. יִסַּרְתָּ רַבִּים potest leniore sensu dari: *erudivisti multos*, nempe officii sui, ad invicti pectoris robur omnibus fortunae telis opponendum. Ita Hieronymus: *ecce docuisti multos*. Potest enim reddi: *castigasti multos*, increpans eos videlicet, si succumbere, aut animum despondere viderentur. Sic Chaldaeus: *ecce castigabas multos*. Syrus: *ecce admonuisti multos*. וְיָדַיִם רָפוֹת תְּחַזֵּק *Et manus remissas confirmabas. Manus flaccidae*, remissae, languentes, proprie sunt operarum segnium, ut 2 Chr. 15, 7. Esr. 4, 4., vel militum, qui terrore, consternatione atque desperatione successus perculsi, non audent arma capere, hostique resistere, Jer. 49, 24. Unde ea loquutione repraesentantur quicunque moerore confecti et prope desperabundi animo concidunt ipsumque quasi despondent, ut h. l. et 2 Sam. 4, 1. Jes. 35, 3., cf. Hebr. 12, 12. Igitur *manus remissas* חָזַק *firmare*, corroborare, quemadmodum proprie est cohortari vel ad pugnam, vel ad opus alacriter persequendum, instigare et juvare, ut Jud. 9, 24. Jer. 23, 14.; ita sensu translato erit animum moestis et desperabundis addere, ut Jes. 35, 3.

4. יְקִימוּן מִלֶּיךָ *Labantem erigebant verba tua.* כּוֹשֵׁל *Impingens*, translate dicitur vel is, qui peccat, ut Hos. 14, 2. 10., vel qui in calamitates et infortunia incidit, et hisce impingens ruit et perit, ut Ps. 27, 2., ubi cf. not. Hoc vero loco videtur significari talis, cui infortunia fiunt irritamenta a pietate deficiendi, qui ex illis impatiens factus, talia fecit, quae non deberet, similis illi, qui ex imprudentia in via impingit, et ruinae suae causa est. Eodem spectant hemistichio altero בְּרֶכַיִם כֹּרְעוֹת תְּאַמָּצְנָה *genua sese incurvantia*, ad lapsum prona, *corroborasti*. Sensus est: Jobum, dum felix esset, et sibi omnia ex votis succederent, solitum esse oratione sua alios hortari, ut ingenti dolori non succumberent, nec impii quicquam in Deum effunderent.

5. כִּי עַתָּה — וַתִּבָּהֵל *Quando* (ut Ps. 8, 4. 120, 7.) autem *nunc venit ad te, impatienter fers*, quando nunc *attingit te, conturbatus es*. Ad verba תָּבוֹא et תִּגַּע quidam ex Ez. 7, 7. 10. subaudiunt צַפִּירָה, quod *circulum*, ordinem, seriem, interpretantur, ex conjectura tamen parum tuta. Alii רָעָה *malum*, vel מַגֵּפָה *terror*, subaudiunt. Ita Hieronymus: *nunc autem venit super te plaga*. Rectius alii: G. SCHROEDER in *Institt. ad fundamenta Ling. Hebr.*: *venit ad te*, et *pertingit usque ad te*, sc. hoc ipsum, quod alia ante te perpessi erant, quemadmodum alias saepe tertia persona singularis, praesertim feminina, verborum intransitivorum, quae se referunt non ad certum et definitum nomen, sed ad rem, in sermonis contextu expressam, usum neutralem recipere solet, veluti Ez. 12, 25. לֹא תִמָּשֵׁךְ עוֹד *non protrahetur amplius*, sc. hoc ipsum ut eveniat quod praedixi. Verbum

Digitized by Google

לָאָה h. l. non tam *aegre ferre*, quam *impatientia fatiscere*, et *aegritudini succumbere* valet. Et verbo תָּבְהַל h. l. *conturbatio* cum desperatione, vel potius desponsione animi conjuncta significatur.

6. הֲלֹא — יִרְאָתֶךָ *Nonne timor tuus* erga Deum, pietas tua, est *spes tua? expectatio tua? et integritas viarum tuarum.* Sed posteriora verba sunt trajecta pro: וְתֹם דְּרָכֶיךָ תִּקְוָתֶךָ *et* nonne *integritas viarum tuarum* est *expectatio*, spes *tua?* Vel possunt תֹּם דְּרָכֶיךָ et יִרְאָתְךָ כִּסְלָתֶךָ conjungi, item ἀσύνδετα et תִּקְוָתֶךָ, ut sit ita vertendum: *nonne timor tuus et integritas viarum tuarum* est *fiducia tua* et *spes tua?* Utrumvis eligas, sensus idem erit: quod ita elaboras et consternaris? nonne pietatis et integritatis tuae conscientia in hanc spem te erigit, non permissurum esse Deum, ut hisce malis succumbas, sed illum te mox illis liberaturum? quem enim justum unquam perisse vidisti? Vs. sequ. Alii aliter. Veluti Hieronymus: *ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum?* quasi documentum aliquod et testimonium a Jobo exigeret Eliphasus earum virtutum, quas de illo fama celebrabat. Lutherus: *Estne hoc tuus Dei timor, tuum solatium, tua spes, tua integritas?* A. Schultens: *adeone nihil* (לֹא substantive, ut Graec. οὐδέν, τὸ μηδέν, ut infra 6, 21. Ez. 21, 18. al. 13.) *pietas tua, fiducia tua, expectatio tua, et integritas viarum tuarum?* Adeone ad nihilum reciderunt magnifica et fortia verba tua, quibus solebas timorem Numinis, fiduciam, spem, vitaeque integritatem, tum ipse praeferre, tum afflictis suggerere, tanquam clypeum, quo gravissima quaeque malorum excipi ac depelli quirent? Alias interpretationes vid. in Scholiis uberioribus. כִּסְלָה, praeter h. l. Ps. 85, 9. tantum obvium, ubi tamen *stultitiam* denotat, h. l. *spei, fiduciae* significatu capiendum esse, ut cognatum כֶּסֶל infra 31, 24., docet parallelum תִּקְוָתֶךָ. Eodem enim, quo יִרְאָתְךָ et תֹּם דְּרָכֶיךָ, modo, et duo illa nomina sibi invicem respondent.

7. Jam rem aggreditur, neminem affligi non commeritum, quod simul ex sensu probat, Jobum ipsum hujus rei testem vocans, num piorum quenquam periisse viderit? Haec enim semper opinio hominum animos occupavit, neminem innoxium malis opprimi. זְכָר־נָא *Recordare, quaeso*, in memoriam tibi revoca cum tuam, tum omnem praeteriti temporis experientiam. מִי הוּא נָקִי אָבַד *Quis sit innocens* qui *pereat*, num aliquis innocens unquam perierit? וְאֵיפֹה יְשָׁרִים נִכְחָדוּ *Et ubinam recti excisi sunt.* Quod intelligendum de subita et gravi clade fortunas alicujus evertente, ut infra 22, 20.

8. A contrario sumit argumentum, et suam ipsius affert experientiam. כַּאֲשֶׁר רָאִיתִי *Quemadmodum vidi*, quantum mihi multis experimentis videre licuit, חֹרְשֵׁי אָוֶן וְזֹרְעֵי עָמָל יְקַצְרֻהוּ *qui arant miseriam, et seminant laborem*, i. e. molestiam, *eam*

Digitized by Google

metunt, ejus fructum tandem percipiunt, puniti a Deo, ut sequenti Vs. declarat. אָוֶן propr. *vanitas*, h. l. est *malum*, *miseria*, ut infra 5, 6. Prov. 22, 8. Jer. 4, 15. Similitudo ex natura et medio hominum usu petita. Percepturi ex terra fructus primum eam arant, et praeparant ad excipiendam sementem, quam deinceps spargunt, ut tandem metant. Sic qui ea patrant quae sibi justas a Deo poenas conciliant. חֹרְשֵׁי אָוֶן quidam interpretantur *fabros*, *machinatores iniquitatis* s. sceleris, quo sensu חָרַשׁ Jes. 45, 16, Proverb. 3, 29. Ita Vulgatus: *eos*, *qui operantur iniquitatem*. Verum ab *aratione* petitam esse similitudinem, cognescitur ex *seminandi* et *metiendi* verbis, quae subjunguntur. Sunt, qui *metere* referant ad executionem sceleris impiorum, quod non solum *arent et seminent*, i. e. cogitent et parent scelus patrare, sed et *metant*, i. e. revera exsequantur, conatibus suis non frustrati, consiliorum et rationum, quas pararunt ad alios opprimendos, aut aliis facessendum negotium, fructum percipientes. Sed tandem tamen, ubi aliquandiu ita saevierunt, poenas dant juste Dei judicio. Hoc sensu Vulgatus: *et seminant dolores*, *et metunt eos*. Sed priorem sensum esse genuinum, intelligitur ex similibus locis Hos. 8, 7. 10, 12. 13. Ps. 7, 15—17. Gal. 6, 8.

9. יִכְלוּ — מִנִּשְׁמַת אֱלוֹהַּ *Ab halitu Dei pereunt, et a spiritu irae ejus consumuntur.* Sub נִשְׁמַת אֱלוֹהַּ *flatu Numinis*, et רוּחַ אַפּוֹ *ventu irae ejus*, intelligendus h. l., ubi de segetibus similitudo est depromta, flatus noxius et ignitus, qualis est venti orientalis, segetes urentis, de quo vid. not. ad Jes. 27, 8. Cf. Ezech. 17, 10. 19, 12. Hos. 13, 15. Amos. 4, 9. Quemadmodum immisso a Deo vento urente segetes pereunt, sic et improbi divino supplicio immisso, subito consumti, pereunt.

10. נְהִמַּת — שַׁאֲגַת אַרְיֵה *Rugitus leonis, et vox rugientis leonis, et dentes juniorum leonum franguntur.* Significat, divinorum supplicorum violentiae, quae malos certo et semper persequatur, neminem posse repugnare, quantumcunque habeat virium et audaciae. *Leonum* imagine sistuntur insolentes violentique homines, qui minis terrent alios, ut leo rugitu cetera animantia, et injuriis ac vexationibus in eos saeviunt, ut leonum more discerpere videantur. Sed eorum saevitiam, ubi diu homines infestarunt, tandem reprimit Deus, veluti dentes illis evellens, et artes nocendi hominibus auferens. Victu etiam eos privat Deus (Vs. 11.), ut eripiatur illis, quicquid praedati fuerunt, et ipsos perdens, et eorum totas familias delens, id quod per כְּפִירִים et בְּנֵי לָבִיא significatur. אַרְיֵה i. q. אָרִי propr. *carpens*, discerpens, usitatum *leonis* nomen, quum שַׁחַל magis sit poeticum, proprie *rugientem* denotans (nam consonum verb. arabic. est: *vocem sonumque in pectore reciprocavit*). De variis leonum nominibus, quae hoc et sequ. Vs. occurrunt, vid. Bochartı *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 1. T. II. p. 1. seqq. edit. Lips., et de nostro speciatim loco p. 13.

Digitized by Google

שַׁאֲגַת אַרְיֵה *Rugitum leonis* quidam collective pro leonibus rugientibus, nec non קוֹל שַׁחַל *vocem leonis*, pro leonibus vociferantibus, atque שְׁנֵי כְפִירִים *dentes leunculorum*, pro leunculis dentatis, dictum putant, quemadmodum 2 Reg. 19, 23. קוֹמַת אֲרָזָיו *altitudo cedrorum*, pro cedris altissimis ponitur. Magis tamen poetica dictio erit, si verba, ut sonant, vertendo exprimuntur. נְתָעָיו plures, eliso ל, pro לְנְתָעָיו positum putant, a verbo לָתַע, quod ad nomen מַלְתָּעוֹת *dentes molares*, referunt, ita tamen, ut verbum contrariam habeat significationem nomini, et, sicuti a שֹׁרֶשׁ *radix*, verbum שָׁרַשׁ *eradicavit* denotat, ita לָתַע *dentes evellere* denotet. Sed a לָתַע nostrum נְתָעָיו non est derivandum, quum ל primae radicalis in nullo verbo Hebraico, praeter לָקַח, inque reliquis linguis cum hebraea cognatis, plane non excidat. Non dubium, esse Niphal verbi נָתַע, quod significatione convenit cum נָתַץ *elisit*, itidem de elisione dentium leonis positum Ps. 58, 7., frequente apud Hebraeos, Aramaeos et Arabes literarum ץ et ע permutatione. Ceterum verbum נְתָעָיו, etsi de *dentibus* tantummodo proprie dicatur, tamen h. l. etiam ad cetera, quae in hoc Versu posita sunt, nomina, est referendum, ut et alias haud raro pluribus nominibus *unum* aliquod *verbum* jungitur, cujus *integra* quidem notio ad nominum *partem* duntaxat apta est, sed complexu suo *generalem* quoque ideam continet, ad *reliqua* nomina facile accommodandam, ut Exod. 20, 15. וְכָל־הָעָם רֹאִים אֶת־הַקּוֹלֹת *totus populus videbat tonitrua, et flammas, et clangorem tubae, et montem fumantem*, i. e. *videbat* flammas et montem fumantem, tonitrua vero et clangorem tubae apto *his rebus* sensu percipiebat, *audiebat* (add. Deut. 4, 12.). Esth. 4, 1. וַיִּלְבַּשׁ שַׂק וָאֵפֶר *induebat cilicium et cinerem* sc. substernebat sibi. Similem dictionem vid. apud nostrum infra 10, 12. A. Schultens tamen stylum tragicum admittere quoque putat *rugitum fremitumve revulsum*, atque inter capitis contusionem ex ore veluti excussum. Ut in illo Ciceronis in *Sullana: exutient tibi istam verborum jactationem.* Et: *noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari.*

11. לַיִשׁ אָבַד — יִתְפָּרָדוּ *Leo perit ob defectum praedae, et filii*, catuli *leaenae sese dispergunt.* Interemtis leonibus grandioribus et leaenis, praedae defectu, *catuli*, quibus a matribus adhuc suppeditatus victus erat, *disperguntur*, יִתְפָּרָדוּ, ut ipsi sibi victum quaerant, sed quum tantum virium eis nondum sit, ut feras venari atque discerpere queant, aeque ac parentes fame pereant necesse est. לַיִשׁ propr. *validus*, strenuus, docente arabica dialecto, *leonem* significandum usurpatur.

12. Sequitur secunda ratio, quam affert ad probandum institutum, mala non nisi commeritis immitti, sumta ex visione, quam sibi obtigisse dicit, de communi hominum labe, quae vetat sperare impunitatem. Controversum est, narretne Eliphaeus, quae

Digitized by Google

vere sibi contigerint, an ficta sit ab ipso visio, quo suis verbis fidem majorem ac pondus conciliet. Mihi tamen non est dubium, ex poetae mente hanc visionem pro vera esse habendam, etsi abutatur ea Eliphasus (vid. Argum. ad C. 4. 5. et Prolegg. p. 7.). Nam si diligenter expendas, et propius inspicias quae sequuntur, nihil falsum continebit oraculum Eliphaso oblatum; neque enim dicit, sibi illo indicatum fuisse, peccatorum poenas luere Jobum, aut semper ob peccata affligi homines, sed hoc duntaxat, mortalium neminem vitiis esse immunem; sed hoc postea perperam detorquet in Jobum, quasi ex eo, quod malis opprimatur, sit colligendum, eum occultis criminibus Deum ad puniendum provocasse, adeoque fucatam fuisse illam suam pietatem, qua apud homines tantum nominis adeptus erat. Certe poeta voluit *θεῖον ὄνειρον* et *χρησμὸν* e coelo delapsum, utpote Deo dignissimum, exhibere, ut rem totam ex vero proditam narrari censerent lectores. Talibus nempe insomniis vetustioris aetatis pios, verosque sui cultores haud infrequenter Numen dignari, communis erat priscorum hominum opinio. Id suadet porro modus visionis, sacrum quendam horrorem incutere aptus, et divinae majestatis sensu percellere, qui cum revelationibus, quales Patriarchis in somnis identidem obtigerunt, miram adfinitatem prae se fert. Praemittitur Vs. 16. prooemium reliquae orationi congruum; unde aliquid magna exspectare par est. Audis omnia augusta et solennia. וְאֵלַי דָּבָר יִגָּנֵב *Ad me verbum surreptum est*, i. e. verba, quae sequuntur, ad me veluti furtim et clanculum delata, clanculum mihi exposita sunt; ut res furtive ad quempiam perlata, dicetur illi surrepta. Similes Lucianeae illae dictiones, ab A. Schultens allatae, *κλεπτομένη λαλία καὶ ψιθυρισμὸς*, atque: *ὑπεστιλμένῳ τῷ τῆς φωνῆς τόνῳ τὸ ῥηθὲν ἔκλεπτεν*. Chaldaeus: *ad me dictum est verbum secreto.* Hieronymus: *porro ad me dictum est verbum absconditum.* Symmachus: *ἐλαλήθη λαθραίως ἐν κλοπῇ*. וַתִּקַּח אָזְנִי שֶׁמֶץ מִנֵּהוּ *Et accepit*, percepit *auris mea susurrum de eo.* שֶׁמֶץ semel tantummodo, infra 26, 14. recurrit, itidemque de sono s. voce loquentis usurpatum. Arabibus vox harmonica de *sermone* dicitur *raptim prolato.* Hinc שֶׁמֶץ proprie fuerit *sonus confusus et exilis*, qualis percipitur ex sermone raptim loquentis. Nec multum discedit vulgaris hujus loci explicatio: *particula*, *pauxillum*, quae significatio et altero loco (26, 14.) perquam est apta, ubi nomini קְצוֹת *partes* respondet. Chaldaeus utroque loco קְצַת *aliquid* vertit. Syrus et Arabs: *exiguum*, *paululum.* Sensum optime Hieronymus expressit: *et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus* (sc. *verbi absconditi*, quod in priori hemistichio posuit). מִנֵּהוּ *De eo* (sc. דָּבָר) i. q. מִמֶּנּוּ Ps. 68, 24. Putant quidam, Eliphasum modeste loqui, dum dicit, se nonnihil tantum de oraculi sermone percepisse, quasi non plene revelatione acceperit, quod sciendum esset de hac re, sed pro captu duntaxat suo. Nos

Digitized by Google

tamen haec simpliciter ad scenas instructionem pertinere existimamus.

13. בְּשַׂעֲפִים מֵחִזְיוֹנוֹת לָיְלָה *In cogitationibus* s. imaginationibus *ex visionibus nocturnis* ortis, s. visionum nocturnarum, ut מ Genitivo exprimendo inserviat, ut infra 20, 3. 33, 17. Ps. 80, 14. 119, 18. Alii: *a visionibus*, i. e. post visiones, ut מִיָּמִים *post dies*, Jos. 23, 1. Hos. 6, 2., ut Latinorum *a coena*, *a prandio*. Simplicissimum tamen videtur, in Genitivo vertere. שַׂעֲפִים proprie *ramos*, ut Jes. 17, 6. 27, 10. Ez. 31, 6. 8., hinc h. l. et infra 20, 2. *cogitationes* signat implexas ac veluti ramosas, sibique invicem innexas et multifidas. בִּנְפֹל תַּרְדֵּמָה עַל־אֲנָשִׁים *Cum cadet sopor super homines.* Sunt haec verba sensu non diversa ab eis, quae infra 33, 15. leguntur, בַּחֲלוֹם חִזְיוֹן לָיְלָה, et בִּתְנוּמוֹת מִשְׁכָּב, quibus *insomnia* significantur. Hieronymus: *in horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines.* Connectendus est hic Versus cum iis, qui proxime sequuntur, hoc modo: quum aliquando *in cogitationibus ex visione nocturna*, per somnium mihi oblata, defixus essem, *pavor* subito *me corripuit* (Vs. 14.), et *spiritus ante me praeteriit* (Vs. 15.), etc.

14. פַּחַד — תְּפָחַד *Pavor accidit mihi, et tremor multitudinem ossium meorum perterrefecit.* קָרָאנִי pro קָרַנִי *occurrit*, accidit *mihi*, ut saepius קָרָא pro קָרָה positum reperitur, veluti Gen. 42, 38. 44, 29. 49, 1. Jer. 32, 23. רֹב עַצְמוֹתַי *Multitudo ossium meorum*, i. e. quantumcunque est artuum meorum, synecdoche partis pro toto, ut Esth. 10, 3. רָצוּי לְרֹב אֶחָיו *gratus multitudini fratrum*, i. e. popularibus, quotquot erant.

15. וְרוּחַ עַל־פָּנַי יַחֲלֹף *Et spiritus ante faciem meam transivit. Spiritu* videtur *ventus* esse intelligendus, qualis visionibus effatisque divinitus oblatis praecedere solebat, vid. 1 Reg. 19, 11. Act. 2, 2. De *vento* verbum חָלַף *transivit*, dictum quoque Jes. 21, 1. תְּסַמַּר שַׂעֲרַת בְּשָׂרִי *Tremefecit pilum carnis*, corporis *mei*. תְּסַמַּר vel transitive capi potest *horrere fecit* sc. רוּחַ (nomen utriusque generis, cf. 1 Reg. 19, 11.); vel intransitive, conjugatione Piel hic significationem intendente, ut horror vehementior significetur. Sensu non diversum nostrum ab illo Ps. 119, 120. סָמַר מִפַּחְדְּךָ בְשָׂרִי *horruit prae timore tui corpus meum.* Sic et Hieronymus: *inhorruerunt pili carnis mei.* Iisdem verbis ad Deianirae timorem describendum usus SENECA in *Hercule Oetaeo: Vagos per artus errat excussos tremor, erectus horret crinis, impulsis ad hoc stat terror animis, et cor attonitum salit, pavidumque trepidis palpitat venis jecur.*

16. יַעֲמֹד *Stetit*, non dicit quid, quia mox dicit se non agnovisse, q. d. adstitit mihi species s. visio, nescio quae. Bene Hieronymus: *stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum.* תְּמוּנָה לְנֶגֶד עֵינָי Tantum *imago* quaedam seu effigies *ante oculos*

Digitized by Google

meos erat, meis obversabatur oculis. דְּמָמָה non denotat *silentium*, ut quidam vertunt, sed *auram lenem*, cf. not. ad Ps. 107, 29. Sic in visione Eliae, 1 Reg. 11 — 13., lenis ventus subsequitur procellam, qua rupes diffinduntur, et ex illo leni vento Deus prophetam compellans auditur. Recte Alexandrinus et vetus Vulgata αὔραν, *auram*, verterunt. Hieronymus: *et vocem quasi aurae lenis audivi*, quasi in Hebraeo hypallage esset pro וְקוֹל דְּמָמָה, דְּמָמָה קוֹל דַּקָּה, ut 1 Reg. 19, 12.

17. Sequuntur jam ipsa oraculi verba, usque ad Capitis finem. Hunc Vs. plerique sic reddunt: *numquid homo sit Deo justior? an creatore suo purior vir?* Ita jam Hieronymus: *numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?* At quamvis verbum צָדַק cum מ constructum alias comparationem in justitia denotet, ut Gen. 38, 26. Ez. 16, 52.; hoc tamen loco comparationem sensum minus aptum inferre patet. Neque enim ullum unquam mortalem, mentis sanae compotem, tanta potuit incessisse vanitas atque arrogantia, ut sese Numine justiorem ferre sustinuerit. Est Vs. ita interpretandus: *Numquid mortalis a Deo justus habeatur? num a conditore suo homo purus judicetur?* Est ad nostrum locum illustrandum adhibendus locus Num. 32, 22. וְהְיִיתֶם נְקִיִּם מֵיהוָה וּמִיִּשְׂרָאֵל *et eritis insontes coram Jova et coram Israele*, proprie, *insontes a Jova et Israele*, sc. declarabimini, reputati eritis. Similiter Jer. 51, 5. כִּי אַרְצָם מָלְאָה אָשֵׁם מִקְּדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *nam terra eorum repleta est reatu coram Sancto Israelis*, propr. *a Sancto Israelis* scil. talis reputata. Ita et Num. 16, 9. Ez. 34, 18. הַמְעַט מִכֶּם *num parum a vobis* sc. judicatur? Cf. infra apud nostrum 15, 11. In quibus locis omnibus *insontem, sontem esse* per metonymiam antecedentis et consequentis sumitur pro talem *reputari*, atque verba ita ad sensum respectu habito cum מ construuntur. Sic igitur et h. l. *justum et purum esse a Deo* est, talem ab eo *reputari*, *haberi*. Sensu hic locus plane convenit cum 9, 2. וּמַה־יִּצְדַּק אֱנוֹשׁ עִם־אֵל *numquid justus erit*, justus reputabitur, *homo cum Deo* sc. contendens? Nomine אֱנוֹשׁ aliqui putant humanae naturae fragilitatem innui, q. d. homuncionem, nomine גֶּבֶר autem homines ceteris praestantiores fortitudine et virtute, aut qui certe tales esse sibi imaginantur (cf. not. ad Ps. 8, 5.), ut hic prodeat sensus: neque quatenus miser est, neque quatenus virtute praeditus, homo coram Deo justus est. Sententia nec satis idonea, nec solido nixa fundamento. Nam אֱנוֹשׁ, ut etiam βροτὸς, dici simpliciter hominem, non respiciendo ad humanae, seu miseram et aerumnosam vitae conditionem, notum. Varietatis tantummodo atque elegantiae causa poeta duobus diversis vocabulis ad genus humanum significandum est usus.

18. Sunt, qui hoc Versu, et iis, qui sequuntur, non oraculi verba continuari, sed Eliphasum ipsum loqui censeant, qui ex

Digitized by Google

oraculo validum ratiocinium nectere instituat, et ad Jobum accommodet. Contra quos tamen recte A. Schultens contendit, comprehendi hic alterum oraculi membrum: „nam haec veritas magis adhuc coelestis auctoritatis sigillo consignari merebatur, quam superior illa. Addo, vix sine nota temeritatis hanc sententiam de *Angelis* ab homine mortali posse pronunciari, quum in ore ipsius Dei habeat summam decentiam.“ הֵן בַּעֲבָדָיו לֹא יַאֲמִין *Ex, servis suis non credit*, diffidit angelis, non existimans eos idoneos et satis perfectos, pro quibus spondere audeat, et asserere, eos ab omni labe alienos, ac usquequaque absolutos esse; intellige, si eos examinare velit, et secum comparare. Hieronymus: *ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles.* Nec aliter Symmachus: ἐν δούλοις αὐτοῦ ἀβεβαιότης. Sed haec hebraice ita sonarent: תְּנֵה בַעֲבָדָיו אֵינָם נֶאֱמָנִים. Verum הֶאֱמִין *fidem habuit* ב *in aliquo*, ex usu linguae significat *alicui fidere, credere*, vid. Gen. 20, 6. Num. 15, 12. 2 Chr. 20, 20. Unde *non credere* s. *fidere alicui* erit *ei diffidere*, quod h. l. eo sensu sumendum, quem ante indicavimus. *Servis Dei* intelligendos esse spiritus superos, qui et Ps. 104, 4. מְשָׁרְתָיו *ministri Dei* audiunt, docet parallelum מַלְאָכָיו in altero hemistichio. וּבְמַלְאָכָיו יָשִׂים תְּהִלָּה *Et in nuncios suos* ponit, iis imputat *stultitiam*. Nomen תְּהִלָּה ab הָלַל *superbivit*, hinc in Pohal *insanivit*, unde תְּהַלּ, et formâ femininâ, תְּהַלָּה (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 503. not.), *stultitiam* denotat, quae pro *pravitate* posita fuerit, ut sensus sit, si angelos secum conferat Deus, reperturus eos sit summopere mancos et imperfectos. Schnurrerus in *Animadvers. ad quasdam loca Jobi*, in *Dissertatt. junctim editt.* p. 241. nomen nostrum refert ad יָהַל, arab. وَهَلَ, quod praeter alia *errorem commisit, lapsus est*, significat, unde verba nostra sic vertit: *et angelos suos obnoxios putat errori.* Nec obstat, quod a יָהַל secundam analogiam potius תּוֹהָלָה esse deberet, si cum Gesenio statuas (in Lex. et in Grammat. maj. l. l. p. 504. not.) תְּהִלָּה esse pro תּוֹהָלָה, ut versa vice תּוֹעֵבָה pro תְּעֵבָה Jud. 6, 28, et זְעֵמָה pro זוֹעֵמָה Num. 23, 7. Possit תְּהִלָּה et a תָּהַל i. q. arab. تَهَلَ (permutatis inter se literis ת et ט, ut in קָטַל et קָהַל *occidit*), a quo, quum proprie *corrupta fuit res*, aqua etc., significet, derivatum תָּהִיל *stultum* denotare; unde תְּהִלָּה esset *labes, vitium, pravitas.* Certe id nomen *errorem, lapsionem, vitium*, vel tale quicquam designare, vix dubitare nos sinit contextus, qui ejusmodi significationis nomen fere poscit. Similis notionis voces posuerunt etiam veteres. Alexandrinus σκολιόν τι, Vulgata vetus *pravum quid*, Hieronymus *pravitatem*, Syrus et Arabs *stuporem*, Chaldaeus *iniquitatem.* שׂוּם עַל *Ponere in aliquo aliquid* Hebraeis notat, *alicui quicquam imputare*, eoque nomine quasi *notare* ac *mulctare*, ut patet ex 1 Sam. 22, 15. De sensu et scopo hujus Versus singularis est Schnurrerii sententia, l. c. proposita, existimantis, occurri hoc Versu dubitationi, quae de aequitate ac justitia divina in animis

Digitized by Google

hominum facile nasci possit exinde, quod videant reges et dominos non omnia civium suorum negotia ipsos cognoscere et curare, sed plurima praesidum atque administrorum auctoritati ac fidei committere. Itaque doceri, divini regiminis plane aliam esse rationem, a Deo enim ipso eoque solo prorsus omnia ordinari, nec quicquam tribui ministrorum atque angelorum curae potestatique, utpote quos tam gravi negotio non putet posse satisfacere. Porro Vs. 19. 20. 21. Schnurrerus censet contineri descriptionem illius conditionis, quae eventura esset hominibus tum, si administrorum atque angelorum curae ac prudentiae res eorum Deus commiserit. Schnurreri interpretationem sequutus est Eichhornius in versione vernacula. Communi tamen interpretum sententiae, comparationem hic instituti angelos inter atque mortales, qua hos illis longe inferiores esse ostendatur, favent loci duo alii hujus libri, nostro loco plane similes, 15, 14. sqq. et 25, 4—6., quibus nulla est dubitatio, Eliphasum et Bildadum, ut evincant, quam sit imperfecta atque vitiosa humanae naturae conditio, uti argumento, sicuti ajunt, a majori ad minus, hunc in modum adstructo: si ne coelites quidem, naturas humana longe puriores atque perfectiores, Deum reperiat omni labe expertes, quanto minus fragiles miserosque homines, terrestres adeoque minus puras naturas? Utrumque autem illum locum ex nosto oraculo, tanquam ex communi fonte derivatum esse, adeoque est manifestum, ut a nullo interprete in dubium vocari videam.

19. אַף positum pro אַף כִּי *quanto minus* (1 Reg. 8, 27. Ez. 15, 5.), coll. infra 9, 14. 25, 6., et subaudiendum ex Vs. 17. verbum צָדַק, ut sit: *quanto minus justi erunt* s. habentur *habitantes* etc. Alii interrogative: *etiamne* sc. justi et puri habentur *habitantes?* subaudita, ante אַף, interrogandi particula הֲ, ut alias saepe. *Incolis domorum argillacearum*, שֹׁכְנֵי בָתֵּי־חֹמֶר, significari homines e terra formatos, proptereaque fragiles et infirmos, tot casibus expositos, et interitui etiam obnoxios, non est dubium. *Domibus argillaceis*, בָּתֵּי־חֹמֶר, designantur corpora humana, e terra formata, Gen. 2, 7. 3, 19., coll. infra 13, 12. 10, 9. Sic apostolo quoque 2 Cor. 5, 1. corpus humanum dicitur ἡ ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους. Platoni quoque corpus γήϊνον σκῆνος esse observavit Alberti ad 2 Cor. 5, 1. אֲשֶׁר־בֶּעָפָר יְסוֹדָם *Quarum* sc. domuum *fundamentum est in pulvere*, caduca designantur corpora, veluti arenae instabili superstructa, coll. Matth. 7, 26. Alii relativum אֲשֶׁר referendum putant ad שֹׁכְנֵי *habitantes*. Prius tamen simplicius et magis idoneum, quum fundamentum sit *domuum*, non *incolarum*. יְדַכְּאוּם *Conterunt eas* (domos) sc. דּוֹכְאִים *conterentes*, i. e. conteruntur, dissolvuntur, destruuntur; impersonalis loquendi formula, quae plene exstat Jer. 31, 4. נִטָּעִים נִטָּעוּ *plantabunt plantantes*, i. e. plantabitur; item Jes. 24, 16. Nah. 2, 3., plerumque tamen nominativus Par-

Digitized by Google

ticipii omittitur, cf. infra 7, 3. Ps. 73, 11. 75, 2. Ez. 19, 8. Hos. 12, 9. Quare et Chaldaeus, Syrus et Hieronymus verbum in Passivo verterunt: *conterentur coram verme.* לִפְנֵי־עָשׁ quidam, cum Chaldaeo, vertunt *coram tinea*, quod sic explicant: tineis ac vermibus devorandi, s. ad consumendum projecti. Cui sententiae tamen hoc obstat, quod עָשׁ *tinea* lanam quidem et vestes consumit, non vero cadavera, quippe quae a *vermibus* consumuntur, qui hebraice nominibus רִמָּה et תּוֹלַעַת s. תּוֹלַעְתָּ appellantur. Quare לִפְנֵי, proprie *ad faciem*, hic capiendum erit pro: *ad instar, tanquam*, quo eodem sensu legitur 1 Sam. 1, 16. *Ne ponas*, habeas, reputes *ancillam tuam* לִפְנֵי בַת־בְּלִיָּעַל *ad faciem filiae Belial*, ne me instar talis esse censeas. Et apud Latinos *ad faciem* valuisse *ad instar*, docet locus PLAUTI *Cistell.* I. 1. 73. *Ad istam faciem est morbus, qui me macerat*, i. e. ad istum modum, ad istud instar. Est igitur לִפְנֵי־עָשׁ i. q. כָּעָשׁ *sicut tinea.* Alexandrinus et Vulgata vetus: σητὸς τρόπον, *tanquam tinea.* Sensus itaque hic est: *conteruntur tanquam tinea* sc. consumere solet vestes aut pannos, ut infra 13, 28. ipse Jobus queritur, se putredine consumi, כְּבֶגֶד יֹאכְלוּ עָשׁ *instar vestis, quam consumit tinea.* Cf. Jes. 51, 8. Recte Hieronymus: *consumentur velut a tinea.* Sunt, qui sensum hunc faciant: *conterantur tanquam tinea*, sc. conteritur, i. e. quam facile solet conteri tinea. Sed *tinea*, quoties commemoratur, semper est *agens.* Vid. loca sex reliqua, quibus, praeter nostrum, *tineae* mentio fit, infra 13, 28. 27, 18. Jes. 50, 9. 51, 8. Hos. 5, 12. Ps. 39, 12.

20. מִבֹּקֶר לָעֶרֶב יֻכַּתּוּ *A mane ad vesperam contunduntur*, i. e. brevissimo tempore, ut sint homines velut animantia ἐφήμερα. Significat, singulis momentis hominem morti propinquum esse. Quomodo ergo quicquam esset perfectionis in eo, qui in momenta nil nisi interitum exspectet? *A mane ad vesperam* diurnum spatium indicat, ut Ex. 18, 14. Jes. 38, 12., quo loco eadem fere, quae nostro, sententia: מְיוֹם עַד־לַיְלָה תַּשְׁלִימֵנִי *a die ad noctem absolvis me*, brevissimo spatio telam vitae meae pertexis; instar floris, qui mane exortus, vespere exarescit, quemque una dies nascentem et cadentem videt. Cf. Ps. 90, 5. 6. In יֻכַּתּוּ Dagesch primae radicali impositum, non est compensativum mediae elisae, Chaldaico more, ut plures Grammatici statuunt, sed mere euphonicum. מִבְּלִי מָשִׂים *Prae defectu ponentis* sc. לֵב *cor*, animum, curam (coll. plena phrasi Ex. 9, 21. 1 Sam. 9, 20. 25, 25. 2 Sam. 18, 3., supra apud nostr. 1, 8. 2, 3., et simili ellipsi Jud. 19, 30. Jes. 41, 20. 22.), i. e. nemine advertente, s. rationem eorum habente, inopinato, abripiuntur. Cf. Ps. 37, 35. 36. לָנֶצַח יֹאבֵדוּ *In perpetuum pereunt*, ut numquam in hanc vitam redeant. Hieronymus: *et quia nullus intelligit, in aeternum peribunt.* Subaudit quidem, ut nos faciendum monuimus, post מָשִׂים nomen לֵב, sed verba alio, quam indicavimus, sensu accipit, scilicet hoc:

Digitized by Google

cogitatio subitae mortis atque humanae fragilitatis homines continere deberet a peccando; sed hujus rei vel ignoratio vel oblivio in sempiternum homines interitum adducit.

21. הֲלֹא נָסַע יִתְרָם בָּם *Nonne aufertur praestantia eorum in iis*, i. e. quae in ipsis erat (אֲשֶׁר הָיָה בָּם)? quicquid in eis praestat et excellit? Nomen יֶתֶר pro varia, quam obtinet, significatione, varie h. l. accipitur. Quum in pluribus V. T. locis *residuum, reliquias*, denotet, veluti Jud. 7, 6. 2 Sam. 10, 10. 12, 28. al., sunt, qui et h. l. ita capiendum existiment. Inter hos Hieronymus, qui nostrum hemistichium sic reddidit: *qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis.* Sensum his verbis et integro commati videtur tribuisse hunc: qui se exemerint insipientium illorum, de quibus Vs. praeced., numero, non communem quidem cum illis sortem habebunt, ut videlicet aeterna morte, s. aeternis suppliciis damnati pereant; morientur tamen et ipsi, necdum sapientiam edocti. *Residui* significatione nostrum nomen accepit quoque Graecus aliquis interpres, cujus nomen ignotum: *συνεξῆρεν τὸ ὑπόλειμμα αὐτῶν ἐν αὐτοῖς, ἐξέλιπον.* Alii *nervi* notione, qua יֶתֶר et infra 30, 11. occurrit, id nomen hoc quoque loco capiunt, compagemque membrorum, ac omne id quo corporis humani robur consistit, intelligunt. Quibus Chaldaeus accensendus, qui verba nostra ita explicavit: *nonne quia non est eis justitia, ablatum est robur* (s. fulcimentum) *eorum?* Plerique tamen *praestantiam, excellentiam*, qua quid eminet, et reliquis superius est, qua significatione יֶתֶר Gen. 49, 3. Jes. 38, 10. infra 22, 20. occurrit (i. q. יִתְרוֹן Coh. 2, 13. 7, 12.), h. l. notare censent. Ex his Aben-Esra *praestantiae* nomine opes et divitias intelligendas putat, et *sapientiâ*, חָכְמָה, in altero hemistichio, prudentiam, qua opes pararent, quae nihil illis prosit ad liberandum ipsos a morte. Alii honoris dignitatisque ornamenta *praestantiae* nomine significari volunt. Sed intelligendum est nomine יֶתֶר h. l. omne, quod tandem cunque sit illud, quo se mortales putant excellere, quicquid habent, quodque ilico evanescit in morte. יָמוּתוּ וְלֹא בְחָכְמָה *Moriuntur nec in sapientia.* Quibus verbis plerique eundem sensum inesse putant, qui Ps. 49, 13. 14., quasi vellet, homines esse insanabiles, atque in vitiis suis et stultitia ad mortem usque perseverare. Sed opponitur potius mortalium breve aevum angelorum (Vs. 18.) immortalitati, ut dicat, arctum nimis ipsis vivendi spatium concedi, ut possint scientiae et sapientiae tolerabilem mensuram sibi comparare. Quae omnia pertinent ad ostendendam hominum conditionem ita abjectam et miseram, ut de Deo non habeat quod queratur homo, aut in eum debacchetur, sicut Jobus, etsi ab eo affligatur.

Cap. 5, 1. הִמָּנָה — קְרָא *Voca, age! num sit, qui respondeat tibi? atque ad quem sanctorum convertes te? Sanctis*, קְדֹשִׁים,

Digitized by Google

h. l. non sunt *homines*, ut Ps. 16, 3. 34, 10., intelligendi, sed spiritus coelestes, angeli, qui ipsi infra 15, 15. nec non Zach. 14, 5. Dan. 8, 13. eodem nomine appellantur, et supra 4, 18. *ministrorum Dei* nomine ab Eliphaso commemorati fuerunt. Ita expresse Alexandrinus: ἢ εἴτινα ἁγίων ἀγγέλων ὄψῃ, *aut si quem sanctorum angelorum videas*, ut vetus Latinus reddidit. Triumphat quasi Eliphasus, recitato oraculo, quo ne angelos quidem intaminatos, nedum contaminatos mortales, ad praefulgens jubar sanctitatis infinitae, satis sanctos et puros esse pronunciatur, atque Jobum, cum Deo contendere ausum, provocat, ut nunc, si lubeat, denuo instet, et factori suo litem intendat, ac si injuste afflictus fuerit; quum et ipsi angeli profiteri debeant, justum esse Deum, cum causam agat, et purum esse, ac victorem, cum judicet; omnibus ante tribunal suum victis, et causa cadentibus. Est autem haec provocatio conjuncta cum *ironia*, et illusione, qualis apud Latinos in formula solenni: *i nunc. Ite nunc, mortales, et magnis cogitationibus pectora implete.* Periculum fac, inquit, si lubet, novae cum Deo contentionis, atque advoca simul causae tuae defensores: eritne qui tibi respondeat, vel homo, vel angelus? Non sane. Renuent omnes causae tuae defensionem; omnes uno ore, una mente, omnem suam sanctitatem deleri fulgore virtutum divinarum confitebuntur. תִּפְנֶה *Respicies, convertes temet*, signanter positum, ut Jes. 45, 22., ad *opem* nempe, et *defensionem* sibi comparandam. Cetesum patet, hunc Versum revera ad Cap 4. pertinere; nam disputationi ibi deductae coronidem veluti imponit, atque eum sarcastica increpatione primam illam convictionem claudit.

2. Tripliciter hic Versus exponitur, pro vario sensu, quo nomina כַּעַשׂ et קִנְאָה capiuntur. Primo enim sunt, qui illa de *ira* et *indignatione Dei*, ejusque effectu, poenis, intelligant, quomodo כַּעַשׂ infra 10, 17. occurrit (sic etiam h. l. Chaldaeus, רוּגְזֵיהּ דְּקִירְיָס *ira Domini*), קִנְאָה vero Deut. 29, 19. Jes. 42, 13. Zeph. 1, 18. Ita sententia haec foret: in stultum et fatuum, i. e. improbum, ira Dei desaevit; ergo tu, Jobe, iisdem accensendus, in quem vindicta Dei incumbit. Alii nominibus istis hebraeis significari volunt *indignationem* et *invidiam* contra improbos florentes conceptam, quem affectum totus Psalmus 37. castigat. Hoc tamen Eliphasi consilio, filoque hujus orationis universo profecto parum accommodatum, imo alienum prorsus. Simplicissimum atque ad seriem aptissimum, כַּעַשׂ et קִנְאָה de vehementiore capere *indignatione*, quam quis concipit ex castigatione, qua afficitur, ut haec sit sententia: *nam stultum interficit* sua ipsius *ira*, dum ob castigationem gravius incandescit, et sese torquet immodice in Deum murmurans, ab eo perditur; *et stolidum perimit indignatio*, stolidos (quo Jobum perstringit), quod sese ingruente afflictione continere se non potest, sed prae impatientia Deum

Digitized by Google

injustitiae accusat, et in eum debacchatur, ab eo perditur. Hinc mox (Vs. 8.) hortatur Jobum, ut submittat sese potius Deo, et ejus misericordiam requirat, quam immodicis querelis, ex indignatione profectis, iram divinam in se concitet. פֹּתֶה a verbo פָּתָה *persuasit sibi, seduxit se*, proprie videtur notare eum, qui facile adducitur re quavis, et cuivis sententiae et verbo facile credit, simplicem, credulum, hinc eum, qui levi de causa turbatur et ab officio abducitur, suisque affectibus frena laxat; qualis Eliphaso Jobus videbatur, quo impia verba in Deum effutiret, et adversus eum justam habere causam crederet. Hieronymus: *Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia. Parvulo* videtur non alium ac imperitum, stolidum, et *invidia*, quae indignationis species est, stomachum, iracundiam significare.

3. אֲנִי רָאִיתִי — פֹּתֶה *Equidem vidi radicatum stultum, cujus mansionem repente delestatus sum.* Quum supra (4, 7. sqq.) ostendisset, justos non perire, sed impios et noxios; nunc ei, quod obverti poterat, occurrit, quod sint improbi, qui hic floreant. Affirmat igitur, quantumvis saepe viderit florentem impium, ut nullo modo videretur a sua felicitate posse convelli, nihil tamen sibi ab illius firmitate pollicitum esse, quia illum ruinae et exitio devotum sciret. Quo haud dubie innuere vult, illud exitium, quo tanquam subita tempestate exstirpatae fuerant florentissimae hominum improborum domus, nunc in Jobum quoque incubuisse; ac proinde ex malis, ipsi, familiaeque universae divinitus immissis, nihil aliud colligendum relinqui, quam meritas et ipsum poenas tandem luere. Ex verbis אֲנִי רָאִיתִי sunt, qui colligant, alteram visionem inde ab hoc Versu narrare Eliphasum. Sed non aliter sunt intelligenda, quam supra 4, 8. כַּאֲשֶׁר רָאִיתִי *quemadmodum vidi*, ut experientiam suam afferat, q. d., hoc dico multis exemplis et diutina experientia edoctus. אֱוִיל *Stultus*, hic est improbus, ut נָבָל Ps. 14, 1. Talem vidi מְשָׁרֵשׁ *radices* firmas altasque *figentem* (ut Jes. 27, 6. Ps. 80, 10.), *firma radice* Hieronymus reddidit, i. e. radices agentem infra, et ramos diffundentem sursum versus, q. d. florentem, et rerum successu elatum. Sensum bene expressit Syrus: *ego vidi improbum prosperatum.* Verba וָאֶקֹוב נְוֵהוּ פִּתְאֹם *exsecratus sum ejus habitaculum repente*, aliqui sic intelligunt, quod statim eum judicarit infelicem, et ei male sit ominatus, certo sibi pollicens illius exitium, etsi nunc videretur rebus maxime secundis uti. Sed videtur potius locus noster explicandus ex Ps. 37, 35. 36., ubi inquit Psaltes, se impium vidisse virentis lauri more efflorescentem et ramos huc illuc propagantem, sed ita postea excisum, ut cum illac praeteriret, ubi ante fuerat, ne locum quidem ipsius agnoverit. Sic Eliphasus dicit, se florentem quidem impium aliquandiu vidisse, verum repente tandem, eo non cogitante, imo praeter omnium opinionem et exspectationem, ita excisum, ut eum et ejus habitaculum, ubi antea tantopere

Digitized by Google

florueraht, quod ita stabile videbatur, exsecratus fuerit. Quasi diceret: cum vidissem eum florentem, nec opinato ejus domum eversam videns, eam sum exsecratus. Est igitur פִּתְאֹם ad finem et exitium improbi, non ad exsecrationem referendum. Syrus: *at perit domus ejus subito.* Hieronymus: *et maledixi pulchritudini ejus statim.* Retulit nomen נָוֶה ad נָאָה *pulcher, decorus est*, unde נָוֶה *amoenus, pulcher*, Hos. 9, 13. Jer. 6, 2. Nec aliter Aquila: *καὶ κατηρασάμην τὴν εὐπρέπειαν αὐτῶν παραχρῆμα.* Sensus, per se spectatus, satis idoneus; sed loco parallelo Ps. 37, 36. noster similior fit, si נָוֶה cum Syro et Chaldaeo *habitaculi* notione accipitur, qua ipsa infra Vs. 24. 18, 15. recurrit.

4. מִבְּנָיו — יִרְחָקוּ *Procul aberant filii ejus a salute, conterebantur in porta; nec erat qui eriperet.* Quidam hunc Versum forma imprecandi vertunt: *procul sint filii ejus a salute* etc. Alii ut comminationem: *procul aberunt.* Sed pergit potius Eliphasus narrare, quid viderit, quid non uno exemplo didicerit, et patris ruinae jungit hoc Versu cladem filiorum. Igitur vertendum in Praeterito: *longe aberant a salute*, i. e. a prosperitate, et felicitate, qua notione idem nomen יֶשַׁע et infra Vs. 11. et Ps. 12, 6. occurrit. Alii speciatim illud auxilium, quod praestant, qui aliquem defendunt in judicio, et a poena liberant, significari existimant, quod in altero hemistichio subjicitur: וְיִדַּכְּאוּ בַשָּׁעַר *conterebantur in porta*, i. e. coram tribunalibus damnati sunt, ut sontes et injusti tractati. *In porta*, in curia, in judicio, nam ad portas urbium sedebant seniores, ut jus dicerent, vid. Gen. 19, 1. 23, 10. sqq. 34, 20 — 24. Deut. 21, 19. 23, 15 — 24. al. Alii *in porta* sic exponunt: *in publico*, tota civitate inspectante et applaudente. A qua sententia haud longe abest A. Schultens, qui coll. Cap. 34, 25. 26. (ubi improbi *conteri* dicuntur *in loco spectantium*) nostra verba interpretatur *conterebantur in judicio publico.* Intelligit autem portam et tribunal ipsius Dei, quod erigit, quum extraordinarium aliquod judicium exercet, improbam domum quasi supplicio publico mactans, et ignominiosissime cum omni posteritate exstirpans. Alexandrinus: *κολαβισθήσαν ἐπὶ θύραις ἡσσόνων*, et secundum eum vetus Latinus: *et conterantur ante januas imporum*, tanquam mendicabula videlicet, ostiatim victum quaeritantes, et repulsi. Sententia huic loco minime inepta, modo hebraice esset בִּרְלָתוֹת, sive עַל דַּלָתוֹת; nam שַׁעַר nonnisi de *porta* vel *urbis*, vel *templi*, vel *palatii regii* dicitur, uti Lexica docent. Et שַׁעַר h. l. de *porta urbis*, tanquam curia, aut judicii loco, intelligendum esse, suadet formula gemina Prov. 22, 22. אַל־תְּדַכֵּא עָנִי בַּשָּׁעַר *ne conteras pauperem in porta*, i. e. in judicio. Dicit ergo Eliphasus, saepe se vidisse ita accidere posteritati improborum, ut sicut parens nullius misertus fuerat, sed omnes oppresserat, sic nec quisquam eorum prolis misereatur, sed ab omnibus opprimatur, atque adeo, ut saepe, quia male educati

Digitized by Google

et instituti a patre fuerant, cum scelera commiserint, ad judices rapiantur et supplicium, ubi nullus eos misereatur aut eripiat.

5. Exaggerat infelicitatem et miseriam summam illius improbi. אֲשֶׁר קְצִירוֹ רָעֵב יֹאכֵל *Cujus* (sc. *stulti* Vs. 2, sqq. Relativum cum sequentis nominis suffixo format Latinorum *Genitivum*, ut supra 4, 19. infra 6, 4.) *messem famelicus comedit. Messem* dicit, non alia bona, quia jamjam sperabat sese eam collecturum; sed secus accidit, ut a famelicis rapiatur et comedatur, erepto ei quod in manibus tenere putabat, ad majorem cruciatum et miseriam. Vocem מִצִּנִּים veterum plures *armatos* interpretati sunt, quasi ad צִנָּה *clypeus* referenda esset. Illi מְצַנְּנִים (Participium formae Hiphil) legerunt, quod ipsum DE ROSSI in *septem* codicibus, et in Hagiographis Neapoli 1487. 4. editis, reperit. Ita Chaldaeus: *et bellatores cum armis bellicis abducent eum.* Hieronymus: *et ipsum rapiet armatus.* Aquila: αὐτὸς δὲ πρὸς ἐνόπλων ἁρθήσεται, et eodem plane modo Symmachus, nisi quod is in Plurali vertit: αὐτοὶ δὲ πρὸς ἐνόπλων ἁρθήσονται. Quae sententia parum ad seriem apta. Syrus: *et ad sitim abducentur.* Retulit nostrum מְצַנִּים ad צָנַם *aridus fuit*, unde Samaritanum צנמת *aridum*, quod Samaritanus interpres Deut. 8, 15. pro hebraeo צִמָּאוֹן *terra siticulosa* posuit. Et Syrus h. l. *traqtum siticulosum*, i. e. desertum intellexit. Quod vero hodie, in libris longe plerisque legitur, מְצִנִּים, testis sat vetusti, Alexandrini interpretis, auctoritate firmatur, qui sic vertit: αὐτοὶ δὲ ἐκ κακῶν οὐκ ἐξαιρεθήσονται (Lat. vet. *ipsi vero de malis non liberabuntur*). Videlicet צִנִּים, quod proprie *aculeos*, *spinas* denotat, intellexit de periculis summe noxiis, de quibus Prov. 22, 5. usurpatur. Pro אֶל vero ante מְצִנִּים Graecus legit אָל. Sed neque a lectione recepta, neque ab ea nominis צִנִּים significatione, quam in Proverbiis habet, discedere opus est. Vertendum: *et vel ex spinis capit*, rapiet *eam* (messem) pauper prae fame, i. e. nulla custodia, nullum septum e spinis contextum (מְשׂוּכָה Jes. 5, 5.) impedimento fuit pauperi, quo minus in divitis improbi messem irrumpat, conculcato septo. Particula אֶל h. l. non, ut alias haud raro ante א redundat, ut Lev. 4, 12. *Et educet totum illum juvencum* אֶל־מִחוּץ לַמַּחֲנֶה *extra castra*, adde Deut. 23, 11.; sed intendit significatum, quasi diceretur; eo usque, ut vel e spinis rapiatur. Alii, collato arabico צִנֵּן *fiscella plicatilis*, in qua panis reponitur, seu *panarium*, vertunt ita: *et e panariis* (seu locis et vasis, ubi panis reponitur) *surripiet eum*, ut dicat Eliphas, adeo impium messe sua, seu frugibus suis non fruiturum, ut, si vel maxime horreis intulerit, panem tamen inde paratum vel e panariis alii sint surrepturi. In ultimis hujus Versus verbis, וְשָׁאֵף צִמִּים חֵילָם, interpretibus potissimum צִמִּים negotium facessit. Plures *sitiundum* vertunt, qui *famelico*, רָעֵב, hemistichio priori, sit appositus, a verbo צָמַם, quod significationem cum צָמָא *sitiit* communem

Digitized by Google

habere opinantur. Ita Hieronymus: *et bibent sitientes divitias ejus. Sitientibus* intellexisse videtur egenos et avidos. Concinit Aquila: ἀφειλκύσαντο διψῶντες εὐπορίαν αὐτοῦ. Et Symmachus: ἀναῤῥοφήσαι, διψῶν τὴν δύναμιν αὐτῶν Eadem notione adscita, sed sensu diverso Syrus: *et perdet sitis*, siccitas, *possessiones eorum.* Sane perquam apta, etiam ob verbum שָׁאַף, *sitientis* mentio est, nec tamen illa ex significationum convenientia in verbis צָמַם et צָמָא, quae mera est conjectura, sed ex Arabico petenda est צַמָּן *silex, lapis durus*, unde צַמָּאן *terra lapidosa et arenosa.* Aben-Esra quoque צַמִּים in lingua Arabica *lapidem durum* significare ait. A *silice* vero, omnis humoris experte, *sitiens* videtur appellatus esse צַמִּים (nomen formae מַמְרִישׁ *malleus*, צַדִּיק *justus*), quemadmodum versa vice a צָמָא *sitis*, צְמָאוֹן est *terra arida.* Alii צַמִּים *praedonem* interpretantur. Ita jam Chaldaeus: *diripient praedones facultates ipsorum.* Existimant vero Hebraei praedonem צַמִּים appellari a צַמָּה *coma*, quasi *comatum* dicas, quod in sylvis latens comam alere et horridus incedere solet, more hominum sylvestrium et ferocium. Recentiores plerique *praedonis* significationem repetunt a verbo arabico צמם *percussit fuste, lapide, gladio.* Possit et arabicum צַמִּים *durus et solidus*, *vir magnus*, *fortibus membris praeditus*, in subsidium vocari. Praestat tamen, צַמִּים cum interpretibus veteribus, si Chaldaeum excipias, omnibus *sitientem* interpretari, quod is optime רָעֵב in priore hemistichio respondet. Utroque significantur homines avidissimi ex summa inopia facti. *Comedit famelicus messem, et sitiens absorbet divitias*, quasi uterque diuturnam famem et sitim explere cupiat, unde fit, ut omnia vorent et hauriant usque ad faeces. שָׁאַף, proprie *anhelavit ad capiendum aliquod* (coll. consono arabico verbo, *auram trahere ad investigandum*, *captandumque quicquam*, praesertim in *venatione*), hinc ad vehementissimum desiderium et conatum ad obtinendum aliquid (cf. infra 7, 2.) transfertur, unde denique et *hauriendo absorbere, deglutire*, notat, ut Ez. 36, 3. Am. 7, 4. Ita quemadmodum nomina רָעֵב et צַמִּים, sic verba quoque יֹאכַל et שָׁאַף sibi invicem respondebunt.

6. עָמָל — כִּי לֹא־יֵצֵא *Etenim non egreditur ex humo miseria, et e terra non germinat*, oritur *labor*, molestia, aerumna. אָוֶן et עָמָל h. l eodem sensu usurpantur quo supra 4, 8. Postrema ratio, qua Eliphasus probare studet, Jobum temere et injuriose cum Deo expostulare de malis et aerumnis, quibus affligitur, ac si immerenti acciderent. Ostendit, aerumnarum, quas homines perferunt, causas in ipsis quaerendas: id per hominis naturam evitari non posse. Non casu aut fortuito veniunt homini calamitates ac mala, nec de nihilo, sed ob peccata, ad quae natura pronus est. Non est, quod aut terram, aut coelum, aut aliquam aliam externam causam homo incuset, quasi inde sibi veniant mala; sed ipse in sese suorum malorum et aerumnarum causam gerit, peccatum.

Digitized by Google

7. עוּף — כִּי אָדָם *Nam homo ad aerumnam nascitur*, *et*, i. e. ut *filii flammae*, scintillae *altum faciunt volare*, alte volant. Verba אָדָם לְעָמָל יוּלָּד non significant: homo ad miserias natus est *subeundas*, quasi hic finis sit: sed homo ita natura comparatus est, ut molestias conatibus suis sibi contrahat; propter naturam minus perfectam non potest, quin interdum erret, et erroribus in mala incidat. Sic apud Graecos πεφυκέναι usurpatur, v. c. Xenoph. Cyrop. V. 1. 10. πεφύκασι γὰρ ὑπὸ τούτων (edendi, bibendi etc. cupiditate et appetitu) κρατεῖσθαι. Et Lib. I. 1. 3. ἄνθρωποι πεφυκότες sunt homines quales sunt natura, non doctrina imbuti et disciplinis. Epictet. 38. πέφυκε γὰρ πρὸς τοῦτο πᾶν ζῶον, τὰ μὲν βλαβερὰ φαινόμενα, καὶ τὰ αἴτια αἰτῶν, φεύγειν καὶ ἐκτρέπεσθαι." יוּלַּד vel Praeteritum *Pyhal* est, cum *Schurek* pro *Kübbuz* more Chaldaico, ut Jud. 13, 8. 18, 29., vel Futurum *Hophal* cum Dagesch forti supervacuo. In Bibliis tamen Athianis (Amstelod. 1661. 8.) יוּלַד sine Dagesch expressum est. Cf. יוּדַשׁ Jes. 28, 27. בְּנֵי רֶשֶׁף *Filii ardoris* s. *flammae* sunt scintillae. De nomine רֶשֶׁף vid. not. ad Ps. 76, 4. Alii intelligunt volucres, summa velocitate fulminis instar per aëra latos. Ceterum ו, quod nomini בְּנֵי praefixum est, h. l. adaequationi inservit, ut Prov. 25, 25. *Aquae frigidae animae fessae*, וּשְׁמוּעָה טוֹבָה *et fama bona e terra longinqua*, sc. aequantur. Cf. 1 Sam 12, 15. Ps. 68, 35. 104, 33.

8. Postquam ostendit, non immerito affligi homines, nunc hortatur Jobum, ut resipiscat, et ad Deum convertatur, ipsum ejus miserturum, ut potens est et misericors, ac restituturum eum pristinae felicitati. Cujus rei occasione late excurrit (inde a Vs. 9.) ad describendam Dei potentiam, justitiam, sapientiam et misericordiam, cum in toto naturae opere, tum maxime in hominum genus. וְאוּלָם אֲנִי אֶדְרֹשׁ אֶל־אֵל *Verum ego Deum requirerem*. Verbum דָּרַשׁ cum אֶל constructum alias quidem plerumque significatum *consulendi*, *rogandi sententiam alterius* obtinet, ut Deut. 18, 11. Jes. 8, 19. 11, 10. 19, 3.; hoc tamen loco denotare *precibus requirere et adire Deum*, ut nostrum verbum cum Accusativo constructum Ps. 34, 5. 1 Chron. 16, 11. usurpatur, orationis series docet. Recte JARCHI: „Si mihi istae calamitates obvenirent, quaererem Deum precibus et supplicationibus." וְאֶל־אֱלֹהִים אָשִׂים דִּבְרָתִי *Et ad Deum ponerem negotium meum*, res meas ei committerem, omnem causam meam ei supplex commendarem. דִּבְרָה idem quod דָּבָר *res*, *negotium*, ut Coh. 3, 18. Alii: *ad Deum dirigerem eloquium meum*. Sed contra usum nominis דִּבְרָה.

9. עֹשֶׂה — מְסַפָּר *Qui facit magna*, *ut non sit investigatio*, qui *miranda* facit, *ut non sit numerus*, ut numero comprehendi nequeant. Hic Vs. infra 9, 10. repetitur. וְאֵין חֵקֶר *Ita ut non sit investigatio* eorum, ut pervestigari non possint, quia captum humanum longe superant. Cf. Ps. 145, 3.

Digitized by Google

10. חוּצוֹת — נֹתֵן מָטָר *Qui dat pluviam super faciem terrae, et demittit aquas super rura.* Quod Versu praeced. in genere proposuerat, jam per partes enumerat, et sigillatim explicat in aliquot Dei operibus, unde cetera metiri licebit. Incipit a pluvia, quae argumentum praebet admirabilis cum sapientiae, tum potentiae divinae. Nam quum cetera, ut sol, et sidera, et alia assidua sint et continua, pluvia statis tantum temporibus a Deo mittitur, qua si diu careat hic orbis inferior, cito marcescant et pereant necesse est omnia animata, quae ejus beneficio vegetantur et aluntur; sustentari homo, subsistere cetera animantia non possint. חוּצוֹת h. l. non sunt *plateae*, sed *exteriora* (a חוּצָה *foras*), quae sunt extra urbes et pagos (מִחוּץ לָעִיר, Gen. 19, 16.), i. e. campi et pascua, quae Latine *rura* dicuntur, qua ipsa significatione haec vox et Ps. 144, 13. capi potest.

11. יָשֵׂם — לְשׂוּם *Ut ponat humiles in sublime, et moerentes alti fiant quoad salutem.* Aben-Esra hujus Versus sententiam connectit cum eo, quod Vs. 10. de imbre dixerat, quasi ejus beneficio amplissimas fruges et annonam consequuti, qui ante in obscuro jacebant, conspicui reddantur et opulenti ob frugum abundantiam. Sic Chaldaeus: *ut ponat oppressos fame in sublime.* Sed generale procul dubio est. Ab opere naturae (Vs. 10.) ad homines transit, et quae in his edere solet summae potestatis documenta late persequitur. Connectendus hic Vs. cum Vs. 9. hoc modo: facit Deus magna et admiranda, לָשׂוּם *ponendo* שְׁפָלִים *humiles*, depressos, humili statu et conditione (ut Ez. 17, 14. 29, 14. 15.), לָמָרוֹם *in sublime*, ut Hieronymus vertit, in alto et tuto loco, ubi ab oppressione salvi sint, ad summam quandoque dignitatem et divitias evecti. Cf. 1 Sam. 2, 7. Ps. 113, 7. Posterius hemistichium, וְקֹדְרִים שָׂגְבוּ יָשַׁע, bene reddidit Hieronymus: *et moerentes erigit sospitate.* Nam קֹדְרִים, proprie *atrati*, pullati, h. l. sunt moerore deformati, vid. not. ad Ps. 35, 14. — שָׂגְבוּ יָשַׁע *Alti fiunt*, eriguntur, attolluntur divina potestate, in *salutem*, velut in tutam arcem, ubi a calamitatibus tuti sint. Cf. Ps. 12, 6. et not. ad Ps. 4, 1. Ante יָשַׁע subaudienda est particula לְ, praefixa nomini מָרוֹם in priori hemistichio. Loca plura alia, ubi ista particula omissa est, vid. in NOLDII *Concordantt.* p. 415. ed. Tymp.

12. מֵפֵר מַחְשְׁבוֹת עָרוּמִים *Solvit*, irritas facit, *cogitationes*, conatus *callidorum*, qui opprimere student humiles, Vs. 11. Est contrarium superiori. וְלֹא־תַעֲשֶׂינָה יְדֵיהֶם תּוּשִׁיָּה *Ita ut non faciant manus eorum rem*, vel *quicquam rei*, uti plures nomen תּוּשִׁיָּה vertunt, quod a verbo inusitato יָשָׁה, unde est יֵשׁ *ens*, *id quod exsistit*, significatione putant convenire cum Graeco οὐσία (quocum, sublato ת, et sono convenit). Quod et Alexandrinus spectasse videtur, dum h. l. ἀληθὲς reddidit, i. e. quod *re vera exsistit*, simulacro aut umbrae rei oppositum. Sed Jes. 28, 29.

Digitized by Google

7. עוּף — כִּי אָדָם *Nam homo ad aerumnam nascitur, et*, i. e. ut *filii flammae*, scintillae *altum faciunt volare*, alte volant. Verba לָעָמָל יוּלָּד אָדָם non significant: homo ad miserias natus est *subeundas*, quasi hic finis sit: sed homo ita natura comparatus est, ut molestias conatibus suis sibi contrahat; propter naturam minus perfectam non potest, quin interdum erret, et erroribus in mala incidat. Sic apud Graecos πεφυκέναι usurpatur, v. c. Xenoph. Cyrop. V. 1. 10. πεφύκασι γὰρ ὑπὸ τούτων (edendi, bibendi etc. cupiditate et appetitu) κρατεῖσθαι. Et Lib. I. 1. 3. ἄνθρωποι πεφυκότες sunt homines quales sunt natura, non doctrina imbuti et disciplinis. Epictet. 38. πέφυκε γὰρ πρὸς τοῦτο πᾶν ζῶον, τὰ μὲν βλαβερὰ φαινόμενα, καὶ τὰ αἴτια αἰτῶν, φεύγειν καὶ ἐκτρέπεσθαι.“ יוּלַּד vel Praeteritum *Pyhal* est, cum *Schurek* pro *Kübbux* more Chaldaico, ut Jud. 13, 8. 18, 29., vel Futurum *Hophal* cum Dagesch forti supervacuo. In Bibliis tamen Athianis (Amstelod. 1661. 8.) יוּלַּד sine Dagesch expressum est. Cf. יוּדַשׁ Jes. 28, 27. בְּנֵי רֶשֶׁף *Filii ardoris* s. *flammae* sunt scintillae. De nomine רֶשֶׁף vid. not. ad Ps. 76, 4. Alii intelligunt volucres, summa velocitate fulminis instar per aëra latos. Ceterum ו, quod nomini בְּנֵי praefixum est, h. l. adaequationi inservit, ut Prov. 25, 25. *Aquae frigidae animae fessae*, וְשֵׁמוּעָה טוֹבָה *et fama bona e terra longinqua*, sc. aequantur. Cf. 1 Sam 12, 15. Ps. 68, 35. 104, 33.

8. Postquam ostendit, non immerito affligi homines, nunc hortatur Jobum, ut resipiscat, et ad Deum convertatur, ipsum ejus miserturum, ut potens est et misericors, ac restituturum eum pristinae felicitati. Cujus rei occasione late excurrit (inde a Vs. 9.) ad describendam Dei potentiam, justitiam, sapientiam et misericordiam, cum in toto naturae opere, tum maxime in hominum genus. וְאוּלָם אֲנִי אֲדַרֹּשׁ אֶל־אֵל *Verum ego Deum requirerem.* Verbum דָּרַשׁ cum אֶל constructum alias quidem plerumque significatum *consulendi, rogandi sententiam alterius* obtinet, ut Deut. 18, 11. Jes. 8, 19. 11, 10. 19, 3.; hoc tamen loco denotare *precibus requirere et adire Deum*, ut nostrum verbum cum Accusativo constructum Ps. 34, 5. 1 Chron. 16, 11. usurpatur, orationis series docet. Recte Jarchi: „Si mihi istae calamitates obvenirent, quaererem Deum precibus et supplicationibus.“ וְאֶל־אֱלֹהִים אָשִׂים דִּבְרָתִי *Et ad Deum ponerem negotium meum*, res meas ei committerem, omnem causam meam ei supplex commendarem. דִּבְרָה idem quod דָּבָר *res*, *negotium*, ut Coh. 3, 18. Alii: *ad Deum dirigerem eloquium meum.* Sed contra usum nominis דִּבְרָה.

9. מַסְפָּר — עֹשֶׂה *Qui facit magna, ut non sit investigatio*, qui *miranda* facit, *ut non sit numerus*, ut numero comprehendi nequeant. Hic Vs. infra 9, 10. repetitur. וְאֵין חֵקֶר *Ita ut non sit investigatio* eorum, ut pervestigari non possint, quia captum humanum longe superant. Cf. Ps. 145, 3.

Digitized by Google

10. חוּצוֹת — הַנּוֹתֵן מָטָר *Qui dat pluviam super faciem terrae, et demittit aquas super rura.* Quod Versu praeced. in genere proposuerat, jam per partes enumerat, et sigillatim explicat in aliquot Dei operibus, unde cetera metiri licebit. Incipit a pluvia, quae argumentum praebet admirabilis cum sapientiae, tum potentiae divinae. Nam quum cetera, ut sol, et sidera, et alia assidua sint et continua, pluvia statis tantum temporibus a Deo mittitur, qua si diu careat hic orbis inferior, cito marcescant et pereant necesse est omnia animata, quae ejus beneficio vegetantur et aluntur; sustentari homo, subsistere cetera animantia non possint. חוּצוֹת h. l. non sunt *plateae*, sed *exteriora* (a חוּצָה *foras*), quae sunt extra urbes et pagos (מִחוּץ לָעִיר, Gen. 19, 16.), i. e. campi et pascua, quae Latine *rura* dicuntur, qua ipsa significatione haec vox et Ps. 144, 13. capi potest.

11. יְשַׂע — לָשׂוּם *Ut ponat humiles in sublime, et moerentes alti fiant quoad salutem.* Aben-Esra hujus Versus sententiam connectit cum eo, quod Vs. 10. de imbre dixerat, quasi ejus beneficio amplissimas fruges et annonam consequuti, qui ante in obscuro jacebant, conspicui reddantur et opulenti ob frugum abundantiam. Sic Chaldaeus: *ut ponat oppressos fame in sublime.* Sed generale procul dubio est. Ab opere naturae (Vs. 10.) ad homines transit, et quae in his edere solet summae potestatis documenta late persequitur. Connectendus hic Vs. cum Vs. 9. hoc modo: facit Deus magna et admiranda, לָשׂוּם *ponendo* שְׁפָלִים *humiles*, depressos, humili statu et conditione (ut Ez. 17, 14. 29, 14. 15.), לָמָרוֹם *in sublime*, ut Hieronymus vertit, in alto et tuto loco, ubi ab oppressione salvi sint, ad summam quandoque dignitatem et divitias evecti. Cf. 1 Sam. 2, 7. Ps. 113, 7. Posterius hemistichium, וְקֹדְרִים שָׂגְבוּ יְשַׂע, bene reddidit Hieronymus: *et moerentes erigit sospitate.* Nam קֹדְרִים, proprie *atrati*, pullati, h. l. sunt moerore deformati, vid. not. ad Ps. 35, 14. — שָׂגְבוּ יְשַׂע *Alti fiunt*, eriguntur, attolluntur divina potestate, in *salutem*, velut in tutam arcem, ubi a calamitatibus tuti sint. Cf. Ps. 12, 6. et not. ad Ps. 4, 1. Ante יְשַׂע subaudienda est particula לְ, praefixa nomini מָרוֹם in priori hemistichio. Loca plura alia, ubi ista particula omissa est, vid. in Noldii *Concordantt.* p. 415. ed. Tymp.

12. מֵפֵר מַחְשְׁבוֹת עָרוּמִים *Solvit*, irritas facit, *cogitationes*, conatus *callidorum*, qui opprimere student humiles, Vs. 11. Est contrarium superiori. וְלֹא־תַעֲשֶׂינָה יְדֵיהֶם תּוּשִׁיָּה *Ita ut non faciant manus eorum rem*, vel *quicquam rei*, uti plures nomen תּוּשִׁיָּה vertunt, quod a verbo inusitato יָשָׁה, unde est יֵשׁ *ens*, *id quod exsistit*, significatione putant convenire cum Graeco οὐσία (quocum, sublato ת, et sono convenit). Quod et Alexandrinus spectasse videtur, dum h. l. ἀληθὲς reddidit, i. e. quod *re vera exsistit*, simulacro aut umbrae rei oppositum. Sed Jes. 28, 29.

Digitized by Google

et Prov. 8, 14., cum עֵצָה *consilium, prudentia*, tanquam synonymo, conjungitur. Et infra apud nostrum 12, 16. תּוּשִׁיָּה idem plane est, quod Vs. 13. חָכְמָה, עֵצָה et תְּבוּנָה. Cf. et Prov. 2, 6. 7. Videtur תּוּשִׁיָּה proprie *auxilium* notare, quod alicui affertur, aut medicina (coll. Arab. אסא *curavit medicamento imposito, medicatus fuit*, unde אָסוּת *solumen, id quo levatur dolor*), aut sapiente consilio (cf. infra 6, 3., ubi תּוּשִׁיָּה cum עֶזְרָה *auxilio* jungitur), hinc in universum *consilium, rationem, prudentiam*, et institutum omne, quod cum intellectu et ratione fit. Quare verba nostra sic potius vertenda: *non faciunt manus eorum consilium s. rationem*, i. e. quod cum ratione et sapientia sibi videbantur proposuisse; nihil eorum perficiunt, quae prudenter et callide suscepisse videbantur, ut optato fine potirentur. R. Levi Gersonides nostram dictionem exponit de eo, quod quis sibi statuit, ut faciat, quo finem optatum assequatur, etiam in malum. Chaldaeus hunc Versum cum sequentibus refert ad Aegyptios et Pharaones, qui varias artes excogitarunt, quibus Israelitis mala inferrent. Syrus reddit *sapientiam*, Arabs *astutiam*, Hieronymus *quod coeperunt*.

13. לֹכֵד חֲכָמִים בְּעָרְמָם *Capit sapientes*, callidos, *in astutia sua*, ut eo ipso, quod astute excogitarunt, capiantur, et irretiantur; suis eos retibus capit, suis jugulat gladiis. Videtur hinc sumsisse Paulus quod citat 1 Cor. 3, 19. ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. Alexandrinus nostra verba sic reddidit: ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει αὐτῶν. חֲכָמִים *Sapientes*, videntur h. l. in malo sensu dici pro עֲרוּמִים *astutis*, quod Graecis quoque in σοφὸς et πυκινὸς usitatum esse, monuit A. Schultens. בְּעָרְמָם Kimchius observat dictum esse pro בְּעָרְמָתָם, litera ת per syncopen concisa, ut Hos. 13, 2. כְּתְבוּנָתָם pro כִּתְבוּנָם. Aliis est Infinitivus Cal, qui 1 Sam. 23, 22. reperitur, sed h. l. mutatis punctis, propter suffixum. Simplicius est formam segolatam, עֹרֶם, assumere, ejusdem significationis cum עֲרָמָה. Versuti in altero hemistichio נִפְתָּלִים *contorti, perplexi* appellantur, quos Alexandrinus non male πολυπλόκους dixit, multis quasi fraudum filis et nexibus implicitos. נִמְהָרָה *Fit praecipitatum* consilium eorum, i. e. confusum et fatuum, ut errent et impingant ubique ac in praeceps ruant, sicut festinantes solent, quemadmodum Prov. 19, 2. dicitur אֵץ בְּרַגְלַיִם חוֹטֵא *festinus pedibus errat*, s. lapsat, offendit. Hinc נִמְהָרִים Jes. 32, 4. sunt *temerarii*, stolidi, qui inconsulto aliquid faciunt ac temere, et Jes. 35, 4. נִמְהָרֵי לֵב *consternati*, mentis inopes, metu ac terrore. Sensus itaque est, consilium versuterum, etsi prudentissime initum, divina potentia fatuum et irritum reddi, ut aeque nihil valeant homines isti prudentissimis consiliis suis, ac si imprudentissime inita essent. Syrus: *et consilium callidorum irritum facit.* Hieronymus: *consilium pravorum dissipat.*

Digitized by Google

14. יוֹמָם יְפַגְּשׁוּ־חֹשֶׁךְ וְכַלַּיְלָה יְמַשְּׁשׁוּ בַאֲשֻׁרַיִם *Interdiu impingunt in tenebras, et veluti noctem palpant in meridie*, i. e. etiam in rebus maxime perspicuis hallucinantur, ac quum sibi viderentur perspicacissimi in suis consiliis et negotiis exsequendis, ut non possent ea ad exitum perducere, involvuntur subito densissimis tenebris et ignorantia. Hoc ipsum est inter diras, quas Moses imprecatur neglecturis suas leges, Deut. 28, 29. Cf. Jes. 59, 10. et infra 12, 25.

15. Dum ita astutias et insidias versutorum hominum irritas facit, e contrario יֹשַׁע *salvat*, sc. אֶבְיוֹן *pauperem*, inopem, quod nomen ex fine Vs. est repetendum. Verba מֵחֶרֶב מִפִּיהֶם quidam habent pro asyndeto, *a gladio*, item *ab ore eorum*, qui devoraturi eos erant, ne fiant praeda eorum, coll. Ps. 124, 3. 6. Aliis est appositio: *a gladio, ore eorum*, ab eorum ore, quod illis est tanquam gladius. Optime tamen Hieronymus: *a gladio oris eorum*, nam particula מִן saepe Genitivum format, ut infra 6, 25. Prov. 26, 7. שֹׁקַיִם מִמֻּסָּחַ *crura claudi*. Nah. 2, 10. *Copia ex omnibus vasis desiderii*, i. e. copia vasorum desiderabilium. In codd. quibusdam et Kennicotti et de Rossii scriptum est מֵחֶרֶב פִּיהֶם, quod miror a de Rossio praeferri vulgari lectioni, paullo quidem difficiliori, sed hoc ipso nomine praeferendae. *Gladio oris* significantur calumniae et verba quaecunque in bonorum aut capitis periculum inducunt. Sic Prov. 28, 15. malevolorum lingua חֶרֶב, et Ps. 57, 5. חֶרֶב תַּעֲרָה *gladius acutus* vocatur.

16. וְתִהְיֶה לַדַּל תִּקְוָה *Et est* hoc scilicet modo *tenui spes* reliqua, ei, qui ope omni et spe humana destitutus est. וְעָלְתָה קָפְצָה פִּיהָ *Et perversitas contrahit*, i. e. occludit *os suum*, versutorum istorum insidiosa eloquentia obmutescit, confusi et frustrati spe sua tacent, quum praeter opinionem suam vident ereptos eos, quos putebant a se oppressum iri. Haec ipsa verba exstant Ps. 107, 42., nisi quod pro עָלְתָה illic, sine He paragogico, עָוְלָה scriptum est, femininum segolati עָוֶל, quod et עוֹל scribi potuit ex eadem lege, qua omnia nomina formae פּוֹד in origine fuerunt פָּוֶד, unde in plurali פְּוָדִים existit. Eodem ergo jure עוֹלָתָה positum, quo עָוְלָתָה.

17. Adhuc Dei potentiam, sapientiam, justitiam et misericordiam exposuit Eliphasus, tum in rebus naturae universe, tum speciatim in homines, oppressos maxime, quos pro sua potentia et clementia e manu opprimentium, licet robustiorum, eripiat. Ad eum vult Jobum reverti (Vs. 8.), qui pro sua potentia et misericordia, etiam in singulos quosque, ipsum ex hac calamitate sit liberaturus. Itaque hortatur jam amicum, ut mala castigationis causa ei divinitus immissa (utpote mortali, natura vitioso, Vs. 7.), aequo ferat animo, ut ipsius causam jam placatus magis suscipiat Deus, et ad illum reducat ordinem et gradum, ex quo nunc depulsus jacet. אַל־תְּמָאֵס — תְּנוּת *Ecce* igitur *beatitudines he-*

Digitized by Google

minis, quam felix sit vir (cf. not. ad Ps. 1, 1.), *quem Deus castigat; et*, ideo *castigationem Omnipotentis ne respuas* per impatientiam, ut rem ingratam. Eadem sententia, iisdem plane verbis concepta, Prov. 3, 11. 12. מוּסַר יְהוָה אַל־תִּמְאָס *castigationem Jovae ne averseris*, כִּי אֵת־אֲשֶׁר־יֶאֱהַב יְהוָה יוֹכִיחַ *nam quem amat Jova, hunc castigat.*

18. כִּי הוּא — תְּרַפֵּינָה *Nam ille dolore afflixit, et obligat* inflictum vulnus, *percutit, et manus ejus sanant.* Sed qui vulnera infligit, idem et obligare illa ac sanare potest, quemadmodum ipse de se testatur Deut. 32, 38. מָחַצְתִּי וַאֲנִי אֶרְפָּא Hos. 6, 1. Significat igitur, nihil esse timendum illi, qui Deum omnipotentem et justum agnoverit, qui se illi totum ac omnino subjecerit. תְּרַפֵּינָה a rad. רָפָה pro תְּרַפֶּאנָה ad formam tertiae radicalis He.

19. בְּשֵׁשׁ צָרוֹת — רָע *In sex angustiis liberabit te, et*, imo *in septem* angustiis *non attinget*, laedet *te malum. Sex* angustiis, *septima*que insuper addita, indicat multas et varias calamitates, et tandem plane cumulatas, ut nihil videatur posse accedere ad miseriam. Ex quibus omnibus dicit Deum eripere eos, qui aequo animo eas ferant, et ab omnipotente pariter ac justissimo rerum omnium moderatore auxilium exspectent. Expressit autem hanc sententiam eo loquendi modo, Hebraeis non infrequenti, in quo numerus aliquis ita proponitur, ut extremus seorsim addatur, qui complet numerum. Sic Amos. 1, 3. 6. 9. 11. cet. עַל־שְׁלֹשָׁה פִּשְׁעֵי דַמֶּשֶׂק וְעַל־אַרְבָּעָה *propter tria crimina Damasci et propter quartum.* Eccl. 26, 5. Ἀπὸ τριῶν ἐνλαβήθη ἡ καρδία μου, καὶ ἐπὶ τῷ τετάρτῳ ἐδείθην. Vid. et Ex. 20, 5. Mich. 5, 4. Prov. 30, 15. Sic apud Homerum ἐννῆμαρ — τῇ δεκάτῃ, Iliad. 1, 53. 54. 6, 174. 9, 466., et ἕξημαρ — ἑβδόμῃ, Odyss. 16, 249. 53. Et magis accommodate ad locum, in quo versamur, Prov. 6, 16. *Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus;* quae deinceps sigillatim enumerantur. Numeri definiti *sex* et *septem* pro indefinitis positi sunt, ad multitudinem indicandam, ut *septenarius* numerus usurpatur Lev. 26, 18. 21. Prov. 24, 16.

20. בְּרָעָב — מִידֵי חָרֶב *In fame liberabit te a morte, et in bello e manibus gladii.* פָּדָךְ *Redimet te*, i. e. liberabit te, cf. not. ad Ps. 25, 22. מִידֵי חָרֶב *A manibus gladii*, a potestate et violentia hostis armati, ne occidaris. Sicuti gladio *os* tribuitur Ex. 17, 13. Num. 21, 24., et *facies*, infra 19, 29. Lev. 26, 37. Jes. 31, 8., ita hic *manus*, ut Ps. 63, 11. Jer. 18, 21. Ez. 35, 5.

21. בְּשׁוֹט לָשׁוֹן תִּסָּתֵר *In flagello linguae absconderis*, quum improbi calumniis alios et maledictis incessunt ac velut flagellant, non venies illis in mentem, ut te cum aliis accusent, et linguae suae virulentia petant, aut traducant, perinde ac si lateres. Sunt, qui בְּשׁוֹט faciant infinitum: *in grassando*, i. e. quum grassatur lingua maledica (coll. Ps. 73, 10.). Sed quamvis Infinitivus

Digitized by Google

verborum media quiescentium et quandoque Cholem habeat, ut קוֹם Jer. 44, 29., שׂוֹב Jer. 42, 10. al.; tamen si *grassando* dicere voluisset, eum potius existimarim dicturum fuisse בְּשׂוּם, cum Schurek, ut supra 1, 8. מְשׂוּם בָּאָרֶץ, quod cum Arabico سوم *obire, circum cursitare*, convenit, quum nostrum שׂוֹם idem sit, quod Arab. سوط *scutica, flagellum*, ut infra 9, 23. Jes. 28, 18. Nec veterum ullus h. l. de *grassandi* notione cogitavit. Non est opus, שׂוֹם לָשׁוֹן per ellipsin dictum statuere, pro שׂוֹם אִישׁ לָשׁוֹן *flagellum viri linguae*, i. e. calumniatoris, ut Ps. 140, 12., coll. simili ellipsi Ps. 109, 4. 120, 7. ubi not. cf. Sed *flagello* lingua maledica h. l. sicut alias *gladio* aut *sagittae* comparatur, quod sicut flagellum corpori, ita illud famae vulnera infligit, cf. Ps. 57, 5. 59, 8. 64, 4. „*Flagellum linguae* vocari contumeliosas voces, quibus homines impetuntur, et veluti flagellantur, eorumque fama laceratur, tralatitia est metaphora, omnibus credo linguis usitata. Idem nempe, quod Horatio (*Od.* III. 12. 3.) *patruae verbera linguae*, quae miseras puellas exhorrescere ait. Sic Galli dicunt *un coup de langue*, et Angli ad Eliphae loquutionem propius, *lashes* de aculeatis dictis usurpant. Ceterum hoc nostro loco, *a flagello linguae abscondis*, plane germanum huic Psalmi 31, 21. *Abscondis in tentorio a contentione linguarum*, sic ut alter alterum locus mire illustret, et Psaltes ab Eliphaso mutuasse videatur.“ Bouillier. וְלֹא־תִירָא מִשּׁוֹד כִּי יָבוֹא *Nec timebis a vastatione quum venerit*, ingruerit, q. d. non erit, quod timeas, quia te Deus ab ea servabit. שׁוֹד (in quo elegans Hebraeis auribus paronomasia cum שׂוֹם) non esse restringendum h. l. ad *tempestates* et *grandines*, ut quidem voluerunt, verum latissime patere atque *mala omnia vastitatem inducentia* amplecti, ut sunt populationes, praedationes, ruinae, incendia, recte A. Schultens animadvertit.

22. לְשׁוֹד — אַל־תִּירָא *Ad devastationem et famem ridebis, et a bestiis*, feris *terrae non temebis.* שׁוֹד A. Schultens confert cum Arabico سَوْدَة *durities*, qua exprimunt etiam *inopiam et egestatem ultimam*, solenni formula jungentes *inopiam et famem*, sicuti h. l. שׁוֹד. וְכָפָן *Famis* notionem שׁוֹד et Jes. 51, 19. obtinere existimat, quum ibi cum רָעָב jungatur. Verum quum שׁוֹד ceteris omnibus V. T. locis *vastitatem* designet, nec nostro loco, nec Jesajano aliter videtur capiendum, praesertim quum utroque loco usitata significatio perquam apta sit; *vastitatem* enim, sive a natura proveniat, quum aut locusta, aut uredo corrumpunt et populantur messes, aut praeceps a culmine torrens, aut grando sternit laeta sata, sive ab hoste omnia depopulante, unde terra vasta et squallida reddatur, semper penuriam ac famem subsequi necesse est. Syrus et Arabs שׁוֹד h. l. *praedationem* reddiderunt. Non est, cur quaeramus cum Hebraeis, quomodo differant *vastitas et fames* hoc Versu commemoratae ab iisdem calamitatibus Versu, qui praecessit, jam nominatis (רָעָב volunt signare *famem ex defectu*

Digitized by Google

annonae et sterilitate oriundam, שֶׁמֶן vero *caritatem annonae*, a frumentariis flagellatae, in *horreis* sua eam *colligentibus* et supprimentibus); nam et *ferae* hoc et sequi Versu repetuntur. תִּשְׂחָק *Ridebis*, non curabis, securus ea mala contemnes, Dei praesidio tutus. Cf. infra 39, 7. 41, 20. Similiter Martialis, cum agit de endromide, quae hominem egregie a coeli et temporum injuriis tuetur, *ridere* illum dicit, quicquid alii ab eo munimento nudi timere solent (IV, 19. 4.): *Ridebis ventos hoc munere tectus, et imbres.* Quod poeta ante תִּירָא particulam אַל (non לֹא) posuit, in eo A. Schultens emphasin detexisse sibi visus est, *ne timeas* existimans venuste positum pro *cave timeas*, multo plus sonans, quam לֹא־תִירָא, „est enim *prohibentis*, inquit, et *increpantis* quasi, ne suam dignitatem ac majestatem minuat veluti, eos timendo, quos ut Dominus pede suo calcare possit illaesus.“ Sed particula אַל saepius quidem est prohibentis aut deprecantis, saepe tamen etiam simpliciter negat, ut Ps. 34, 6. 41, 3. 50, 3.

23. Rationem reddit promissae Jobo securitatis: כִּי עִם־אַבְנֵי הַשָּׂדֶה בְּרִיתֶךָ *Nam cum lapidibus agri* erit *foedus tuum*, pactum quasi tibi cum iis erit. Quibus verbis nonnulli respici opinantur ad *scopelismum*, quem in Arabia obtinuisse memorat Ulpianus. Videlicet solebant inimici alicujus praedium ejus σκοπελίζειν, id est lapides ponere, indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo leto esset periturus insidiis eorum, qui istos scopulos posuissent: quo fiebat, ut nemo ad eum agrum accedere auderet, crudelitatem timens eorum, qui scopelismum fecerant. Similis ritus deprehenditur 2 Reg. 3, 19. 25. Sed hi casus quum sint rari et singulares, vix quadrabunt ad benedictionem hanc generalem, pios omnes prosequuturam. Alii *fundum lapidosum*, unde ad Jobum uber proventus sit redundaturus, significari opinantur, ut haec sit sententia: adeo tibi a fame nihil erit metuendum, ut non culta modo agrorum tuorum, sed et ipsi steriles lapides fructus copiosos allaturi sint: cum aliorum fertiles agri spem fallant colonorum, saxa tua quasi tecum foederata, melle, lacte, oleo fluent. Cf. Deut. 32, 13. Verum simplicissimus sensus hic erit: *nam* etiam *cum lapidibus campi foedus tibi* intercedet, ne ad eos impingas aut offendas pedem tuum, ut habetur Ps. 91, 12., ubi Vs. 13. et alia similia. בְּרִיתֶךָ *Foedus tuum* erit, ut tibi non obsint aut noceant, cf. Jes. 28, 15. *Pepigimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum*, nihil ab iis nobis est metuendum. וְחַיַּת הַשָּׂדֶה תַּשְׁלֵם־לָךְ *Et fera agri pacifica* erit *tibi*, ferae te non lacdent, nec agros tuos vastabunt. Et maxime noxia tibi non nocebunt.

24. Verum non solum a malis et calamitatibus eripiet te aut tuebitur Deus, quin etiam favore suo et beneficiis te prosequetur. וְיָדַעְתָּ *Et scies*, ipso experimento cognosces, ut Vs. 25. Zach. 4, 9. כִּי־שָׁלוֹם אָהֳלֶךָ *Quod pax*, i. e. quietum et incolume, sartum

Digitized by Google

tectumque sit *tentorium tuum*. Hieronymus: *quod pacem habeat*. Abstractum pro concreto; nisi malis adjectivum esse formae גָּדוֹל, קָטוֹן. Cf. infra 21, 9. 1 Sam. 25, 6. 2 Sam. 20, 9. Alii subaudito ב ante nomen quod sequitur, vertunt: *quod pax* sit in *tabernaculo tuo*. אָהֳלֶךָ *Tabernaculum*, habitaculum *tuum*, cum omnibus hominibus et bonis, quotquot in eo reperiuntur. *Tabernaculum* pro domo, habitaculo, quod antiquitus in tabernaculis habitaretur, ut Num. 24, 5. Deut. 16, 7. al. Sensus: omnia tibi domi prospera et felicia agnosces. Hemistichium alterum, וּפָקַדְתָּ נָוְךָ וְלֹא תֶחֱטָא *et visitabis habitaculum tuum* (de נָוָה, quod proprie *mansionem pecudum et pastorum* designat, vid. not. ad Ps. 23, 2., h. l. i. q. אֹהֶל, ut infra 18, 15.), *nec peccabis*, Hebraeorum quidam sic exponunt: domum tuam ac familiam institues et diriges ad cultum et timorem Dei, nec in poenam incides, reus non perageris; quasi notet Eliphasus filiorum peccatum Jobo imputatum. Sed est verbum חָטָא h. l. eodem significatu capiendum, quo Jud. 20, 16. occurrit, scilicet *aberrandi a scopo*, collato Aethiopico חטא *destitui*, *carere*, *non invenire* aut *assequi*. Sensus igitur hic erit: cum visitabis habitaculum tuum, ejusque statum perlustrabis, non invenies te destitutum, et rebus necessariis carentem, sed abunde potius instructum. Vel: curabis domum tuam et res tuas, et eas procurans non frustraberis spe tua, cedentibus tibi rebus omnibus pro voto et ex animi sententia.

25. Haec felicitas, non interturbanda vitae spatio, augebitur numerosa filiorum nepotumque sobole. וְיָדַעְתָּ — הָאָרֶץ *Cognosces*, re ipsa comperies, si, ut dixi (Vs. 17.) facies, *quod multum sit semen tuum*, quod soboles tua copiosa sit futura, *et germina tua*, liberi tui, augescant *sicut herba* s. *gramen terrae*. צֶאֱצָאִים proprie sunt *germina* arborum et plantarum, grato cum virore et nitore emicantia (arab. צאצא *micuit oculis*, *emicuit*), hinc soboles hominum, cum novis arborum plantarumque germinibus comparatae, ut infra 31, 8. Jes. 22, 24. 34, 1. כְּעֵשֶׂב הָאָרֶץ *Sicut herba terrae* sc. multiplicabuntur, magnum incrementum Hebraei herbae augmento comparant, cf. Ps. 72, 16. Jes. 44, 3. 4.

26. תָּבוֹא בְכֶלַח אֱלֵי־קָבֶר *Intrabis in consummatione*, i. e. completo annorum numero, *in sepulchrum*. Nomen כֶּלַח, huic tantummodo libro proprium (nam semel tantummodo, infra 30, 2., recurrit), h. l. plerique *senectutem* volunt notare, quam significationem exsculpunt ex Arabico כלחד *strinxit dentes cum austeritate vultus*, quasi a vultus austeritate dicta esset senectus. Alii כֶּלַח *hilaritatem* notare volunt, ex arabico תכלח *risit nudatis dentibus*. Sed neque *senectutis*, neque *hilaritatis* notio quadrat alteri loco, 30, 2., ubi כֶּלַח respondet nomini כֹּחַ in priore hemistichio, ut hic *acervo frugum ad plenam maturitatem perductarum* in hemistichio altero. Utroque loco aptissima *integritatis*, *consummationis* significatio, etsi ea dialectorum cognata-

Digitized by Google

rum usu firmari non possit. Nam quod illam Syriaco כלח tribuit Edm. Castellus in *Heptagl.* summi viri errore factum esse, monuit Gesenius in Praef. ad Lex. hebr. min. ed. sec. Sed forsan radix כָּלַח eandem quam כָּלָה significationem *absolvendi, consummandi* obtinuit, uti Syr. גחן et Chald. גְּחַן *se inclinare*. Intelligendus autem h. l. *annorum* vitae humanae *numerus integer*, i. e. *justus, atque completus*, ut sensus sit: non aetate praematura, sed completis annis tuis, matura jam senecta morieris; non praevenieris violenta et immatura morte. Sic Chaldaeus: *ingredieris in completione annorum tuorum, in senectute, in sepulchrum.* Hieronymus בְּבֹכֶלַח *in abundantia* reddidit; intellexit fortasse abundantiam annorum. Syrus et Arabs: *quiete.* Alexandrinus: ὥσπερ σῖτος ὥριμος κατὰ καιρὸν θεριζόμενος, *tanquam frumentum maturum, quod in tempore suo metetur*, ut vetus Latinus reddidit. Putavit Graecus interpres כָּלַח conflatum ex similitudinis particula כ, et לַח *vegetus.* בַּעֲלוֹת גָּדִישׁ בְּעִתּוֹ *Sicut ascendit acervus frugum suo tempore*, i. e. grandis et ad ipsos exactae aetatis terminos provectus ingredieris sepulchrum, ut fruges non nisi ad plenam maturitatem perductae in aream comportantur, ut ex illis acervus fiat. גָּדִישׁ est *acervus frugum*, qui in area erigitur, ut in regionibus calidioribus fieri solet, ut Syr. גְּרִישָׁא et Arab. كَرِيس (quae ipsae voces h. l. a Syro et Arabe usurpatae) et כָּדַס *acervus non excussae messis*, a כדס *accumulavit*, ג et כ invicem permutatis. כַּעֲלוֹת *Instar ascendere*, sicut in altum surgit, et coacervatur, ut in aream inferatur. Similis figura, verbis tamen diversis expressa 2 Reg. 22, 20. *Colligam te ad patres tuos*, וְנֶאֱסַפְתָּ אֶל־קִבְרֹתֶיךָ *et colligeris ad sepulchra tua.* בְּעִתּוֹ *In tempore suo*, non prius scilicet, quam cum fruges plene maturuerunt; ita tu etiam non prius sepulchro infereris, quam cum ad summam maturitatem aetatis humanae perveneris. Alexandrinus: ὥσπερ θημωνία ἅλωνος καθ' ὥραν συγκομισθεῖσα, *tanquam acervus areae in tempore suo congregatus*, ut Vulgata vetus reddidit. Hieronymus: *sicut infertur acervus tritici in tempore suo.*

27. הִנֵּה־זֹאת חֲקַרְנוּהָ כֵּן־הִיא *Ecce hoc* est *quod scrutati sumus, ita est*, diligenti perquisitione scrutati sumus haec, quae dixi; haec sunt nobis perspecta et explorata, utpote accurate a nobis inquisita, numquam pios et probos perire, sed solos improbos a Deo perdi, qui si aliquandiu florere videantur, repente tandem a Deo opprimi cum tota posteritate, felicem vero eum esse, qui aequo animo fert Dei flagella, eum ab afflictionibus variis liberandum Omnipotentis ope, insuperque favore divino afficiendum et augendum, donec diem suum tranquille obeat. שְׁמָעֶנָּה וְאַתָּה דַּע־לָךְ *Haec* ergo *audi, et tu scito tibi*, i. e. attende diligenter, et in mente recondе. Bene Hieronymus: *quod auditum mente pertracta.* Videlicet eo directa sunt, quae Eliphasus protulit, ut sua peccata Jobus agnoscat, quorum stipendium innuit esse mala haec graviora, quibus affligitur.

Digitized by Google

JOBUS.

Cap. 6. 7.

Respondet Jobus ad ea, quae ab Eliphaso dicta fuerant. Primum quod ille se impatientiae arguerat, hanc imputandam esse ostendit doloris, quem patiatur, magnitudini et atrocitati, quem varie exaggerat, tantum esse ostendens, ut ei ferendo par non sit (6, 2 — 12.). Eliphasi ac sociorum in se immisericordiam et asperitatem taxat, quod ex miseriis sibi immissis se judicassent injustum et sceleratum, et quod cum se ab illis sperasset solatium adepturum, longe secus acciderit, ut sua exspectatione frustratus, nihil ab illis nisi verba inclementia et aspera retulerit (18 — 23.). Hortatur tamen, ut si quid in ipso minus aequum et prudens deprehenderint, illud coërceant et corrigant, dummodo et illi vicissim audiant, et omnis absit ab ea disputatione pertinax et tumultuosa contentio (24 — 30.). Quod Eliphasus de ferenda aequo animo Dei castigatione dixerat, eludit, tum ob ejus gravitatem (7, 1 — 5.), tum quod tam breve tempus homini concessum hic esse dicat, ut tantae calamitati ferendae omnino impar sit (6.). Hinc vi doloris coactus, in Deum ipsum sermonem dirigit, petitque ut, quum sciat, tam breve tempus hic homini concessum esse, idque multis undiquaque aliis curis, aerumnis et anxietatibus, quae hanc vitam comitantur, assidue plenum, saltem se exiguo illo tempore sinat tranquille vivere, nec se ita graviter affligat. Itaque velut cum Deo expostulat, quod quum hominis haec sit conditio, se non missum faciat, tantisper dum brevi hac vita fruatur (7 — 21.).

Cap. 6, 2. יִשָּׁאוּ־רוּחַ — יִשָּׁקֵל שַׁקּוּל לוּ *Utinam adpendendo ponderaretur*, exacte ponderaretur, *aegritudo mea*, *et* utinam *calamitatem meam in bilance* positam *attollerent una!* כַּעַשׂ h. l. i. q. כַּעַס *aegritudo*, *moeror*. Alii *indignationem* in querelas intemperantiores erumpentem, intelligunt, ut optet Jobus simul haec appendi, et inter se conferri indignationem s. querelam cum sua miseria, quasi significare velit, non excedere querelas magnitudinem malorum: quicquid exclamet, et conqueratur, longe inferius esse gravitate mali, quod ferat. Sed qui proxime sequitur

Digitized by Google

Vs. ostendit, comparationem fieri non indignationis et calamitatis, sed utriusque, כַּעְשִׁי et הַיָּתִי, simul cum re quantumvis gravi. הַיָּתִי pro הַוָּה, uti ad marginem Masorethae legendum jubent, *grave infortunium*, *aerumnas* significare, non est dubium, cf. Ps. 52, 4. 91, 3.; infra 30, 13. Similiter in Proverbiis pro eo, quod 17, 25. habetur, לַאֲבִיו בֶּן כְּסִיל, 19, 13. dicitur הַוַּת לְאָבִיו בֶּן כְּסִיל. Simile genus loquendi exstat Ps. 62, 10., ubi de vanitate hominis agens poeta, ait, si homo et vanitas simul in easdem bilances ascenderint, fore, ut ipsa etiam vanitate levior sit homo, בְּמֹאזְנַיִם לַעֲלוֹת הֵמָּה מֵהֶבֶל יַחַד *in stateras si ascenderint*, *sunt prae vanitate simul*, i. e. omnes homines vanitate leviores sunt. Tertia pluralis persona, יִשְׁאוּ impersonaliter sumenda, ut supra 4, 19. יְדַבְּאוּם, ubi not. cf. O si *levaretur!* יַחַד plures explicant *una*, sc. cum opposito pondere, etiam ponderosissimo, coll. Vs. 3. Melius alii: *tota*, *quanta* est calamitas, in unam lancem collata atque congesta appendantur, omnia, quibus angor, mala.

3. כִּי־עַתָּה — לָעַד *Nam nunc prae arena marium gravis foret*, *propterea verba mea temeraria fuerunt. Arena maris* proverbiali usu rem gravissimam indicat, ut Prov. 27, 3. כֹּבֶד אֶבֶן וְנֵטֶל חוֹל *gravitas lapidis*, *et onus arenae*, *at molestia stulti gravior ambobus.* Verbum masculinum יִכְבַּד referendum non ad הַיָּתִי, quod proxime praecedebat, sed ad remotius masculinum כַּעְשִׁי. Similem constructionem vid. Prov. 27, 9. In verbo לָעַד explicando inter se dissident interpretes. Hebraei consentiunt in *absorbendi*, *deglutiendi* notione, ducti loco Obad. Vs. 16. שָׁתוּ וְלָעוּ, quem vertunt: *libunt et deglutiunt.* Concinit arabicum لَعَطَ *versavit ore*, *tum deglutivit.* Hoc tamen loco verbum *intransitive* s. *passive* capiendum volunt, *absorbentur et perduntur.* Sic jam Aquila: ἐπὶ τοῦτο ῥήματά μου κατεπόθησαν (sic enim legendum esse pro κατεπατήθησαν, recte Drusius conjecit). *Verba* dici existimant *absorpta*, quae distincte et articulate non proferuntur, sed quasi intra os absorbentur, quod fit in magno dolore. Ut nostri loci hic sit sensus: gravior est arenâ maris aerumna mea, hinc fit, ut prae dolore et vi mali loqui non possim, vox me deficiat, et faucibus haereat. Hoc sensu Syrus et Arabs: *propterea verba mea cohibita*, s. *praeclusa sunt.* Symmachus: οἱ λόγοι μου κατάπικροι, neque multo aliter Hieronymus: *unde et verba mea dolore sunt plena.* Videntur verbum nostrum putasse significatione convenire cum לָאָה, quod non solum *fatigare*, verum etiam *impatienter* vel *aegre aliquid ferre*, *molestia affici* significat, vid. supra 4, 2. 5. infra 16, 7. Sensum autem perquam commodum suppeditat arabicum لَغَا *erravit in loquendo*, unde Participium لَاغٍ, si de sermone usurpatur, significat *dicta temeraria atque enormia.* Philologorum Arabicorum loca, quibus hoc verbum explicatur, in medium protulit C. F. Schnurrer in

Digitized by Google

Dissertat. in Obadiam (in *Dissertatt. Philologico-Critt.* p. 413.) Vs. 15., ubi et ad nostrum locum illustrandum monuit, Phiruzabadium לאלית explicare per פאחשת, id vero, eodem teste, notare *factum eximie pravum, et quicquid interdixit Deus:* et juxta Gjeuharium, *omne malum, quod modum excedit.* Hinc verba nostra vertit: *dicta mea modum excessere.* Eodem sensu Graecus Alexandrinus: *ἀλλ' ὡς ἔοικεν τὰ ῥήματά μου ἐστὶν φαῦλα, sed, ut videtur, verba mea mala,* sicuti reddidit vetus Latinus.

4. כִּי חִצֵּי שַׁדַּי עִמָּדִי *Nam sagittae Omnipotentis apud me* sunt. *Sagittas omnipotentis* quidam simpliciter *validissimas* verti volunt, ut additum *Dei* nomen eodem sensu sit accipiendum, quo in phrasi הַרְרֵי־אֵל *montes Dei*, i. e. maximi, Ps. 36, 7., ubi not. cf. Alii: *sagittae potentis*, ut שַׁדַּי non Dei tantum, sed cujusvis potentis epitheton sit, q. d. sagittae a potente et forti impactae. Sed multo gravior existit sensus, si שַׁדַּי, ut ceteris, quibus occurrit, locis, ita et hic, de *Omnipotente* intelligimus, ut dicat: ictus sagittarum Omnipotentis sentio. A magnitudine ac potentia inferentis ostendit gravissimum esse suum dolorem. An non gravissimum esse vulnus oportet, quod a tam potente jaculatore, Deo omnipotente sit inlatum? Hoc considerare jubet socios, tum enim eos facilius ignoscere sibi sperat, quod in tam acerbas querelas erupisset. Similiter Davides queritur Ps. 38, 3. חִצֶּיךָ נָחֲתוּ־בִי *sagittae tuae in me adactae sunt.* עִמָּדִי *Penes me*, s. mecum, q. d. mihi adhaerentes, Alexandrinus et Latinus vetus recte *ἐν τῷ σώματί μου, in corpore meo*, Syrus et Arabs *in carne mea*, Chaldaeus et Hieronymus *in me* reddiderunt. Magis exaggerat, dum addit: אֲשֶׁר חֲמָתָם שֹׁתָה רוּחִי *quorum venenum meus bibit spiritus. Venenum imbibi* dicitur *a vulnerato*, id est, visceribus immisceri, penitisque implicari medullis, metaphora desumta a veneno tinctili, sive coloribus, quos *lana* dicitur *bibere, imbibere.* Ita SENECA in *Hercule Oetaeo*, Vs. 566. *Nunc congeratur virus, ut vestis bibat Herculea pestem.* Sensus tamen erit non minus elegans, imo *ἐμφατικώτερος*, si רוּחַ capias in Accusativo, uti fecit Alexandrinus: *ὧν ὁ θυμὸς ἐκπίνει μου τὸ αἷμα, quarum furor bibit sanguinem meum*, ut in vetere Vulgata redditum. Hieronymus: *quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Syrus et Arabs: *et venenum earum bibit*, exhaurit *spiritum meum* vitalem. Venenum dicitur exsorbere medullas alicujus, quum eas ingenti cum cruciatu consumit, figura depromta ab aestu humorem ebibente et consumente. Similiter SOPHOCLES in *Trachinn.* Vs. 1061. pestem, qua Hercules vivus desumtus, describit: — — *πνεύμονος τ' ἀριηρίας Ῥοφεῖ ξυνοικῶν, ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμα μου Πέπωκεν ἤδη.* Quae CICERO in *Tuscull.* 2, 8. imitatione sic expressit: *Urgensque graviter, pulmonum haurit spiritus. Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit.* Vividioribus coloribus id pinxit LUCANUS, *Pharsall.* IX. Vs. 741. sqq.

Digitized by Google

Ecce subit virus tacitum carpitque medullas Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe. Ebibit humorem circa vitalia fusum Pestis, et in sicco linguam torrere palato Coepit. רוּחַ h. l. *spiritum vitalem* designat, ut infra 17, 1. Ceterum alludi videtur hac imagine ad morem Persarum veterum, aliorumque antiquorum populorum, sagittas veneno illinendi, quo praesentiorem mortem afferrent. Ita VIRGILIUS *Aeneid.* IX. Vs. 773. *Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.* Et *Aen.* X. 140. *Vulnera dirigere, et calamos armare veneno.* Similiter OVIDIUS Lib. I. *de Ponto*, Eleg. II. de Scythis: *Qui mortis saevo geminent ut vulnere causas, Omnia vipero spicula felle linunt.* Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. III. no. 735. p. 329. Perstat noster in figuris a re bellica desumtis, dum addit: בִּעוּתֵי אֱלוֹהַּ יַעַרְכוּנִי *terrores Dei aciem contra me instruunt. Terrores*, i. e. ictus terribiles a Deo inflicti, tanquam acie instructa incumbentes sistuntur. יַעַרְכוּנִי concise dictum pro יַעַרְכוּ לְקִרְאָתִי מִלְחָמָה, coll. 2 Sam. 10, 9. Jud. 20, 20. 22. Bene Hieronymus: *militant contra me.* Sed Alexandrinus: ὅταν ἄρξωμαι λαλεῖν, κεντοῦσίν με, *cum enim incipio loqui, stimulant me*, ut habet vetus Latina. Pro בִּעוּתֵי legit בְּעוּתִי, quod vel simili sensu, ut לָעוּת Jes. 50, 4. cepit, vel ad verbum arab. عوث *clamare* retulit.

5. Se non sine justa causa ita vehementer conqueri, sed vi doloris ad querelas tam acerbas compelli, planum facit similitudine a mutis animantibus ducta, quod clamare non soleant, ubi habent sibi necessaria, quo innuit, tunc illa sonos edere lugubres et crebros, quum urgente fame nihil inveniant ad illam explendam, aut etiam levandam opportunum. הֲיִנְהַק — עַל־בֶּלִילוֹ *Num rudit onager super*, apud *herbam*, *an mugit bos apud farraginem suam?* Verbum ἅπαξ λεγόμενον נָהַק est idem quod consonum arabicum verbum *rudere.* עֲלֵי h. l. *secus*, *ad*, ut Jes. 32, 20. Cant. 5, 12. Quum propter herbam pascitur. בֶּלִיל a בָּלַל *miscuit diversas fruges*, aut *foenum et paleam cum frugibus*, *in pecorum*, aut *jumentorum pabulum*, ut Jud. 19, 21., *farraginem*, μίγμα, notat, ut infra 24, 6. Jes. 30, 24. Vulgatus: *quum ante praesepe plenum steterit.*

6. הֲיֵאָכֵל — חָלָמוּת *Num comeditur insipidum sine sale? aut numquid est sapor in albumine ovi?* De חָפַל i. q. חָפַשׁ vid. ad 1, 22. Significatur *esculenti* genus quoddam, *quod sine salis condimento* gustui est ingratum, aut saltem insipidum. Observat et Jarchi, in lingua Mischnica חָפַל dici de *esculento insulso*, quod sine sale gustari nequit. Nec aliter veteres. Syrus: *insipidum*, *fatuum.* Arabs: *quod mali saporis est.* Chaldaica duplex servata nobis est hujus versiculi interpretatio, in quarum altera prius hemistichium sic sonat: *numquid comedi potest pulmentum absque sale?* In altera ita: *sicuti non comeditur quidquam polentae absque sale.* Alexandrinus: εἰ βρωθήσεται ἄρτος

Digitized by Google

ἄρτυ ἁλός; et Latina vetus: *numquid potest sine sale edi panis?* Cogitandum de Orientalium placentis tenuibus, non fermentatis, quae panis vicem ipsis praestant, et sine salis condimento prorsus sunt insipidae. Symmachus: μήτι βρωθήσεται ἀνάρτυτον τῷ μὴ ἔχειν ἅλας; Hieronymus: *aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Major veterum recentiorumque dissensus in explicatione dictionis חַלְמוּת בְּרִיר, maxime posterioris nominis, nam prius, רִיר *salivam* notare, non est dubium, cf. I Sam. 21, 13. et nomen harmonicum arabicum *saliva ex ore infantis manans.* חַלְמוּת nonnulli nomen esse putant *herbae insulsae* et *insipidae*, cujus רִיר *saliva* in proverbium iverit, ut ῥεῦτλον et *beta*, quae *fatua* dicitur, unde Aristophanes in *Ranis*, Vs. 973. ῥευτλία μικρὰ, *betulas parvas*, adhibuit pro *insipidis insulsisve dictis.* Cf. arab. חַלְמָה *herba minor arnoglossâ, albicans foliis et lanuginosa.* Sed quo minus חַלְמוּת pro plantae nomine habeam, impedit nomen רִיר *saliva*, quod de succo plantae usurpatum vix credo. Equidem acquiescendum existimo in *vitelli* significatione, quae nomini חַלְמוּת Talmudicorum Kimchiique auctoritate vulgo in Lexicis tribuitur. Videlicet ajunt Hebraei, in ovo duo esse, intrinsecus חֶלְמוֹן *vitellum* (אֹדֶם הַבֵּיצָה *rubicundum ovi*), et extrinsecus intra ovum חֶלְבּוֹן *albumen*, quod ipsum satis apte *saliva vitelli* dici potuit. Ita et Chaldaeorum interpretum prior *albumen ovi* vertit, alter *saliva vitelli.* Esse autem albuginem ovi omnis gustus expertem, et rem plane insipidam, nemini non est notum. Cui tamen hoc non placet, is potest vel arabicum חאלומת *lac coactum*, *presso simile*, vel חאלום *genus lactis acidi* conferre, ut רִיר חַלְמוּת *serum lactis coagulati* (vernacule *Molken*) significetur. Nec minus interpretes dissentiunt, quid velit sibi Jobus hoc et sequenti versiculo, et quisnam eorum sit nexus, cum iis, quae praecesserunt. Sunt, qui haec proprie intelligant, quasi Jobus se eo inopiae redactum esse conqueratur, ut etiam insipida, ingrata, nauseam moventia edere cogatur, ad vitam tuendam. Jejunius, ex meo quidem sensu; nec in omni reliquo libro Jobus de inopia cibi queritur. Figurate haec esse capienda, et tanquam proverbialem formulam, vix dubio caret; sed quidnam intendatur, dictu est difficilius. Hebraei magna ex parte hasce similitudines ad Eliphasi, quae praecessit, orationem referunt, ut velit Jobus, illam insulsam esse, neque admitti posse sine fastidio, quia sale, i. e. prudentia condita non sit, utque proposita tempore non suo, non secus ac cibus quidam insipidus nauseam creat; quasi diceret: hoc accedit ad magnitudinem doloris mei, et justam ejus causam, quod me verbis vestris, quae apud me gustus omnis sunt expertia, magis affligitis, quum erigere me et consolari debueritis. Sed videntur haec referenda esse ad summas miserias Jobo tolerandas, a quibus natura abhorret, haud secus atque ab escis insipidis et gustui injucundis, quas tamen devorare continuo debeat. Ita haec optime cohaerent cum iis, quae praecessere.

Digitized by Google

A mutis animantibus similitudinem duxerat, quod clamare non soleant, ubi habent justa pabula. Jam vero quum sibi obtrudantur insipida prorsus et injucunda, imo talia, a quibus in totum animus abhorreat (Vs. 7.), qui vitio sibi dari possit, quod tam miserabiles querelas effundat? quum a natura sic comparatum sit, ut in malis et doloribus acerbius queramur?

7. לַחְמִי — מָאֲנָה *Quae tangere renuit animus, ea sunt instar panis mei.* Versus initio subaudiendum אֲשֶׁר *quae*, quod respicit חַמַּת. Sed difficultas est in ultima hujus versiculi dictione, כִּדְוֵי לַחְמִי. Plerisque דְּוֵי est pluralis status constructi nominis דְּוַי *languor, dolor*, Ps. 41, 4., ejusdem significationis cum דְּוֹת Levit. 12, 2., דָּוָה Thren. 5, 17., et מַדְוֶה Deut. 7, 15. *Dolores panis* vero per hypallagen dictum volunt pro *pane* s. cibo *dolorum* (ut Ps. 127, 2. לֶחֶם הָעֲצָבִים), i. e. cibis molestis, et dolores creantibus, altero horum nominum substantivorum adjectivi vicem gerente, ut Jes. 2, 20. אֱלִילֵי כַסְפּוֹ *idola argenti sui*, i. e. idola sua argentea; cf. Ps. 119, 160. Dan. 9, 24. Hinc Mercerus Versum ita exponit: „Quae *renuebat attingere anima mea*, i. e. a quibus mihi animus abhorrebat, et quae ne contactu quidem dignatus fuissem antehac, quum sanus essem, et mihi omnia pro voto cederent, *ea* sunt nunc *tanquam dolores panis mei*, i. e. iis veluti cibis uti cogor, sed cibis molestis et injucundis. Intelligit autem foetores ulcerum suorum, et mala, quae patitur. *Me sont comme viandes douloureuses*, ad verbum: *comme doleurs de ma viande.*“ Quis vero non sentit, *ταυτολογίαν* esse vix ferendam: quae fastidiebam, ea sunt mihi cibus maxime injucundus? ut taceam, similitudinis notam, hoc sensu adoptato, plane superfluam esse, imo sensum non parum turbare. Hinc alii alias excogitarunt interpretationes. Gesenius in *Lexico* דָּוֶי *impurum, quod fastidiosum est*, s. *nauseam creat* significare existimat, ut הַמָּה כִּדְוֵי לַחְמִי vertendum sit: *illa* sunt *ut nauseosa* cibi *mei*, i. e. ut cibus nauseam mihi creans. Sed illa *impuri* nomini דָּוֶי tributa significatio neque hebraeae, neque cognatae alicujus linguae usu probari potest. Nobis כִּדְוֵי videtur idem valere, quod כְּדֵי Jud. 6, 5., *sicut, tanquam.* Nam quod eo loco legitur כְּדֵי־ לַהֲמוֹ בְּהֵמָה pro אַרְבֶּה, exponitur 7, 12. per כְּאַרְבֶּה. Ita et h. l. כִּדְוֵי לַחְמִי pro כְּלַחְמִי positum erit. Videtur vocis דְּוֵים (in statu constructo דְּוֵי, contracte דֵּי, quod citato Judicum loco habetur), cujus Singularis ignoratur, similis usus fuisse, ac Arabum דَאת (femininum vocis דּוּ), quod quum proprie *substantiam, essentiam*, hinc *rem ipsam*, denotet, cum aliis nominibus junctum frequenter redundat, ut דَאת مَال *substantia opum*, pro *opulentia*; בִּדְאתה *per substantiam sui*, i. e. *per se ipsum.* Integri Versus sententia ergo haec erit: quae summum mihi fastidium creant, a quibus in totum abhorret stomachus meus, iis pro cibis uti cogor. Perstat in comparatione Versu superiori instituta malorum quae sibi immittuntur

Digitized by Google

cum cibis injucundis sibi obtrusis. Chaldaica hujus Versus exstat interpretatio duplex, prior haec: quae *renuit tangere anima mea, ea reputata sunt quasi dolor in prandio meo.* Altera haec: quae *renuit tangere anima mea, facisnt me infirmum, et fuit sufficientia prandio meo.* In qua versione vocis כְּדֵוִי duae interpretationes junctae sunt, una qua *languoris, doloris* notione accipitur, altera, qua pro כְּדֵי positum sumitur, quod *satis* (propr. *secundum sufficientiam*) notat Levit. 25, 26. Esth. 1, 18., quo utroque loco a Chaldaeo ponitur illud ipsum מַסְפִּיָא, quod hic legitur. Hieronymus: *quae prius nolebat tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei sunt.* Videtur בְּדֵוִי pro כְּדֵוִי legisse. In postremis hujus Versus verbis codices hebraeos olim videntur minime concordes fuisse.

8. De מִי־יִתֵּן, optandi formula, cf. not. ad Deut. 5, 26. Ante תָּבוֹא subaud. ו *ut*, quod expressum legitur infra 19, 23. *Utinam eveniat* שְׁאֵלָתִי *petitio mea!* i. e. id quod exopto, ut Jud. 8, 24. 1 Sam. 1, 17. 27. Ps. 106, 15. Mortem intelligit, quam sibi superiori suo sermone Cap. 3. optaverat. וְתִקְוָתִי יִתֵּן אֱלוֹהַּ *Et spem* s. *exspectationem meam*, quod exspecto et unice in votis habeo, reditum ad eum statum, quo fueram, antequam natus essem, τὸ non esse, *det*, concedat *Deus.*

9. וְיֹאֶל אֱלוֹהַּ וִידַכְּאֵנִי *Et velit Deus, et conterat me*, utinam placeat Deo, me conterere, utinam me velit perimere! Eadem constructio Jos. 7, 7. וְלוּ הוֹאַלְנוּ וַנֵּשֶׁב *utinam voluissemus manere! Conteri* h. l. est destrui, ut testa destruitur, si conteritur, et de eo, qui morte conficitur, usurpatur adjectivum דַּכָּא Ps. 90, 3. יַתֵּר יָדוֹ וִיבַצְּעֵנִי *Solvat*, laxet *manum suam, et me abscindat*, morte me absumat. Alii: *me absolvat* (quomodo verbum בָּצַע et בֹּצֵעַ dicitur de eo, qui aliquid perfecit Jes. 10, 12. Zach. 4, 9. Thr. 2, 17.), i. e. me conficiat, consumat. Verbum נָתַר in Hiphil alias notat *solvere;* ita dicitur de solutione captivi Ps. 105, 20. 146, 7., et ipsorum vinculorum, quibus homo vinctus et constrictus tenebatur, Jes. 58, 6. Hinc h. l. de manu Dei, quam Jobus optat vinculis quasi solutam exseri ad se conficiendum, ligata enim videbatur, dum hoc non faciebat Deus. Veteres, si excipias Syrum cum Arabe, primum connatis verbum, יֹאֶל, *incipiendi* significatu ceperunt, quem illud obtinet Deut. 1, 5. Jos. 17, 12. Jud. 1, 27. 35. Ita enim Alexandrinus: ἀοξάμενος ὁ Κύριος τρωσάτω, εἰς τέλος δὲ μή με ἀνελέτω. Quae in Latina antiqua sic reddita: *incipiens Dominus vulneret me; sed non in perpetuum me interficiat.* Drusius conjiciebat, delendam esse negationem μή, quae addita videretur a manu imperita, ut sit: *in perpetuum me tollat.* Chaldaeus: *et Deus, qui coepit pauperem me facere, solvat manum suam, et divitem me faciat.* Verbum בָּצַע *lucrifaciendi* significatu accepit, cf. Prov. 1, 19. 15, 27. Ex. 22, 12. 27. Melius Hieronymus, quamvis et ipse

Digitized by Google

וְיֹאֵל *incipiendi* significatione sumsit: *et qui coepit, ipse me conterat; solvat manum suam, et succidat me.* Omnium vero optime Syrus, nisi quod is hebraeo דְּכָא tribuit notionem Syriaci דְּכִי, quocum potius hebraeum זָכָה convenit. Interpretatio ejus haec est: *placeat Deo, et mundet me, et extendat manum suam, et consumat me.*

10. קָדוֹשׁ — וְתְהִי עוֹד *Sed est adhuc solatium meum,* quod *licet aestuem in dolore, nec paroat* Deus, *tamen non abnui dicta Sancti,* i. e. Numinis. Pro עוֹד duo codd. Kennicotti unusque de Rossii exhibent זֹאת *haec, s. hoc,* quod ipsum legerunt etiam Hieronymus et Chaldaeus. Utrumque עוֹד זֹאת legitur in uno cod. Kennicott. In diversissima traxit interpretes in hoc Versu explicando ἅπαξ λεγόμενον סָלַד. Recentiorum plerique, A. Schultensio auctore, tribuunt ei notionem *exsultandi*, collato arabico צלד (permutatis, ut saepe, inter se literis צ et ס), quod inter alia significat *saltu terram pedibus percussit equus.* Quare Versum sic reddunt: *id vero* (sc. si Deus voti me compotem faceret, et morte conficeret) *solatium mihi esset, exsultarem in dolore, si non parcerem, nam jussa numinis non neglexi.* Postrema verba alii sic vertunt: *non abnuerem numinis dicta* s. sententiam (qua morti me addiceret), imo probarem et reciperem. *Exsultandi* significatu Alexandrinus quoque et Chaldaeus verbum סָלַד ceperunt, etsi ceterum in alia omnia abierint. Alii, collata alia significatione arabici צלד *dura fuit terra,* et צַלְד *durus lapis,* verba nostra sic vertunt: *obdurabo me, saxeus tanquam ero, contra dolorem.* Et jam olim quidam ex Hebraeis אַסְלְדָה explicarunt per אֶתְחַזֵּק *corroborarem me,* refocillarem *in dolore*, esset mihi aliquid refrigerii, etsi alioquin nunc acerbo hoc dolore crucier, dum cogitarem me morte ab eo liberandum. Equidem verbum סָלַד non dubito capiendum esse significatu chaldaici סְלַד *aduri,* חָרְלָה vero i. q. חִיל *dolor,* Ps. 48, 7. Jer. 6, 24. al. Verbis אַסְלְדָה בְּחִילָה ardentissimus dolor exprimitur, ut infra 30, 27. queritur מֵעַי רֻתְּחוּ *interiora mea fervent,* et ib. Vs. 30. עַצְמִי — חָרְתָה *os meum ardet.* Particula ו ante אַסְלְדָה h. l. est *quamvis* vertenda, ut Mal. 2, 14. Ps. 44, 18. Esr. 3, 6. et locis innumeris aliis, quae suppeditabit Noldius sub hac particula, no. 46. Ante לֹא יַחְמוֹל subaudienda est copulativa ו, quae ipsa in pluribus codicibus, Rossio teste, reperitur expressa. Reticet autem nomen Dei, ut supra 3, 20. et infra 16, 7. 13. Verbum כָּחַד h. l. latiore significatu *abnuendi, remuendi, jussis alicujus obedientiam detrectandi* capiendum est, quem usum apud Aethiopes obtinet, quemadmodum apud Arabes גחד (pro כחד) non tantum *abnegavit, denegavit,* verum et *restitit, refragatus est* designat. Ergo sensus verborum לֹא כִחַדְתִּי אִמְרֵי קָדוֹשׁ hic erit: *non abnui eloquia,* jussa, *Sanctissimi* (numinis, cf. Jes. 40, 25. 57, 15. Hab. 3, 3), hoc unum restat mihi in acerbissimis doloribus solatium, quod Sanctissimi numinis prae-

Digitized by Google

ceptis ego semper me obedientissimum praestiti; recte factorum conscientia me sustentat. Eadem plane sententia, verbis sensu a nostris parum diversis expressa, recurrit infra 23, 12.

11. Adhuc ne acerbissimorum quidem dolorum vi a pietate erga Deum abduci se passus fuerat, cujus constantiae conscientia unicum sibi restabat in tanta malorum conspiratione solatium: jam vero timet, ne fractus aut defatigatus luctando, dolori tandem succumbat, et in Deum aliquid alienum a religione proferat. מַה־כֹּחִי כִּי אוֹחִיל *Quae est enim*, inquit, *fortitudo mea, ut sustineam?* Ita prius hemistichium, et nominatim verbum אוֹחִיל, bene reddidit Hieronymus. Nam יָחַל h. l. non *exspectare* significat, uti visum quibusdam, qui sic interpretantur: *quae est fortitudo mea, ut exspectem*, Deum me restituturum, ut tu, Eliphase, pollicitus es, supra 5, 16. 18. Sive, ut aliis placet, *ut sperare* debeam exitum aliquem? Quod utrumque parum concinne. Sed indicatur potius *exspectatio patiens*, qua se quis patientem gerit in malis, respiciens Deum, et observans, quis ipsi finis placeat. Nec aliter Alexandrinus: *τίς γάρ μου ἡ ἰσχύς, ὅτι ὑπομένω;* כִּי h. l. *ut* vertendum, ut supra 3, 12. infra 7, 17. Exod. 3, 11. וּמַה־קֵּצִי כִּי־אַאֲרִיךְ נַפְשִׁי *Et quis finis meus, ut prolongem animam meam?* Nomen קֵץ interpretes, quos vidi, omnes vel de *vitae termino*, ut Ps. 39, 5. 6., intelligunt, hoc sensu: brevior est vita mea, quam ut diu tam gravia ferre queam, vel de *fine malorum*, quibus oppressus jacebat, ut hic sit sensus: quis tandem terminus, quae meta miseriarum ineluctabilium, ut patientem me praebeam? Neutrum satis commode. Malo קֵץ כֹּחִי pro קֵץ כֹּחִי dictum, ut neget, tantum virium sibi inesse, ut diutius tantam malorum molem sine intemperantioribus querelis ferre possit; brevi fore timet, ne, viribus exhaustus, de gradu dejiciatur. Quantum virium mihi restat, ut diutius me contineam? Ceterum אַאֲרִיךְ נַפְשִׁי *animam prolongare*, s. *producere*, h. l. significat ab affectu impatientiae se continere ac reprimere, sicuti אֲרֵךְ־רוּחַ Coh. 7, 8. *longus spiritu*, s. qui diu spiritum continere potest, dicitur ille, qui molestias constanter et sedate sustinet, patienter progressum et finem rei exspectat. Oppositum est קְצַר נֶפֶשׁ *abbreviare spiritum*, i. e. patientiam abrumpere, doloris aut laboris impatientem esse, vid. Jud. 10, 16. 16, 16.

12. אִם־כֹּחַ אֲבָנִים נְחוּשָׁתִי — *Num robur lapidum est robur meum? num caro mea est aes?* Quid enim non timeam, ne dolori tandem succumbens per impatientiam de Deo aliquid aut dicam aut cogitem religiose parum, quum tantum doloribus pondus humanae naturae fragilitas sustinere vix possit? Neque enim saxorum mihi robur inest, quod magnam inconcussum sustineat molem; neque caro natura mollis et infirma, aeream nata est habere duritiem, quae non se ad vastum et intolerabile pondus inflectat. „Nil tritius omnibus in linguis, quam *lapideos*, *saxeos*, *ferreos* dici

Digitized by Google

homines immania quaeque tolerare aptos natos. Σιδήρειον ἦτορ, passim Homerus aliique; quin et σάρξ σιδηρείη, *caro ferrea*, apud Theocritum, *Idyl.* 22, 47. Quadrat huc illud Ciceronis, *Acad. Qu.* 4, 31. *Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus homo: habet corpus, habet animum: movetur mente, movetur sensibus.* E Graeco fonte haec hausta, οὐκ ἀπὸ δρυὸς, οὐκ ἀπὸ πέτρης, quae in proverbium abierunt." A. SCHULTENS.

13. מָמֶנִּי — הֲאִם *Ecce! non est auxilium meum in me, et solamen propulsum est a me. Auxilium meum*, עֶזְרָתִי, interpretum nonnulli Jobum intelligere putant suam innocentiam et integritatem, תּוּשִׁיָּה vero interpretantur *rectam rationem*, ut totius Vs. sententia sit haec: non est, quod ita me impatientiae accusetis, et ex tam gravi calamitate suspectum me habetis, ut plenum peccatis et impietate hominem: annon defensionem apud me meam habeo? nonne habeo, quo me tuear, meam innocentiam, cujus ipse mihi sum probe conscius? et an a me ratio et lex recte vivendi propulsa est? an non me in officio semper continui, et recte ac integre vivendi regulam observavi semper? Alii עֶזְרָה *auxilium* intelligunt judicium, quod in se reliquum sit, תּוּשִׁיָּה *rationem*, *intelligentiam*, hoc sensu: an judicio et ratione destituor, ut dignoscere nequeam recta ab insulsis, qualia sunt verba, quae ad me facitis? Haud ita sane adhuc mentis inops sum, ut mihi dijudicandi talia facultas adempta sit. Sensus jejunus. Nec magis placet Cocceji interpretatio, a Schultensio quoque probata: *an, si non est auxilium meum in me, etiam veritas a me propulsa est?* i. e. an quia ipse memet juvare nequeo, nec per me ex malis hisce eluctari, inde consequitur, me veritatem non retinere? In qua expositione תּוּשִׁיָּה *veritatem* significare plane arbitrario sumitur. SCHNURRER in *Dissertatt.* p. 242. Versum hunc ad Versus 12. posterius hemistichium respicere, atque hoc modo intelligendum existimat: הַאֲאָרִיךְ נַפְשִׁי אִם אֵין עֶזְרָתִי בִּי *protrahamne vitam, quum nihil auxilii supersit?* Mihi simplicissimum videtur, integrum Versum ita capere: *en! nihil in me auxilii; propulsum est a me solatium.* Particulae הַאִם, praeter hunc locum nonnisi unico loco Num. 17, 28. occurrentis, prima et propria vis etsi non facile definiri possit, hoc tamen dubio caret, illam utroque loco aptissime *en! ecce!* reddi. Onkelos in Numeris l. c. הָא, Syrus et isto, et hoc loco הוא, Hieronymus quoque *ecce!* vertit. De תּוּשִׁיָּה *solamen* cf. not. ad 5, 12. Petit Eliphasum et socios, quos quum speraret se consolaturos, et solando dolorem suum mitigaturos, eum potius exasperant iniquis suspicionibus. Hieronymus: *ecce non est auxilium mihi in me; et necessarii quoque mei recesserunt a me.* Syrus intellexit auxilium divinum: *ecce non est auxilium ejus mecum, et liberatio*, s. salus *ejus remota est a me.* Alexandrinus: Ἡ οὐκ ἐπ' αὐτῷ ἐπεποίθειν; βοήθεια δὲ ἀπ' ἐμοῦ ἄπεστιν. Vet. Latin.

Digitized by Google

Aut non in ipso confidebam? sed adjutōrium a me recessit. Chaldaeus: *num eo quod non sit auxilium meum in me, et sapientia fugata est a me?*

14. Sensim se Jobus ad amicorum reprehensionem insinuat. לַנָּמֵס מֵרֵעֵהוּ חָסֶד *Liquescenti*, confecto, *ab amico ejus* praestanda est *misericordia.* Nomen חֶסֶד sunt qui accipiant h. l. sensu malo, *probri* significatu, ut Levit. 20, 17. Prov. 14, 34. 25, 10. coll. Syriaco חסדא *probrum, convitium.* Cum admiratione autem prius hemistichium legunt: Ei, qui calamitatibus velut colliquefactus est, par est, a socio suo probrum inferri? An hoc est amicitiae jus, ut pro solatio et lenioribus verbis audiat magnopere afflictus ab amico convitia, ut nunc ego a vobis audio? et num par est, ut de tali afflicto dicat ipsius socius: יִרְאַת שַׁדַּי יַעֲזֹב *timorem Domini deserit*, ita ut ex calamitatibus ei immissis colligat, eum alienum a timore Numinis et impium esse. Durior tamen est haec ratio, quae nec satis facilem concinnumve sensum fundit. Plerique חֶסֶד h. l. capiunt sensu bono, *gratiae, beneficii, misericordiae* significatu, quo longe frequentius in V. T. usurpatur. Kimchius in Lexico חֶסֶד posteriori hemistichio jungit, hoc modo: *de eo, qui magis est calamitate liquefactus, quam socius suus*, dicunt isti mei socii, *eum pietatem erga Deum reliquisse*, et propterea ei mala immitti. In qua expositione non arridet, quod מֵרֵעֵהוּ comparative exponitur. Alii vocem מָס transitive exponunt, *qui liquefacit* s. dissolvit, a socio suo misericordiam, i. e. quod illi negat misericordiam, is timorem Dei deserit. His ל ante מָס *quod attinet ad* signare necesse est, nomini absolute posito praemissum, ut Ps. 16, 3. לִקְדוֹשִׁים, ad quem loc. cf. not., et Jes. 32, 1. וְלַשָּׂרִים *et principes quod attinet.* Illum sensum ex veteribus Chaldaeus expressit: *viro, qui prohibet a socio suo misericordiam, et timorem Dei deserit.* Item Syrus: *qui cohibet salutem a socio suo, timorem Altissimi relinquit.* Nec aliter Hieronymus: *qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.* In quibus explicationibus hoc videtur alienum, quod מָס transitive sumitur, quum talia nomina adjectiva a verbis defectivis secunda radicali alias sint intransitiva, ut זַךְ *purus*, חַם *calidus*, תָּם *integer*, דַּךְ *attritus*, שַׁח *depressus*, et quae sunt hujus generis alia plura. Nihil vero difficultatis erit in hoc loco, si, Marcero et Schnurrero (l. c. p. 243.) auctoribus, ante חֶסֶד verbum substantivum יְהִי subaudiamus: *liquefacto*, i. e. tabefacto, consumto et confecto malis et afflictionibus, *a socio suo* sit, praestanda est *misericordia;* hoc amicitiae jus postulat ab amico, ut afflicti amici misereatur, eum quacunque ratione potest, soletur, levet, adjuvet, et ei praesertim quum malis paene confectus est, omnia humanitatis quae potest officia exhibeat; וְיִרְאַת שַׁדַּי יַעֲזֹב *alioqui Dei reverentiam deserit.* „Etenim, (Schnurreri verbis utor) hoc loco ille usus particulae *Vav* obtinet,

Digitized by Google

qui et alibi cernitur, ut respiciat conditionem omissam, et solo ex contextu supplendam, veluti Ps. 51, 18., ubi subintelligendum, quodsi victima delectareris, *tunc* darem.“ In codd. haud pancis, a Kennicotto et de Rossio commemoratis, pro לְמַס exaratum est לְמַאַס, quod de Rossi minus recte *aversanti* reddidit, id enim esset לְמַאֲס (Prov. 15, 32. Jes. 33, 15.); sed in illis codd. scriptum esse לְמַאַס, colligere licet ex Nott. critt. in Bibliis Halensibus, a J. H. Michaelis editt., ubi ex codd. Erfurtenss. eadem illa scriptionis varietas punctis vocalibus subjectis affertur, addita tamen hac observatione, א mere *epentheticum* esse. Recte. Geminum plane יְמַאֲסוּ Ps. 58, 8.

15. Nunc aperte sociorum immisericordiam in se, imo vero et perfidiam taxat, atque adeo ostendit eleganti et apposita similitudine torrentium, qui magno impetu aliquando exundare solent, sed aestu mox deficiunt et arescunt. אַחַי — יַעְבְּרוּ *Fratres mei fallunt uti torrens, velut rivus vallium transeunt.* אַחַי *Fratres mei*, ita Eliphasum et socios appellat, ut finis sententiae arguit, quum dicit infra Vs. 21. כִּי־עַתָּה הֱיִיתֶם, secunda eos persona alloquens. *Fratrum* autem nomine utitur, ut illorum perfidiam exaggeret. בָּגְדוּ *Perfide agunt*, fallunt et frustrantur spem meam. Qui videbantur summo affectu venisse, ut me solarentur, jam vanissimi sunt, ac pro solatio, quod ab illis exspectabam, nihil praestant, quin potius meum dolorem magis exasperant. Simile מִבְטָח בּוֹגֵד *confugium perfidum*, quod in necessitate destituit et deludit, Prov. 25, 19. כְּמוֹ־נַחַל Alexandrinus bene vertit ὥσπερ χειμάῤῥους ἐκλείπων, et hinc Latinus vetus: *tanquam torrens deficiens.* Est enim נַחַל torrens non jugis et viva aqua, quae scatebras et fontes habet, unde perpetuo fluat, sed quae ex imbre colligitur copioso, et ex nivibus verno tempore liquefactis, qui tunc fluere desinit, quando cessavit imber, aut defecerunt in montibus nives. Hujusmodi torrentes frequentissimi istis in regionibus, in quibus Jobi sedes figitur, arabice وَادِيَة dicti (a nomine unitatis وَادٍ *alveus fluvii*), quo ipso nomine arabicus interpres h. l. usus est. Cf. noatr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. I. p. 147. Ne alienum putes verbum בָּגַד, quasi id non conveniat torrentibus. *Perfidum torrentem*, ut recte monuit A. Schultens, quidni dicamus? cujus *aquae* sunt *mendaces*, אֲשֶׁר יִכָּזְבוּ מֵרֻמִּיו, phrasi Jesajae, 58, 11. Idem ex adverso *aquas fidas* pro *perennibus* posuit 33, 16. — אֲפִיק נְחָלִים aliqui *rivum torrentium* vertunt, quo designari existimant rivum ex pluribus torrentibus tumefactum, qui eum impetu, aut rapido ac pleno amni labitur. Malo tamen נַחַל h. l. *convallis* notione capere, ut Gen. 26, 17. 19. 2 Reg. 3, 17. 2 Chr. 26, 16.; ejusmodi nempe convallés intelligendi sunt, per quas aliquando torrentes, ex imbre copioso aut nive liquefacto nascentes magno impetu ruunt, iisque pro alveis inserviunt. Optime Hieronymus: *sicut torrens, qui raptim*

Digitized by Google

transit in convallibus. Verbum יַעַבְרוּ is retulit ad אֲפִיק collective sumtum, quod si velis, subaudiendum erit אֲשֶׁר *qui* torrentes *transeunt*, i. e. rapidissime feruntur. Alii ad אַחִים referunt, ut sit: sic *transeunt* amici mei, i. e. praeterlabuntur et deficiunt, evanescunt, torrentibus similes, qui rapido amni praetereunt, et mox exsiccati deficiunt. Cf. not. ad Ps. 125, 4.

16. Perfidorum torrentium descriptio jam poetice amplificatur, quatuorque, qui proxime sequuntur, Versibus continuatur. הַקֹּדְרִים מִמֶּנִּי־קָרַח *Qui* torrentes *atrati*, turbidi sunt *a glacie*, in illis resoluta; qui turbidi sunt more aquae altae et profundae propter glaciem, quae in aqua liquefacta est. מִמֶּנִּי *a propter*, ut infra 16, 16. 38, 30. Ps. 88, 10. — עֲלֵימוֹ יִתְעַלַּם־שָׁלֶג *Intra quos occultat sese nix*, in quos aqua nivis liquefactae immittitur et condit sese. עַל h. l. est *intra*, ut Hos. 11, 8. נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי, pro quo Thren. 1, 20. נֶהְפַּךְ בְּקִרְבִּי לִבִּי *conversum est intra me cor meum.* Elegans descriptio aquarum, verno tempore turbido impetu e montibus ruentium, et resolutas ac liquefactas nives secum trahentium. Bene GROTIUS: „Dicit amicos similes torrentibus, qui diu turbidi incedunt prae glacie et nive in ipsos resoluta, sed (quod Versus sequens vult), ubi aestas venerit, plane deficiunt. Egregia similitudo ad eos pertinens, qui in rebus adversis amicos se non ostendunt.“ Verba עֲלֵימוֹ יִתְעַלַּם־שָׁלֶג aliqui sic interpretantur: *super eos tegitur*, s. tegit sese *nix*, i. e. multa nive teguntur, ut nix nivi cumulata altera alteram tegat. Quomodo et Chaldaeus Syrusque intellexisse videntur, quorum ille יִתְחַיִל *praevalebit* reddidit, hic סגי *copiosus fuit.* Nisi hi ex Chaldaico עֲלַם *roborare se, fortem esse*, suam interpretationem hauserint.

17. מִמְּקוֹמָם — בְּעֵת *Tempore quo coarctantur, abolentur, in aestu suo exstinguuntur e loco suo.* Verbum זָרַב, hoc solo loco obvium, varii varie explicant. Quidam, Kimchii auctore, *defluunt*, deducuntque ab arab. מִזְרָאב *canalis*, hoc sensu: quo tempore canalis more summo impetu fluunt, tum succiduntur et desinunt. Quam interpretationem vix admittat forma Pyhal, ut taceam etymologiam duriorem. Alii convenire putant cum צָרַב (unde נִצְרְבוּ Ez. 21, 3.), cujus Niphal vertitur *aduri*, *accendi*; quum et alias ז et צ, literae unius organi, inter se permutentur, ut זָעַק et צָעַק *clamavit*, זָלַז et עָלַץ *exultavit*, et מָזַת et מָצַת *suxit.* Hinc vertunt: *quo tempore incalescunt*, aestum solis sentire incipiunt, *exsinduntur*, pereunt. Sed explicandum est זרב potius ex Syriaco זרב *coarctari*, unde זְרָבָא *angustia.* Hinc vertendum: *quo tempore coarctantur*, i. e. decrescunt, ripisque tandem notis, super quas exundabant antea, capiuntur. Affixum in תֵּחַמּוּ referendum ad *torrentem*, quem supra Vs. 15. in singulari numero nominarat, de quo nunc singulariter, nunc pluraliter loquitur. *In colore ejus*, vel potius, ut sit Infinitivus, *cum ille*,

Digitized by Google

torrens, *incaluerit*, i. e. cum calorem senserit, נִדְעֲכוּ מִמְּקוֹמָם *exstinguuntur è loco suo* aquae, et fluere desinunt.

18. וְיֹאבֵדוּ — יִלָּפְתוּ *Deflectunt* ad illos *viatorum catervae iter suum; adscendunt in vastum desertum et dispereunt.* Hunc etiam Versum multi ad *torrentes* referunt, qui quum deficere inceperunt, hac illac *distorquetur eorum cursus* (יִלָּפְתוּ אָרְחוֹת דַּרְכָּם *distorquentur semitae viae eorum*), nec certo ac consueto fertur alveo, aliis aquis huc, aliis illuc dilabentibus, donec paulatim omnes consumantur et evanescant. Posterius hemistichium autem, יַעֲלוּ בַּתֹּהוּ וְיֹאבֵדוּ, sic interpretantur: *ascendunt in inanitatem*, in auras abeunt, rediguntur ad nihilum, *et pereunt.* Recte vero monuit A. Schultens, quum jam Vs. praeced. aquae deletae et extinctae dictae fuerint, non esse verisimile, eam extinctionem hic resumi, et de novo illustrari: pertinere potius hunc Versum ad *catervas* viantium, de quibus aperte Versus, qui proxime sequitur, intelligendus. אָרְחוֹת h. l. non alio significatu, quam Versu proximo capiendum, de *catervis viantium*, ut אָרְחוֹת Gen. 37, 25. Jes. 21, 13. Construitur cum verbis masculini generis, respectu habito ad *significationem*, quum intelligendi sint homines, iter facientes, ut Prov. 21, 26. תַּאֲוָה, quia *cupidum* denotat, cum verbo masculino construitur, ut קֹהֶלֶת, quia *auctorem* libri significat, ut masculinum tractatur, Coh. 1, 2. 12, 8—10. Ad homines, quibus אָרְחוֹת constant, referendum quoque affixum in דַּרְכָּם, ut ita sit reddendum: *inflectuntur catervae quod ad viam suam*, torrentes quaesituri, ex quibus olim biberant; deflectunt a via, ad rivos illos iter avertentes. לָפַת enim, ut consonum arabicum verbum, est *avertit, deflexit.* יַעֲלוּ *Adscendunt*, i. e. abeunt, procedunt, ut עָלָה *abire* notat et Ex. 1, 1. Num. 16, 27. 1 Sam. 16, 46.

19. קוּוּ־לָמוֹ — תְּבִיטוּ *Respiciunt* ad illos *catervae Themaeae, turmae Sabaeae ad eos spem intendunt.* הִבִּיטוּ *Respiciunt* ad istos videlicet torrentes, putantes se in illis inventuros aquam et refrigerium. Quidam nimium subtiles אָרְחוֹת de *catervis viantium* recte intelligi negant, et nonnisi *semitas, vias* interpretandum autumant, quum *catervae* sint אָרְחוֹת, Gen. 37, 25. Jes. 21, 13. forma Participii Praesentis ab אָרַח *viavit;* אֹרְחָה vero ubicunque occurrit, *viam* notet. Hi autem interpretes hunc etiam Versum intelligunt de torrentibus, qui respiciant, i. e. sese vertant ad vias s. tractus Themae. Quod vix admittat Versus proximus, quo aperte continuatur sermo de eodem, ut ajunt, subjecto, de quo hic Versus loquitur. Poscit vero totius hujus loci ratio, ut אָרְחוֹת, proprie *viationes, commeatus*, non minus quam in altero hemistichio הֲלִיכוֹת *itiones, incessus*, h. l. per metonymiam satis frequentem, de *coetibus commeantium* intelligamus. Non alia figura in notissimo illo גּוֹלַת שִׁבְיִ *captivitas*, pro *captis*, s. in exilium abductis. תֵּמָא *Thema*, Arabiae regio,

Digitized by Google

Jes. 21, 14. Jer. 25, 23., a *Thema*, Ismaelis filio, Gen. 25, 15., eadem fortassis cum תֵּרְמָא, in confiniis deserti Syriae, cujus Abulfeda mentionem fecit in sua Arabiae descriptione. De שְׁבָא vid. Prolegg. p. 14. קִוּוּ *Expectarunt*, sperarunt, se hausturos ex illis torrentibus aquam. לָמוֹ Quidam *sibi* exponunt; rectius alii: *in eos* sc. torrentes; nam קָוָה amat post se ל.

20. בּוֹשׁוּ כִּי־בָטָחוּ *Erubuerunt quod confidisset*, sc. quisque eorum, ex frequenti numeri enallage, i. e. quod ipsi confidissent his aquis. בָּאוּ עָדֶיהָ *Venerunt usque ad illud*, nam ה femineam saepe pro neutro, i. e. usque ad eum locum, ubi se aquam sperarunt inventuros. Aben-Esra affixum in עָדֶיהָ refert ad מָקוֹם subaudiendum, quod interdum feminine reperitur.

21. Jam similitudinem ad socios accommodat. Haec, inquit, dico, כִּי־עַתָּה הֱיִיתֶם לֹא *quia* s. profecto *nunc vos estis* quasi *non* adessetis, pro כְּלֹא הֱיִיתֶם, valetis ad meum mitigandum dolorem omnino nihil, solatii vel tantillum a vobis exspectantem fefellistis haud aliter ac spem eludit, longo sub itinere, sitientium, repertus torrens aquae inops. Pro לֹא ad marginem notatur legendum esse לוֹ, quod ipsum in textu exhibent plures codices, et manu et typis exarati, quos recensuit de Rossi ad h. l. Qui hoc praeferunt, pro pronomine *ei* habent, respicique arbitrantur נַחַל Vs. 15. et subaudiunt דּוֹמִים *similes*, vel נִמְשָׁלִים *comparati*, vertendo: *vos estis illi* fallaci torrenti *similes*. Quod tamen duriusculum videtur. Existimo potius, meram esse scribendi diversitatem, sicuti alias saepissime Aleph et Vav quiescens invicem permutantur, veluti יָפוֹ et יָפְא, urbis *Joppe* nomen, Jon. 1, 3. Esr. 3, 7. עַדְוָא et עַדּוֹ Zach. 1, 1. 5, 7. 6, 14. Equidem omnino retinendum לֹא censeo sensu, quem superius exposui. Nec aliter Chaldaeus: *nunc estis*, *perinde ac si non essetis*. תְּרָאוּ חֲתַת וְתִירָאוּ *Videtis* s. vidistis (ut Futurum per Praeteritum exponatur, quia praecessit Praeteritum), *terrorem*, i. e. miseriam ac horrenda mala, a Deo mihi immissa, *et timuistis*, ut torrentes simul ac calorem sentiunt, resolvuntur et evanescunt: sic vos horruistis ad plagam meam, unde iram Dei in me, et me impium collegistis.

22. 23. *Num dixi: date mihi? aut: de facultatibus vestris donate? Aut: liberate me e manu hostis, et e potentia terribilium me redimite?* Exaggerat sociorum inhumanitatem, rogando, num vel munera, vel alias largitiones ab ipsis postularit, aut alia ab iis exegerit ardua officia, cum periculo vitae conjuncta. Quo gravissime taxat illorum perfidiam, qui ne levissimum quidem commiserationis ac consolationis officium adflictissimo socio praestabant, sed contra dolores ejus sinistris suis judiciis immensum quantum aggravabant. כֹּחַ h. l. notat *opes*, *facultates*, ut Lev. 26, 20. Prov. 5, 10., non minus ac חַיִל Gen 24, 31. Num. 24, 18. Deut. 7, 17. בַּעֲדִי *Pro me*, nempe ad liberandum me de manu hostium, respondet enim וּמִכַּף אוֹיֵב, dato pretio redimite me, i. e.

Digitized by Google

liberate me, ut supra 5, 20. עָרִיצִים *Terribiles* sunt hostes violenti, qui terrorem incutiant, tyranni, ut infra 15, 20. 27, 13. Ez. 28, 7.

24. הוֹרוּנִי — הָבִינוּ לִי *Docete me, tum ego tacebo, et quid*, in quo *erraverim* facile ut intelligam, *ostendite mihi.* Ne putetis, me reprehensiones plane nullas ferre posse, imo libens vos audiam, si recte doceatis, et juste reprehendatis. Cedam, si me convincatis, et culpam meam libenter agnoscam.

25. מַה־נִּמְרְצוּ אִמְרֵי־יֹשֶׁר *Quam valida verba rectitudinis*, i. e. recta et vera, q. d. quantum roboris habent! nec equidem illis possem contradicere. Sic multi haec verba interpretantur, auctoritatem sequuti Kimchii, qui in Lexico verbum מָלַץ exposuit חָזַק וְתָקַף *validus, robustus, vehemens fuit.* Quae tamen mera est conjectura, nec minus Cocceji interpretatio: *quam acria sunt dicta recta!* i. e. ἐνεργῆ, penetrantia, fortia; nempe conjicit ex 1 Reg. 2, 8. et Mich. 2, 10., נִמְרַץ habere notionem *acrimoniae*, et הַמְרִיץ infra apud nostrum 16, 3. esse *παροξύνειν* (saepius enim haud legitur). Arabibus quum مَرَضٌ sit *aegrotavit*, et مَرَضٌ *morbus;* sunt, qui sic reddant: *ecquid morbida vobis videntur verba recta?* Alii: *quam morbida sunt verba rectitudinis*, i. e. verba vestra, quae vera et certa et explorata esse gloriamini (5, 27.), quam illa sunt morbida et insana! Similem notionem expressit Alexandrinus: ἀλλ', ὡς ἔοικε, φαῦλα ἀληθινοῦ ῥήματα, *sed, uti videtur, prava* sunt *veri verba.* Alius Graecus interpres anonymus נִמְרְצוּ *λυπηρά, tristia*, ingrata, reddidit. Aquila: *τί ἐμοχθηρώθησαν λόγοι εὐθοῦς; quid molesta fuerunt verba rectitudinis?* Syrus: *quare repudiatis sermonem rectitudinis?* Hieronymus: *quare detraxistis sermonibus veritatis?* Sed veram sententiam haud dubito dixisse Jarchium, נִמְרְצוּ scriptum esse pro נִמְלְצוּ *dulcia sunt* (*Lamed* ac *Resch* permutatis, ut אַלְמָנָה pro אַרְמָנָה, Jes. 13, 22.), et conferendum locum Ps. 119, 103. מַה־נִּמְלְצוּ לְחִכִּי אִמְרָתֶךָ *quam dulcia sunt palato meo verba tua!* Et in uno Kennicotti codice נִמְלְצוּ h. l. scriptum reperitur. Concinna sic hujus Versus sententia erit: *quam dulcia sunt verba recta!* quantum levaminis et solatii afflicto afferunt sermones, quibus prudentia et sana ratio inest! וּמַה־יָּכִיחַ הוֹכֵחַ מִכֶּם *Sed quid arguit τὸ redarguere a vobis* profectum? quid arguit redargutio vestra? quam vim habet ad redarguendum quid affertis? nihil sane. *Mem* in מִכֶּם genitivi indicandi potestatem habet h. l., ut Prov. 26, 7. שֹׁקַיִם מִפִּסֵּחַ *crura claudi.* „Primum, יָכִיחַ, sumas pro *evincit, demonstrat*, postremum, הוֹכֵחַ, pro *increpare, conviciari.* In deliciis habet stylus Orientalis, ut diversae significationes alicujus verbi unam in sententiam conveniant. Vim *conviciandi* reperies sub הוֹכִיחַ 2 Reg. 19, 3." A. Schultens. Ceterum נִמְרְצוּ pro נִמְלְצוּ cepit etiam Chaldaeus, sed posteriori hemistichio alium sensum tribuit. Sic enim Versum integrum

Digitized by Google

reddidit: *quam suaves sunt sermones rectorum! et qui aptus est ex vobis ad corripiendum, corripiat.* Posterius membrum sic videtur cepisse: *quid arguet arguendo*, i. e. quid reprehendere poterit quisquam *ex vobis*, coll. simili constructione particulae מ Levit. 4, 17. (מִן־הַדָּם *aliquid ex sanguine*), 1 Reg. 12, 9. Cant. 1, 2. Similiter Hieronymus: *cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me.*

26. Prius hemistichium, הַלְהוֹכַח מִלִּים תַּחְשֹׁבוּ, aliqui sic vertunt: *Num verba* nuda scilicet, num verba tantum *putatis arguere?* putatisne verba satis esse ad arguendum et disceptandum, sine ratione? Ut ante מִלִּים sit ב subaudiendum, *an cogitatis arguere* meris *verbis?* Ante alterum hemistichium autem, וּלְרוּחַ אִמְרֵי נוֹאָשׁ, repetunt וַהֲתַחְשְׁבוּ *et an putatis*, s. habetis *verba* hominis desperati, ut sum ego, *in ventum?* i. e. vana, irrita, et futilia; q. d. haud sane ita convenit, ut pro futilibus verba mea habeatis, eo quod miseriis attritus sum et tabefactus. Alii אִמְרֵי נוֹאָשׁ ad socios referunt, ut Jarchi, qui praeterea verbum הוֹכִיחַ exponit *afferre verba, quae ad rei alicujus veritatem inquirendam faciant*, hoc sensu: num putatis afferre verba ad rem explanandam et decidendam? longe fallimini, siquidem verba nostra vento comparantur, et sunt verba desperati, qui nec cogitat, nec curat, quid dicat. Optime placet Ludov. de Dieu interpretatio: *An reprehendere verba cogitatis? in ventum sunt sermones desperati*, i. e. an vos, praeteritis et non ponderatis rebus, verba tantum mea carpere et arguere vultis? cogitandum erat, desperatos homines inconsiderate multa loqui, quae vi doloris extorquentur potius invitis, quam ut a ratione proficiscantur: itaque non sunt eorum sermones multum pensitandi, sed ut in ventum proferuntur, sic pro vento habendi sunt. Alexandrinus: *Οὐδὲ ἔλεγχος ὑμῶν ῥήμασί με παύσει· οὐδὲ γὰρ ὑμῶν φθέγμα ῥήματος ἀνέξομαι.* Quae Vulg. vet. sic reddidit: *neque increpatio vestra silentium imponit mihi; neque enim eloquutionem sermonis vestri sustinebo.* Hieronymus: *ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis.* Syrus: *et nunc ad redarguendum verba cogitatis, et contra spiritum sermonum meorum meditamini.* Chaldaeus: *numquid ad corripiendum verbis vos cogitatis, et tenebris comparatis verba desperata?*

27. Hunc Versum quidam, Mercerum sequuti, sic interpretantur: *Quin etiam super pupillum projicitis vos*, in orbum irruitis (ut הִתְנַפֵּל Gen. 43, 18.), *epulamini super socium vestrum*, quod figurate dictum putant, pro laetamini de ejus calamitate, veluti devorantes eum, et convivia de illo agitantes. Videlicet verbi כָּרָה significatum petunt ex nomine כֵּרָה *convivium*, 2 Reg. 6, 23., nec alio sensu volunt sumendum esse infra 40, 30. Alii post תַּפִּילוּ subaudiunt הַגּוֹרָל, ut 1 Sam. 14, 42., quod 1 Chr.

Digitized by Google

26, 14. 15. plene exprimitur וַיִּפֹּל הַגּוֹרָל et הִפִּילוּ גּוֹרָלוֹת. *Sortem* vero *super aliquo conjicere* est: alicujus facultates inter se dividere, ut praedam, facultatibus aliquem spoliare, cf. Ps. 22, 19. Obad. 11. Nah. 3, 10. Quasi Jobus pravum ingenium et malum sociorum animum significaret, qui ne pupillo quidem parcerent. Malo tamen subaudire רֶשֶׁת *rete*, aut פַּח *laqueus*, aut מוֹקֵשׁ *tendicula*, *laqueus*, ut vertatur: *cadere facitis rete contra orphanum* (ut Prov. 29, 5. רֶשֶׁת פּוֹרֵשׂ עַל־פְּעָמָיו *rete expandit contra gressus ejus*, cf. Hos. 5, 1. Ps. 140, 6. Thr. 1, 13.), cui sententiae apprime convenit hemistichium alterum: וְתִכְרוּ עַל־רֵיעֲכֶם *et foditis* sc. foveas (ut Jer. 18, 20. 22. Ps. 7, 16. 35, 7. 57, 7. Prov. 26, 27.) *contra amicum vestrum*, i. e. captatis et detorquetis verba mea invidiose, captionibus et cavillis me laeditis, et moerorem meum exasperatis. Nomine יָתוֹם se ipsum innuit, utpote omni humana ope destitutum, ut satis docet parallelum רֵיעֲכֶם. Alexandrinus: πλὴν ὅτι ἐπ' ὀρφανῷ ἐπιπίπτετε, ἐνάλλεσθε δὲ ἐπὶ φίλῳ ὑμῶν. Verbum תִּכְרוּ retulisse videtur ad כָּרַר, quod arabice cum seq. עַל significat *impetum in aliquem fecit*, *irruitque*. Hieronymus: *super pupillum irruitis*, *et subvertere nitimini amicum vestrum*. Chaldaeus: *iram super pupillum misistis*, *et sinistre cogitatis contra amicos vestros*. אַף non habuit pro particula, sed pro nomine, *iram* denotante. Syrus: *jam contra pupillum effertis vos*, *et moerore afficitis amicum vestrum*. Verbo כָּרָה tribuit notionem Syriaci כְּרָא *tristis*, *contristatus fuit*, in Aphel, *tristitia*, *moerore affecit*.

28. Nunc ergo, quamvis mihi ita infesti fueritis hactenus, vos tamen hortor, ut aequiores in me sitis, וְעַתָּה הוֹאִילוּ פְנוּ בִי *sed nunc velitis respicite in me*, placeat vos ad me convertere, sc. audiendum, ut infra 21, 5.; addit, וְעַל־פְּנֵיכֶם אִם־אֲכַזֵּב *et in conspectu vestro* sc. *erit*, aut *constabit*, *num mentiar*, falsi quid dicam, aut errem? Alii, subaudita formula contestationis: *sic mihi Deus faciat*, *et sic addat* (cf. supra ad 1, 11.), *coram vobis si mentiar*, i. e. neutiquam falsus reperiar. Chaldaeus: *nunc autem incipite et contemplamini me*, *num mentiar coram vobis*. Syrus: *et nunc placeat vobis*, *et adspicite et coram vobis loquar*, *nec mentiar*.

29. שֻׁבוּ נָא *Et revertimini*, s. *iterate quaeso* sc. disputationem vestram; rursum assumto sermone disceptate mecum. Alii: redite in viam, et sanius judicate de mea calamitate; vel: avertimini ab hoc iniquo vestro judicio. אַל־תְּהִי עַוְלָה *Ne sit iniquitas* sc. in disputatione vestra; ne inique mecum agatis, ut antehac. Alii אַל simpliciter negative capiunt, hoc sensu: *nulla erit iniquitas*, in me, aut in responsione mea, nihil in me iniqui deprehendetis. Pro וְשֻׁבוּ, quod in textu exstat, Masorethae legi jubent וְשֻׁבִי *et redire meum adhuc* sc. erit, i. e. et ego redibo ad respondendum vobis, צִדְקִי־בָהּ *justitia mea erit in ea*, scil.

Digitized by Google

בְּחִשּׁוּבָתִי *in responsione mea*, s. בְּמִלָּתִי *in sermone meo*, ut saepius nomen e contextu est subaudiendum. Vel affixum feminin. neutraliter potest accipi: *in eo*, quod sc. loquor, quod ago, q. d. in toto hoc negotio, de quo inter vos agitur, ubi iterum iterumque diligenter omnia discusseritis, meam cognoscetis justitiam et innocentiam. אֶדְקִי h. l. pro אֶצְדַּק *justus deprehendar* (ut Ps. 51, 6.), causam meam justissimam esse evincam. Sic infra 9, 27. אֹמְרִי *dicere meum*, pro אֹמַר.

30. Ante הֲיֵשׁ subaudiendum רְאוּ *et videte*, *num sit in lingua mea*, in iis quae dixi, aut dicturus sum, *iniquitas*, s. improbitas. Alexandrinus: *οὐ γάρ ἐστιν ἐν γλώσσῃ μου ἄδικον.* Hieronymus: *non invenietis in lingua mea iniquitatem.* In altero hemistichio הַוּוֹת multi intelligunt de *pravitate morali*, ut Ps. 5, 10. 55, 12. Mich. 7, 3., hoc sensu: *an palatum meum non intelliget*, sentiat ac dijudicet *perversitates*, s. quae perversa sunt, q. d. videbitis an quicquam falsi dicam, et me agnoscetis recto et sano judicio praeditum, me judicio pollere ad dignoscendum quae recta sunt, et vera. Ita *palatum*, metaphora a sensibus externis ad interiores translata, appellaret illam animae facultatem, qua justa ab injustis, vera a falsis, et aequa ac recta ab iniquis et perversis dignoscuntur et dijudicantur, non secus ac palato cibi dulces ab amaris, sapidi ab insipidis. Ab illo sensu prope abest Alexandrinus: *ἢ ὁ λάρυγξ μου οὐχὶ σύνεσιν μελετᾷ;* Et Hieronymus: *nec in faucibus meis stultitia personabit.* Sed malo nomen הַוּוֹת de *calamitatibus*, *malis*, *infortuniis* capere ut saepe alias, cf. not. supra ad Vs. 2. Tum haec ita erunt conjungenda cum prioribus, subauditis pauculis, ac si dicat: an falsa dico, dum tueor innocentiam meam? Dicat aliquis: quare ergo ita turbaris? Respondeo: *an palatum meum non sentiet calamitates?* בִּין *Intelligere*, h. l. pro *sentire* (ut Ps. 58, 10. ubi cf. not.), q. d. quemadmodum fieri non potest, ut palatum non refugiat saporem amarum, ita nec pars sensitiva dolorem. Quae sententia bene congruit Cap. seq. initio, ubi de vitae humanae fragili ac misera conditione queritur.

Cap. 7, 1. הֲלֹא־צָבָא — יָמָיו *Nonne militia est homini super terra, et sicut dies mercenarii dies ejus?* De צָבָא *conditionem* s. *stationem molestam ac laboriosam* significante, vid. not. ad Jes. 40, 2., quo loco eodem significatu dicitur. Syrus *tempus* vertit. Videlicet צָבָא, quod proprie *exercitum* et *militiam* significat, tum et ipsum militiae tempus, quanto tempore quis meret et stipendia militaria percepit, h. l. et recentiorum interpretum haud pauci pro stato et praefixo temporis spatio et praescripto termino sumi putant. Ita Mercerus, qui Jobum existimat dolorem suum amplificare ex vitae humanae tanta brevitate, q. d. quidni de mali mei gravitate querar, quum homini certum temporis

Digitized by Google

spatium hic sit praefixum, breve scilicet, et quod quam celerrime elabitur, quo saltem deberet Deus eum sinere frui, non ita eum exagitare. Sed spectari stationis militaris molestam et laboriosam conditionem, satis arguunt quae sequuntur. Hinc recte Chaldaeus חֵילָא *militiae*, quod ipsum Hieronymus posuit. Nec aliud voluit Alexandrinus, dum πειρατήριον vertit, quasi tentationis officinam ubi homo varia experiatur et variis eventis ac periculis, ut miles in bello, sit expositus. „Arrianus in Epictetei 3. 24. Στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου. Maximus Tyrus Serm. 3. Στρατηγὸν μὲν τὸν Θεὸν, στρατιὰν δὲ τὴν ζωήν. Marcus Antoninus 2. de Vita: Ὁ δὲ βίος πόλεμος καὶ ξένου ἀποδημία. Seneca dixit: *sine missione nascimur*. Ex miseriis vitae humanae vult ostendere Jobus, non frustra abs se mortem optari.“ GROTIUS. וְכִימֵי *Et sicut dies* laboris sc. et molestiarum pleni, ut infra 10, 5. שָׂכִיר *Mercenarii*, qui duro labore pro mercede victum quaeritat, cf. infra 14, 16.

2. כְּעֶבֶד יִשְׁאַף־צֵל *Sicut servus anhelat*, i. e. avidissime exspectat, ardenter desiderat *umbram*, qua nihil optabilius et gratius esse potest in aestu diei labore fesso, praesertim in calidis illis regionibus, ubi sol maxime fervet. Aliqui *umbra* intelligunt *vesperam* aut *noctem*, qua diurno labore et servitute continua fessus saltem respirat. Similiter VIRGILIUS *Aeneid.* 4, 7.: *Humentemque aurora polo dimoverat umbram*. Ubi Servius: *Nihil interest, utrum umbram an noctem dicat: nox enim umbra terrae est.* In carminum Arabicorum syntagmate, quod *Hamasa* dicitur, legimus: *quumque dimidiata jam esset umbra*, pro *media exstitisset nox*. וּכְשָׂכִיר יְקַוֶּה פָּעֳלוֹ *Et sicut mercenarius exspectat mercedem suam.* פָּעֳלוֹ proprie *opus ejus* (mercenarii) aliqui intelligunt de novo opere, priore labore vix absoluto, hoc sensu: *exspectat opus suum*, i. e. laborare cogitur per totam vitam, atque uno opere absoluto, aliud tamen mox exspectat, quo victum sibi comparet. Coll. Ps. 104, 23. infra 24, 5. Rectius alii, per metonymiam efficientis, *mercedem* interpretantur, nam merces finis est operis, atque opere comparatur et acquiritur; quo ipso significatu Jer. 20, 13. redit. Ita et פְּעֻלָּה et *opus*, et *operis mercedem* designat Lev. 19, 13. Jes. 49, 4. 62, 11. Sicut enim in praecedente hemistichio se habet יִשְׁאַף et צֵל, pari modo hic etiam sumi debet יְקַוֶּה non de metu, sed de spe, פָּעֳלוֹ non de novo labore, eoque molesto, sed de exoptato laboris praemio. Idem quoque expresserunt veteres omnes. Alexandrinus: τὸν μισθὸν αὐτοῦ. Chaldaeus: *mercedem suam*. Hieronymus: *finem operis sui*.

3. כֵּן הֻנְחַלְתִּי לִי יַרְחֵי שָׁוְא *Sic hereditare fructus sum mihi menses vani*, mali, i. e. aerumnosos. Particula כֵּן h. l. non efficitur ἀπόδοσις similitudinis Vers. 1. 2. propositae. Per se stat Vs. 2.: *uti servus, sic mortalis, anhelat umbram*; et *ut merce-*

Digitized by Google

narius, ita exspectat usque et usque exoptatum laboris finem. Subnectitur jam כֵּן *sic*, quo generalem hominis conditionem ad se applicat. Nam ut supra 5, 7. dixit, quemadmodum *mortalis omnis ad labòrem et anxietatem natus est*, ut ait Ecclesiastes 2, 23., *omnes ejus dies sunt labor et molestia;* ita de communi hac hominum hereditate et suam sibi portionem accepisse queritur. הִנְחַלְתִּי *Hereditare*, s. *possidere factus*, quasi coactus, *sum.* Formula est, monente Schultensio, Arabibus perfamiliaris, qua signanter exprimunt non *bona* tantum, sed et *mala*, in propriam quandam ac perpetuam possessionem alicui venientia. Cf. infra 20, 29. 27, 13. *Menses* pro temporibus. שָׁוְא *Vanitas* hic ut supra 5, 6. 7. אָוֶן bonarum rerum absentiam, aerumnam significant. וַלֵּילוֹת עָמָל מִנּוּ־לִי *Et noctes molestiae assignarunt mihi*, assignatae sunt mihi. *Noctium* meminit, quod eo maxime tempore homines, quum mens libera est, sua negotia et aerumnas animo volvere soleant, et aegris ac miseris sit illud tempus maxime infestum, quum nulla occupatione distracti, toti sunt in cogitandis malis suis. מִנּוּ non est *numerarunt* reddendum, quod in Cal significat, sed *constituerunt*, *assignarunt*, qui est formae Piel significatus; cf. Jon. 2, 1. Dan. 1, 10. 2, 1. Tertia activi pluralis persona h. l. impersonaliter pro passivo accipienda est, ut supra 4, 19. ubi not. cf. Recte Alexandrinus: *δεδομένων μοι εἰσίν.*

4. אִם־שָׁכַבְתִּי — אָקוּם *Si decumbo*, ad quietem me compono, *et dico: quando surgam?* Conditio hominis, qui noctem insomnem traducit, doloribus aut curis agitatus, ut lucis adventum optet. וּמִדַּד עֶרֶב *Et* quando *recessus vesperae?* noctis. מָדַד plures pro forma Piel verbi מָדַד *mensus est* habent, vertuntque: *metitur* ac. animus meus *vesperam*, i. e. tempus noctis, quantum temporis ad diem supersit, horas supputans. Alii, auctore Ludov. de Dieu, adsciscunt significatum arabici مَدَّ *extendit*, *in longum produxit*, quasi *mensuram auxit*. Qui Versum totum sic vertunt: *cum decubui, dico: quando surgam? sed extendit* scil. Deus *vesperam, et saturat agitationibus usque ad crepusculum.* Sed Piel verbi מָדַד foret מִדֵּד. Assentior itaque iis, qui מִדַּד pro nomine habent, *recessum* significante, a נָדַד *fugit*, *recessit*, et ante id מָתַי *quando* repetunt: *quando* erit *recessus vesperae?* i. e. noctis, quando tandem nox recesserit? עֶרֶב *Vespera* h. l. pro tota nocte, ut Gen. 1, 5. וְשִׂבְעָתִי נְדָדִים עַדֵי־נָשֶׁף *Et satior jactationibus usque ad crepusculum* scil. matutinum, ut 1 Sam. 30, 17. 2 Reg. 7, 5. 7. Ps. 119, 147. נְדָדִים *Vagi motus* (a נָדַד *movit se*, *vagatus est*) h. l. sunt jactationes nocturnae et agitationes, quibus noctu in lecto huc illuc volvitur homo insomnis. Insomnia Aretaeus et Celsus comitem faciunt elephantiasis; somnum quoque ob somnia molestum (cf. infra Vs. 13. 14.). Ille quidem p. 71. *B. ὕπνος λεπτὸς, ἀγρυπνίης κακίων ἐν φαντασίαις.* Schilling *de Lepra* p. 114. *Magnis, turbulentis insomniis, et incubo vexantur.*

Digitized by Google

5. לָבַשׁ בְּשָׂרִי רִמָּה *Induta est caro mea vermibus*, vermibus undequaque scateo ob foetorem et putredinem ulcerum meorum, unde gignuntur vermes. Quod ipsum in elephantiasi haud raro accidit. Et aliis etiam in morbis in vivis hominibus vermes ebullire notum. רִמָּה plane ut arabicum رمة, et *vermem* notat, et *putredinem verminantem*, vid. infra 21, 26. 24, 20. Jes. 14, 11. Alexandrinus: *φύρεταί μου τὸ σῶμα ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων*. Hieronymus: *induta est caro mea putredine.* וְגוּשׁ עָפָר *Et glebam* s. glebas *pulveris* (induit caro mea), intelligit ramenta scabiei, quae ex ea abradebantur scalpendo, quia glebis similia essent, quae facile putrescunt et rubiginem obducunt. Vel hoc dicit, quod humi, ut supra 2, 8. dictum est, velut glebis corpus obsitum haberet. גּוּשׁ *ἅπαξ λεγόμενον glebam*, s. *massam instar glebae*, ut Chaldaicum גּוּשָׁא. Ita Alexandrinus: *βώλους γῆς*, et Chaldaeus: *et gleba pulveris.* Verba עוֹרִי רָגַע alii vertunt: *cutis mea fissa est*, ob crebra scilicet ulcera; alii: *horret*, quod forsan Chaldaeus voluit suo רְמַם, et Doederlein etiam adoptavit, propterea quod in elephantiasi, Aretaeo et Celso testibus, totum corpus rugis asperis horret. Sed neutram significationem verbum רָגַע obtinet in locis V. T. aliis, aut in linguis cognatis. Syrus: *cutis mea contracta est*, nec aliter Jarchi, qui *cutis mea corrugata* interpretatus est. Favet Aethiopicum ረገዐ *coagulatus, condensatus est.* Sed quum *redeundi* significatus, quem et consonum arabicum رجع obtinet, locis omnibus, quibus in V. T. verbum רָגַע occurrit, apta sit; noster locus illa adscita notione ita est reddendus: *redit*, i. e. consanescit *cutis mea*, וְיִמְאָס *et* rursus *liquefacta est*, sanie diffluit, manantibus ulceribus, ex rad. מָאַס, vid. not. ad Ps. 58, 8. Ita Syrus et Chaldaeus: *liquefacta est.* Et in Cod. 2. Regiomont. correctum est וְיִמַּס. Cf. infra ad Vs. 16. Vel potest verti ex radicis מָאַס significatu usitato: *abominabilis facta est*, tetram speciem habet ulceribus saniosis recrudescentibus.

6. יָמַי קַלּוּ מִנִּי־אָרֹג *Dies mei velociores sunt.* Nomine אָרֹג multi *radium texterium* h. l. putant significari, vertuntque: *dies mei* leviores, velociores sunt *radio textorio*, sive navicula, in qua textor filum ponit et tramam, celerrime transmittens ab extremo ad extremum, donec trama, subtegmen et filum sit absumtum. Sic Chaldaeus: *dies mei velociores sunt radio textoris.* Recte vero Schultens monuit, ad *radium textorium* significandum formam מַאֲרֹג aptiorem fuisse, nec altero quo אָרֹג occurrit loco, Jud. 16, 14., *radium textorium*, sed *texturam* notat. Vertendum igitur: *dies mei velociores sunt textura*, i. e. citius fugiunt et deproperantur, quam tela detexitur et deproperatur. Alii particula מִנִּי non comparationem inseri putant, sed simpliciter *a*, *de* vertunt. Ita A. Schultens: *dies mei leves mihi sunt de tela*, i. e. citissime vel *desecantur*, vel, *decurrunt mihi.* Nec aliter Doederlein: „*festinant dies mei a tela*, vitae meae textura pre-

Digitized by Google

pediem scindetur, ad finem festinat.“ Similis plane figura Jes. 38, 13., ubi cf. not. Hieronymus: *dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.* Alexandrinus: ὁ δὲ βίος μου ἐστὶν ἐλαφρότερος δρομέως, quod in Hebraeo exstat infra 9, 25. יָמַי קַלּוּ מִנִּי־רָץ. Sed pro δρομέως in aliis codd. exstat λαλιᾶς (ut Ps. 90, 9. יָמֵינוּ כְּמוֹ־הֶגֶה, ad quem loc. not. cf.). Sic quoque vetus Latinus: *et vita exilior est, quam loquela.* וַיִּכְלוּ בְאֶפֶס תִּקְוָה *Et consumti sunt s.* consumuntur *defectu*, i. e. sine (ut Prov. 14, 28. Dan. 8, 25.) *spe*, i. e. ut nulla sit spes revocatum iri tempus praeteritum. Alii *defectu fili* vertunt, ut perstet in metaphora; et potest תִּקְוָה *funis*, filum reddi Jos. 2, 18. Sed praefero priorem sensum, quem et veteres omnes expresserunt. Vitae humanae brevitatem et celeritatem affert in medium, ut a Deo postulet, saltem in ea brevitate sibi parcat, nec se ita exagitet, ut sequentia arguent.

7. וְזָכֹר כִּי־רוּחַ חַיָּי *Memento ventum esse vitam meam*, transeuntem et non redeuntem, cf. Ps. 78, 39. Apostrophe ad Deum, ut sequentia satis clare docent; ad quem et saepius in disputatione adversus sociorum imputationes provocat. לֹא תָשׁוּב עֵינִי לִרְאוֹת טוֹב *Non redibit oculus meus videre bonum*, i. e. semel mortuus nulla amplius felicitate, aut ullo bono fruar. Ut primum excesserit ex hac vita homo, nusquam ad illa revertetur bona, quae semel amisit.

8. לֹא־תְשׁוּרֵנִי עֵין רֹאָי *Non intuebitur me oculus videntis me*, i. e. eorum, qui nunc me vident: posthac non est me visurus, qui me nunc videt. רֹאָי aliis non est Participium cum suffixo primae personae, sed nomen substantivum (formae חוֹלִי), *visio, adspectus*, ut 1 Sam. 16, 12. infra 33, 21. Ita forsan Hieronymus: *nec adspiciet me visus hominis.* Sed retinendum prius, quod et aliqui veteres expresserunt. עֵינֶיךָ בִּי וְאֵינֶנִּי *Oculi tui in me* sc. תהיינה *erunt*, vel, erunt intenti, respicient, *nec ipse*, ero scilicet, q. d. nec me invenies, quia hinc abierim, interierim; quum me quaeres, ut mihi bene facias, jam me non invenies.

9. כָּלָה — לֹא יַעֲלֶה Quemadmodum *consumitur nubes et abit, sic qui descendit ad infernum non adscendit* inde rursus. Quod modo dixerat, virum vita functum non rediturum in hanc lucem, et vitalem auram e sepulchro, nunc illustrat eleganti similitudine, nempe nubis, quae ubi resoluta evanuit, ad antiquam molem et locum revocari nequit. Hujus Versus initio subaudiendam esse *particulam comparationis*, כְּ, docet sequens כֵּן. Sic Jes. 55, 9. Jer. 3, 20. Verbum כָּלָה *consumi*, de *fumo evanescente* occurrit Ps. 37, 22. תָּכְלֶה *Ire* h. l. valet *perire*, ut infra 27, 29. Pro עָנָן *nubes* in uno de Rossii codice a prima manu exstat עָשָׁן *fumus*, idemque Chaldaeus expressit: *ecce sicut cessat fumus et deficit.*

Digitized by Google

10. לֹא־יָשׁוּב עוֹד לְבֵיתוֹ *Non redibit ultra ad domum suam*, ut rem familiarem, et solita negotia administret et procuret; וְלֹא יַכִּירֶנּוּ עוֹד מְקוֹמוֹ *neque eum ultra agnoscet locus suus*, in quo antea fuerat, dum viveret. Eadem phrasis Ps. 103, 16. Cf. infra 8, 18. 20, 10.

11. גַּם־אֲנִי — בָּמַר נַפְשִׁי Ideo *etiam ego non cohibebo os meum, sed eloquar in anxietate spiritus mei, meditabor* et conceptas intra animum querelas proloquar, *in amaritudine animae meae*. Quum ea sit hominum conditio, et tanta vitae humanae brevitas et instabilitas ac inanitas, nec morienti sit fas reviviscere, quia interim dum breve hoc vitae tempus traduco et miserum, non parcit mihi Deus, ego quoque os meum non temperabo, quin animum meum effundam, et mihi in conquerendo satisfaciam. Levari malum suum putant aerumnosi, si plene queri liceat. Nam dolor, qui intra pectus continetur, magis urit et excruciat. De verbo שׂוּחַ vid. not. ad Ps. 55, 3.

12. הַיָּם־אָנִי — מִשְׁמָר *Numquid mare ego* sum, *num bellua marina una, quod ponis adversus me custodiam?* ut necesse sit, furentem vim et saevitiam obicibus et repagulis circumdatis frangi atque coerceri. Negat ergo, se tantis terroribus, doloribus, poenis esse comprimendum, quippe qui nec tam saeva ac importuna, nec tam valida ac robusta sit natura, ut immanes illos ictus vel meruerit, vel diutius sustinere queat.

13. כִּי־אֹמַרְתִּי — מִשְׁכָּבִי *Quando dico: consolabitur me lectus meus, feret*, sustentabit me *in meditatione*, sollicitudine *mea*. Rursus dolorem suum amplificat, quod nec interdiu, nec noctu quietem ullam possit capere, quodque etiam somnus, qui suavis esse hominibus solet, et aegris aut aerumnosis magnam doloris et aerumnarum partem levare, sibi talia non concedat, qualia ceteris; quia dum quietem captat, somniis terrificis percellatur et horrendis visis, uti Versu proximo sequitur. Ad verba יִשָּׂא בְשִׂיחִי *feret*, auferet *in querela* s. sollicitudine *mea*, sunt qui subaudiant מִקְצַת שִׂיחִי *partem sollicitudinis meae*, non nihil sollicitudinem meam levabit. Ita particula בְּ saepius pro מִן *aliquid ex*, praesertim post verbum נָשָׂא, Num. 11, 17. Coh. 5, 14. Neh. 4, 11. al. Sed magis congruit, נָשָׂא hic *ferendi*, sustinendi significatu capere, et ex תְּנַחֲמֵנִי, cui respondet, Pronomen suffixum primae personae repetere, ut sit: *feret*, portabit *me*, mihi aliquid levaminis praestabit.

14. וְחִתַּתַנִי — תְּבַעֲתַנִי *Tum perterrefacis me somniis, et ex visionibus* nocturnis *terres me*. Cf. not. supra ad Vs. 4. Similis querela Ovidii (*de Ponto*, Lib. I. Eleg. 2.): *At puto, cum requies medicinaque publica curae, Somnus, adest, solitis nox venit orba malis; Somnia me terrent.*

15. וַתִּבְחַר — מַעֲצָמוֹתַי Adeo *ut elegerit*, praeoptaverit *suffocationem animae meae, mortem*, inquam, sc. elegerim *prae*

Digitized by Google

ossibus meis. מַחֲנָק a חָנַק *praefocari*, denotat *suffocationem quamcunque*, non tantum eam, quae strangulatione s. laqueo fit (de qua verbum חָנַק usurpatur 2 Sam. 17, 23., unde Hieronymus h. l. *suspendium* vertit). *Anima mea eligit praefocationem*, praefocari opto. Ἀγχόνην et δυσπνοίαν, *respirandi difficultatem et suffocationem*, Aretaeus inter morbi (elephantiasis) commemoravit. His vexatus optat, ut tandem omni cura interciperetur. מָוֶת מֵעֲצֻמוֹתָי *Mortem* sc. elegit anima mea *prae ossibus meis*, i. e. magis optarim mori, quam talia ossa et membra putrida et consecta, quam vivere corpore sic emaciato. *Ossium* meminit, quod ei vix quicquam, praeter ossa, superesset, reliqua cute ulceribus exesa et corrosa. Chaldaeus עֲצֻמוֹתַי de *robore* et *viribus* vitam sustentantibus accepit: *mortem magis, quam sustentationem mei ipsius.*

16. מָאַסְתִּי plures vertunt *aversor*, et subaudiunt חַיַּי vel חַיֵּי *vitam meam* (cf. infra 9, 21.), aut jungunt iis, quae proxime sequuntur, hoc sensu: *aversor ut perpetuo vivam.* Verum est vox nostra potius referenda ad מָסַס *contabuit*, *dissolutus est*, *Aleph* pro *Samech* post *Mem* inserto, more Syrorum, apud quos in verbis geminantibus secundam radicalem earum alterutra saepe in Aleph abit, ut supra Vs. 5. וַיִּמְאָס pro וַיִּמַּסְּ; et בָּזְאוּ *spoliarunt*, pro בָּזְזוּ Jes. 18, 2. Similiter in nomine צָאֱלִים pro צָלְלִים infra 40, 21. Sejungendum igitur מָאַסְתִּי a proximis, et Versus sic capiendus: *diffluo*, plane contabesco, s. dissolutus sum, *non perpetuo vivam*, neque enim sum perpetuo victurus, sed tandem moriturus. Quum ergo naturae hominis sit negatum, ut semper vivat, cur nunc, cum tanta patior, non statim morior, quod aliquando tandem mihi est eventurum? Inde convertit sermonem ad Deum: חֲדַל מִמֶּנִּי *desiste a me* sc. adfligendo, missum me fac, ne me ita graviter afflige. Hieronymus: *parce mihi*, quod male aliqui intellexerunt, quasi esset, *ignosce mihi*, quum velit sibi parci, ne ita affligatur, se missum fieri.

17. מַה־אֱנוֹשׁ כִּי תְגַדְּלֶנּוּ *Quid* est *homo*, *quod magnum facis eum?* Cf. Ps. 8, 5. 144, 3., ubi eadem formula. In quem sensum vero h. l. sit usurpata, videbimus infra ad Vs. 19. וְכִי־ תָשִׁית אֵלָיו לִבֶּךָ *Et quod ponis*, advertis *ad eum cor* animumque *tuum*, et curae eum tibi esse sinis? Vid. de hac loquendi formula not. ad Ps. 48, 14. Cf. Ps. 62, 11. Prov. 22, 17. 27, 23.

18. וַתִּפְקְדֶנּוּ לִבְקָרִים *Et* quod (subaudiendum כִּי ex Versu praeced.) *visites eum* et cures *ad matutina*, i. e. per singula matutina, quotidie mane, i. q. quotidie, ut Ps. 73, 14. 101, 8. Thren. 3, 13. *Matutinum tempus* vero in hujusmodi formulis memoratur, quod illud ad procuranda negotia et res gerendas sit aptissimum; nam qui sedulo opus aliquod facturi sunt, jam inde a prima luce illud solent aggredi. לְרָגָעִים תִּבְחָנֶנּוּ Et quod singulis *momentis probes*, s. explores *eum?* ejus acti ones

Digitized by Google

et opera accurate perspicis atque examinas? Ps. 11, 5. 26, 2. Jes. 48, 18.

19. כַּמָּה לֹא־תִשְׁעֶה מִמֶּנִּי *Quousque*, s. quamdiu *non respicies a me*, i. e. te non avertes a me, desistes a me affligendo? Quo sensu haec formula recurrit infra 14, 6. Ps. 39, 14. ad quem loc. not. vid. Statim et se ipse explicat, dum addit: לֹא תְרַפֶּנִּי *Non missum me facis*, vel interrogative: *non dimittes me?* עַד־בִּלְעִי רִקִּי *Donec glutiero salivam meam*, ut vel saltem mihi liceat salivam glutire, et respirandi locum aliquem ac intervallum des, sed me ita sine mora cruciabis? *Salivam non sinere alicui deglutire* notare ne brevissimum alicui concedere respirandi spatium, A. Schultens confirmavit simili prorsus Arabum formula proverbiali אבלעני רקי *deglutire me fac salivam meam*, quod ipsi Arabici Philologi ita exponunt: *concede mihi tantum morae et spatii, quo eam glutire possim.* Similis formula infra 9, 18. Ceterum haec inde a Vs. 17. sunt, qui ita intelligant: cur ita hominem magnificas, extollis et evehis, ut postea eum dejicias, deprimas et affligas, uti nunc me, ne spatium quidem salivam absorbendi concedens? Alii volunt Jobum conditionem suam cum ceteris hominibus comparare, quod quum homines variis et quamplurimis quotidie donis, dotibus et beneficiis prosequi et exornare soleat Deus, etiam singulis paene momentis ejus negotia procurans, et res ejus favore suo augens et prosperans, ipse solus affligatur tam graviter, secum miserrime agatur, sit omnium longe iniquissima conditio sua, cui ne refrigerii quidem ullus detur et respirandi locus. Verum simplex et germanus sensus hujus loci est quasi illius, quod dicit Psaltes 8, 5. *Quid est homo, quod memineris ejus, et filius hominis, quod visites eum?* Item Ps. 144, 3. *Quid est homo, ut eum agnoscas, homine natus, ut de eo cogites?* ejus rationem habeas? Sed hoc interest, quod in laudem Dei, et gratias ei agendi causa aperte dixerunt illi poetae, Jobus autem hoc consilio, ut ostendat, abjectiorem et contemtiorem se esse, quam ut debeat Deus adversum se manum suam extendere; debere igitur Deum a se manum suam, et hos tantos cruciatus avertere, indignum se, quem vel curet; non tanti se esse, ut se Deus dignari debeat, quem etiam affligat, et plagis afficiat.

20. Ante חָטָאתִי subaudienda particula אִם, cum Alexandrino (εἰ ἐγὼ ἥμαρτον) et Syro (אן חטית). Sensus: quodsi peccavi, quid tibi feci? quid tibi nocui? an peccato meo ita tibi noceo, ut in me ita desaevire debeas? Alii sensum faciunt hunc: peccavi equidem, fateor, quid tibi vis faciam, ut te placem, et culpam meam expiem? Dic modo, quid faciendum mihi sit, promptissimum me habebis. Ille tamen sensus, quem nos adoptavimus, firmatur loco plane simili infra 35, 6. אִם־חָטָאתָ מַה־תִּפְעַל־בּוֹ *Si peccasti, quid facies ei* (Deo)? *et quodsi multa*

Digitized by Google

sunt peccata tua, מַה־תִּפְעַל־לוֹ *quid facias*, nocebis *tibi?* נֹצֵר הָאָדָם *O custos hominis!* s. *hominum*, aliqui in bonam partem accipiunt, hoc sensu: o tu, qui homines conservare et tueri soles, cur nunc me paene conficis et exanimas? Ita Syrus: *conditor hominis.* Sed concitatus Jobi affectus exigit potius *observatorem hominis*, qui oculum vigilem et vindicem intendat in omnes ejus actiones. Cognatum cum נָצַר thema נָטַר item *inspicere*, *servare*, pro *observare*, et *occasionem ulciscendi captare* usurpatur Levit. 19, 18. Jerem. 3, 5. 12. Ps. 103, 9. Similem quandam vim h. l. attendendam patet ex Cap. 10, 14. אִם־חָטָאתִי וּשְׁמַרְתָּנִי *Si peccavi, tum observasti me, atque ab iniquitate mea non expiasti me.* Alequandrinus: ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν ἀνθρώπων, i. e. qui mentem hominum observas et perspectam habes. לָמָּה שַׂמְתַּנִי לְמִפְגָּע לָךְ *Quare posuisti me in occursum tibi*, s. in *objectum occursus*, i. e. eum, in quem hostili animo irruas, aut incurras, quam vim verbum פָּגַע habet Jud. 8, 21. 15, 12. 2 Sam. 1, 15. al. Idem quod infra 16, 12. וַיְקִימֵנִי לוֹ לְמַטָּרָה *erexit me sibi pro scopo*, et Thren. 3, 12. *Tendit arcum*, וַיַּצִּיבֵנִי כַּמַּטָּרָא לַחֵץ *et posuit me scopum sagittis*, in quem, velut in scopum, omnia tela sua et sagittas conjiceret. וְאֶהְיֶה עָלַי לְמַשָּׂא *Adeo ut sim super me in onus*, i. e. ita ut prae plagarum tuarum et ulcerum copia, quibus undique scatet et foetet corpus meum, sim mihi ipse oneri, molestus, ut prorsus vitae me taedeat. Pro עָלַי olim in codd. quibusdam exstitisse עָלֶיךָ, cognoscitur cum ex Graeca Alexandrina versione, quae ita sonat: εἰμὶ δὲ ἐπὶ σοὶ φορτίον, tum ex eo, quod Masorethae hunc locum accensent octodecim illis תִּקּוּן סוֹפְרִים, i. e. *emendatis a scribis*, quod in illis videretur aliquid contineri indignum divina majestate. Loca recensita et exposita reperies in CAPPELLI *Crit. S.* p. 444. ed. Vogel-Scharfenberg. Illa igitur adscita legendi ratione, sensus foret hic: *cur adeo sum tibi oneri*, molestus, gravis, quia tantopere me crucias. Sed receptam lectionem, praeter Alexandrinum, exprimunt veteres omnes; neque invenit de Rossi, ut expressis verbis notavit, עָלֶיךָ in codice ullo.

21. וְאֵרֵנִי — וּמָה לֹא־תִשָּׂא *Et quid?* quare vero *non tollis*, ignoscis, *delictum meum*, *et* quare non *praeterire facis*, removes, condonas *pravitatem meam*, *quia nunc*, i. e. brevi, *in pulverem*, s. terram, *procumbam*, brevi sum moriturus, *ut* si *mane me quaesieris*, *non sim amplius* superstes, i. e. cur non pro tua clementia mature, interim dum vivo, culpam meam, ejusque poenam, tollis? Nunc enim brevi sum moriturus, et tunc, quum mortuus fuero, me quaeres, ut mala bonis compenses; sed jam me non invenies, jam in hac vita non comparebo. Mentione proxime sibi instantis mortis vult Jobus quam celerrime ad se advocare divinam clementiam, ut supra

Digitized by Google

Vs. 6. 7. 8.; cf. ad Vs. 6. not. sub fin. Olympiodorus: *Si igitur ego momentaneus adeo sum, et subitae morti obnoxius, brevique postea moriens, non amplius, tanquam ex somno, resurgam; cur pauxillum vitae spatium a supplicüs non sinis esse immune?* Et bene statim addit: *Haec autem Jobus nullius peccati sibi conscius, sed per modum concessionis loquebatur: licet, inquit, peccavi, cum aliis tamen benignitatem et misericordiam tuam experiri debeo.* וְתַעֲבִיר *Praeterire facit* Deus *delictum* et *culpam*, quando facit, ut illius reatus non amplius homini incumbat, ut 2 Sam. 12, 13. Zach. 3, 4. coll. Mich. 7, 18. עַתָּה h. l. *brevi*, intra breve tempus, ut infra 8, 6. Ex. 9, 15. Jes. 43, 19.

Digitized by Google

BILDADUS.

Cap. 8.

Prodit secundus sociorum Jobi cum eo congressurus, Bildadus, immitius, quam Eliphasus eum amico agens. Eandem opinionem defendit quam Eliphasus, mala non sine peccatis accidere; sed non tam humane, acrius et acerbius. Statim initio Jobum insolentioris et vehementioris in Deum loquacitatis arguit, quasi de rationibus divinis in adfligendis hominibus temerarie et impie judicasset (Vs. 2. 3.). Asserit autem, liberos Jobi ob scelera sua jure peremtos a Numine esse (Vs. 4.), id quod ex interitu eorum colligit statuitque partem ejus poenae in patrem redundasse: hanc enim esse rationem, qua Deus in gubernatione hujus universi utatur, ut, si quoque impii ad tempus felices sint, ac floreant, tandem tamen a Deo puniantur; desistendum igitur Jobo esse ab iniqua ista Dei accusatione. Eliphasus oraculum in medium protulerat; Bildadus, ut auctoritatem dictis conciliet, ad veterum, idem secum statuentium, provocat testimonia et experientiam carmenque antiquum recitat, caducum impiorum sortem depingens (Vs. 8—20.). Postremo spondet, si integra fuerit et sincera Jobi pietas, et si supplex se ad Deum converteret, futurum esse, ut restitueretur in pristinam ac ampliorem etiam felicitatem (Vs. 21. 32. coll. Vs. 5—7.).

Cap. 8, 2. עַד־אָן תְּמַלֵּל אֵלֶּה *Quousque loqueris illa?* וְרוּחַ כַּבִּיר *Et* quousque *ventus vehemens* sc. יְהִיוּ erunt אִמְרֵי־פִיךָ *verba oris tui? similia* erunt vehementi vento, ut illis venti praevalidi more Deum implere coneris? Sunt, qui כַּבִּיר h. l. *superbum* notare putent, et verba haec ita vertant: *spiritus superbi*, insolentis, *sunt verba tua.* Sed non est opus, ut vocis כַּבִּיר significationem usitatam, *magnus, vehemens*, hic deseramus. De flatu tumido verborum dicit et Aristophanes in *Ranis*, Vs. 872.: τυφὼς ἐκβαίνειν παρασκευάζεται, *turbo verborum erumpere videtur.* Et Silius Italicus IX. 581.: *Qui tanta superbo Facta sonat ore, et spumanti turbine perflat Ignorantum aures.* Bene Chaldaeus vertit *ventus magnus.* Hieronymus: *spiritus multiplex.*

Digitized by Google

Alexandrinus: *πτεῦμα πολλυρρῆμον, spiritus multiloquus.* Jarchi etiam exponit de *multiloquio*, et ait בְּבִיר habere significationem *multitudinis.*

3. יְעַוֵּת־צֶדֶק — הַאֵל *Numquid Deus pervertet jus? et num Omnipotens pervertet justitiam? Pervertit jus* et *aequum*, qui bonis mala, et malis bona rependit. Id vero a Deo fieri negat Bildadus, q. d. summa aequitate omnia facit Deus, quomodo igitur audes, eum injustitiae arguere? Id ex Jobi verbis colligebat. Atqui aperte de Deo nondum questus fuerat, quod injuriam sibi faceret, sed tantum amplificarat doloris sui gravitatem, cui impar esset, atque ideo sibi potiorem mortem tali vita. Id quod Bildadum movit, ut ejus verba ita interpretaretur, quasi ejus mens esset, quod injuste secum ageret Deus, quum se innocentem tam graviter affligeret.

4. Ab exemplo filiorum eum ad resipiscendum invitat. אִם־לוֹ בָנֶיךָ חָטְאוּ־לוֹ *Quandoquidem filii tui peccarunt ei*, i. e. *adversus eum* (ut Deut. 1, 41. 2 Reg. 17, 7. Ps. 51, 6.), וַיְשַׁלְּחֵם בְּיַד־פִּשְׁעָם *ideo dimisit* s. *permisit eos in manum delicti ipsorum*, poenis, quas peccatis suis promeriti sunt, eos permisit. בְּיַד *in manum*, significat velut sceleri in potestatem traditos, ut scelus et improbitas, in cujus potestatem a Deo traditi essent, eos in ruinam traxerit. Alii וַיְשַׁלְּחֵם exponunt: amandavit eos et ablegavit seu exstirpavit, e terra videlicet, et בְּיַד sumunt pro בַּעֲבוּר, seu מִפְּנֵי *propter scelus ipsorum.*

5. אִם־אַתָּה תְּחַנֵּן — *Si tu* potius *mane*, i. e. serio et studiose *quaereres ad Deum* tibi conciliandum, *et* si *ad Omnipotentem supplicares.* Horum nihil, ex mente Bildadi, fecit Jobus, quippe qui cum Deo expostulare, atque vehementi impetu verborum in eum invehi ausus fuerit. Ergo et antea illum animum Dei minus reverentem, atque contumaciorem gessisse, ac vel propterea justissimas Numini poenas persolvere colligebat.

6. אִם־זַךְ וְיָשָׁר אָתָּה — עָלֶיךָ *Si purus et rectus tu fueris, certe nunc evigilabit super te.* זַךְ *Purus*, non contaminatus sceleribus, ut infra 11, 4. 33, 9. כִּי h. l. valet *certe*, *utique*, q. d. certissime tibi confirmo, et adsevero *quod* cet. Eodem modo usurpatur Gen. 31, 42. *Nisi Deus patris mei mihi auxilio esset*, כִּי עַתָּה *certe nunc vacuum me dimisisses.* Vid. et Ps. 118, 10. יָעִיר עָלֶיךָ quidam exponunt: *excitabit super te*, sc. bonum, s. bonitatem suam, denuo te bonis afficiet. Rectius alii: *excitabit se*, evigilabit, *super te*, tibi, qui nunc sopitus tibi dormire videtur. Surget tui causa, ad eripiendum te e malis tuis. Eadem paene loquendi formula exstitit Jer. 31, 28., nisi quod ibi verbum שָׁקַד cum עַל construetum usurpatur. וְיִשְׁלַם נְוַת צִדְקֶךָ *Et pacabit*, pacatum ac felix reddet, *habitaculum rectitudinis tuae*, i. e. in quo recte et juste te geres, quod ad te rectum et pium pertinebit, et in quo omnia honeste, recte, ex lege, aequo et bono fient.

Digitized by Google

Cf. Jer. 31, 23. 50, 7. *Suffixum* respicit ad nomen regens, ut Ex. 15, 13. Jes. 20, 10. Ps. 15, 1. Dan. 9, 24.

7. מְאֹד — וְהָיְתָה *Et quum fuerit principium tuum*, i. e. rerum tuarum status prior, *parvum, et finis tuus*, i. e. tamen posterior status tuus, *augescet valde.* Hunc Versum quidam ita capiunt: etsi initia bonorum tibi exigua videantur et sint, erit postrema tua conditio longe felicissima, et tua ad extremum felicitas cumulatissima. Ita Hieronymus: *In tantum, ut si pecora tua fuerint parva, novissima tua multiplicentur nimis.* Sed videtur mens Bildadi potius haec esse: erit prior tua felicitas, in qua positus eras ante hanc calamitatem, quae maxime erat, ut apparet ex initio libri, exigua prae illis, quae deinceps tibi accident, prae magno incremento, ad quod res tuae pervenient. Cf. infra 42, 12. וַיהוָה בֵּרַךְ אֶת־אַחֲרִית אִיּוֹב מֵרֵאשִׁיתוֹ. Bene BOUILLIER: „Manifesto alludit Bildad ad florentium Jobi rerum statum priorem, quem redux postliminio prosperitas duplo ampliorem reddidit. Et hic animadvertere licet, quod ante monuimus, de artificiosa hujus Poematis structura, ubi concinne colloquentium ori multa induntur, insciis et imprudentibus excidentia, quibus implexi Dramatis enodatio miram venustatem adspergit. Non praesagiebat animo Bildad, quae nunc dicit, re mox comprobatum iri. Imo ea adeo per se susceptae disputationi sunt apposita atque apta, ut inde propria sponte profluere videantur. Quo fit, ut exitum respectantibus incredibilis inde exsurgat lepor."

8. Sententiam suam, quod et boni a Deo, etsi nonnumquam ad tempus afflicti, tandem tamen summopere prosperentur, contra improbi, etsi aliquandiu hic floruerint, tandem misere pereant, confirmat ab auctoritate patrum, temporumque omnium experientia. כִּי *Nam* non incerta sunt haec, quae tibi dico, sed omnium temporum experientiâ comprobata. Verba שְׁאַל־נָא לְדוֹר רִישׁוֹן non vertenda: *interroga de generatione priore*, quasi כ pro עַל esset positum, verum: *interroga*, consule, *generationem priorem*, s. *pristinam*, ut recte Hieronymus. Verbum שָׁאַל saepius cum ל construitur, ad eum, qui rogatur designandum, ut Num. 24, 21. 2 Reg. 8, 6. Deut. 32, 7. וְכוֹנֵן לְחֵקֶר *Et apta*, compara, compone sc. דַּעְתֶּךָ *mentem tuam*, vel aliquid simile, aut te ipsum, *ad investigationem* etc., quomodo verbum כון cum sequ. ל etiam construitur Jes. 51, 13. Alii nihil subaudiendum censent, habentque ל pro nota Accusativi (ut Jer. 40, 2. Ps. 135, 11. al.), vertuntque: *et para*, s. institue *investigationem* אֲבוֹתָם *patrum eorum*, affixum ad דּוֹר, nomen collectivum, *homines eodem tempore viventes* denotans, est referendum, *patrum illius*, priscae sc. aetatis, q. d. compara et appelle animum ad scrutanda et disquirenda ea, quae majorum tempore facta sunt. Semper ita ut dico, factum comperies, si forte mihi fidem non habes. Postrema verba quidam sic accipiunt: ad id, quod prior aetas

Digitized by Google

a patribus suis inquisivit, patres scilicet a majoribus longe antiquissimis, ut ultimae aetates hic repetantur. Alii: *ad perquisitionem patrum*, ad id, quod patres diligenter inquisiverunt, et multa disquisitione ac longa experientia cognoverunt, et exploratum habuerunt. Hieronymus: *et diligenter investiga patrum memoriam.* Syrus: *et considera investigationem patrum eorum.*

9. Haec a circumstantibus parenthesi separari debent. In quibus Bildadus rationem reddit, cur ad majorum memoriam et auctorem remittat: כִּי־תְמוֹל אֲנַחְנוּ bene Hieronymus reddidit; *hesterni quippe sumus.* וְלֹא נֵדָע *Nec scimus*, sc. quicquam, vel: *nihil scimus*, ut לֹא substantive capiatur, ut saepiuscule in superioribus: rerum ignari sumus. כִּי צֵל יָמֵינוּ *Nam umbra dies nostri*, ea imago ad designandam vanam et evanidam brevitatem vitae humanae, in qua nihil solidi, saepius usurpatur, vid. 1 Chr. 29, 15. (ubi haec ipsa nostra phrasis), infra 14, 2. Ps. 102, 12. 109, 23. עַל־אָרֶץ Dum sumus s. vivimus *super terra*, Ceterum his verbis multi Jobum pungi existimant, quod amicorum suorum scientiam contemneret, quasi diceret Bildadus: equidem nos tibi videmur homines heri nati, qui nihil sciant; ideo ad vetustatem et priorum temporum experientiam te ablego. Malo tamen haec generatim de omnibus hominibus eorumque conditione accipere, quorum vita tanquam umbra avolat, ita ut nemini sua experientia et cognitio sufficiant, sed omnimo priscorum seculorum memoria et replicanda et consulenda veniat.

10. הֲלֹא־הֵם יוֹרוּךָ יֹאמְרוּ לָךְ *Nonne*, i. e. certe (interrogatio asseverat, ut supra 3, 11. 4, 21. 7, 12.) *illi docebunt te, dicunt tibi*, sic semper accidisse, ut sequitur. וּמִלִּבָּם יוֹצִיאוּ מִלִּים *Et ex corde suo educent sermones*, i. e. non ore tantum, quicquid in buccam venit, temere, ut tu, loquentur, sed diligenter praemeditata animo, et mente cogita diligentius, et pervestigata deprement, quae ad veritatem hujus rei confirmandam faciant. Jam vero subjungit, quod illi exploratum habuerant et perspectum, vetustum, ut verisimile est, carmen recitans inde a Vs. 11—19.

11. 12. הֲיִגְאֶה־גֹמֶא בְּלִי־מָיִם *Num altus fit*, crescit, *juncus sine coeno*, uligine? aut num *augescit*, crescit, *ulva sine aqua?* Minime. — Vs. 12. עוֹדֶנּוּ יָרֹק — *Dum adhuc* est *illud*, carectum et juncus, *in virore suo* etsi *non carpatur ante omne gramen exarescit.* De גֹּמֶא vid. not. ad Ex. 2, 3., et de אָחוּ not. ad Gen. 41, 2. לֹא יְקֻטָּף *Absque hoc quod decerpatur*, ex sese arescit citissime, etsi nulla ei vis externa afferatur.

13. כֵּן — תֹּאבַד *Sic* sunt *semitae omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes impii perit.* אָרְחוֹת *Semitae*, i. e. totus vitae eorum cursus, sic illis usu venit, coll. eadem phrasi Prov. 1, 19. et synonyma infra Vs. 19, *Spes* dicitur *perire eorum*, qui contra id quod speraverant pereunt.

Digitized by Google

14. מִבְטָחוֹ — אֲשֶׁר־יָקוֹט *Cujus praeciditur spes, et domus araneae est fiducia ejus.* אֲשֶׁר construendum cum Suffixo nominis בִּסְלוֹ, relationem indicans. Verbum קוּט h. l. multi *fastidiendi* significatu capiunt, quem alias obtinet, ut Ps. 95, 10. Ez. 16, 47. 20, 43., vertuntque: *cujus* (hypocritae) *spes fastidietur*, ei molesta erit, quod ea excidat. Ita et Hieronymus videtur verbum illud intellexisse, sed כְּסָל pro *stultitia* accepit (ut Coh. 7, 25.), vertitque: *non placebit ei vecordia sua.* Commodior tamen sensus erit, si קוּט h. l. sumamus notione arabici קָטַם *praecidi*, ut sit: *cujus praeciditur spes.* Ita et Syrus: *abscinditur spes ejus.* Nec non Chaldaeus: *aufertur spes ejus.* Kimchius quoque et Jarchius monent, habere verbum קוּט h. l. significationem בְּרִיתָה *abscissionis*, et deducunt a קָט *particula*, quod frequenter in phrasi כמעט קט *parum pusillum.* בִּסְלוֹ Aben-Esra non incommode exposuit תִּשְׁעָנוֹ *nisus*, s. innisus *ejus*, id quo nitebatur, et in quo spem fiduciamque collocabat, *son appuy.* Quod magis convenit ei quod sequitur: וּבֵית עַכָּבִישׁ מִבְטָחוֹ *Et* sicut *domus aranei fiducia ejus*, illud in quo ponit fiduciam, Ps. 40, 5. Jer. 17, 7. *Domum aranei* vocat telam, quam orditur aranea ad capiendas muscas, qua nihil levius est et infirmius, quae facillime abrumpitur. Arabes quoque *domum araneae* telam ejus appellare, ostendit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. C. 23. T. III. p. 507. ed. Lips. מִבְטָחוֹ *Fiducia ejus*, i. e. illud in quo ponit fiduciam, veluti divitiae, favor hominum, honores.

15. Sunt, qui verbum יִשָּׁעֵן *innitetur* et totum Versum de *aranea* intelligant, hoc sensu: si telae suae, quam construxit, innitatur aliquando araneus, vel quispiam alius, non consistet, sed statim frangetur. Sed simplicius videtur, ad ipsummet impium et hypocritam hunc Versum referre, ut sit explicatio praecedentis similitudinis de domo aranei, cui illius fiduciam compararat. *Innitetur domui suae, nec ea permanebit*, non secus ac aranei tela, quae levissima de causa dissipatur; *apprehendat eam*, i. e. se putabit tenere eam, et se in ea firmare, se in ea firmum et stabilem semper fore opinatus, *nec* tamen *consistet* domus illa. Per *domum* autem impii omnia intelligit, quibus ille niti poterat, ejus opes, magnitudinem et potentiam, et alia omnia, in quibus praesidium collocarat, quae omnia ei deficiant, nec eum ab exitio et ruina liberare queant.

16. רָטֹב — תֵּצֵא *Viret coram sole, et super hortum suum surculus ejus exit.* Nova similitudine impii brevem et subito evanituram felicitatem descripturus, eum comparat arbori aut frutici, qui succi plenus laetus succrescit, ramosque suos hac illac undiquaque diffundit, mox tamen, quia non penitus nec in profundum radices agere potest, facile arescit, et ita de loco suo exterminatur, ut ne quidem vestigia ulla ejus supersint, in cujus postmodum locum aliae plantae de terra pullulant. רָטֹב aliis

Digitized by Google

viridis, aliis *succosus*, Hieronymo *humectus*, nec id male; nam consona arabica vox designat *humectam* et *recentem viriditatem* in *arbore* aut *herba*, et infra 24, 8. occurrit verbum רָטַב significatione *madescendi*. הוּא *Ipse* est sc. impius et hypocrita Vs. 13. לִפְנֵי־שֶׁמֶשׁ aliqui *palam*, in conspectu omnium, interpretantur, quasi idem sit, quod לְעֵינֵי הַשֶּׁמֶשׁ et נֶגֶד הַשֶּׁמֶשׁ 2 Sam. 12, 11. 12. Alii, post Chaldaeum, *ante ortum solis*, cujus ardorem ferre nequiret, antequam sol inardescens eam arborem adurat et arefaciat. Rectius alii: *in conspectu solis*, i. e. sub ejusdem benigno fotu et influxu, qui h. l. repraesentat blandiorem et ridentem fortunam, qua impii res mirum in modum provehuntur. וְעַל־גִּנָּתוֹ יוֹנַקְתּוֹ תֵצֵא *Et super*, per (ita עַל Zeph. 2, 15.) *hortum ipsius*, in quo plantata est ea arbor, *ejus propago erit*, i. e. expandit sese et late diffunditur. יוֹנֵק, propr. *sugens*, *pullus lactens*, et femininum יוֹנָקֶת transfertur ad *ramos propullulantes*, novellos tenellosque surculos, qui et Graecis *μόσχοι*, cf. infra 14, 7. Hos. 14, 7.

17. יְחֻזֶּה — עַל־גַּל *Super acervum lapidum radices ejus implicantur*, *domum*, sedem *lapidum videt*, sentit. Hoc Versu nonnulli existimant continuari descriptionem conditionis prosperae, qua impius gaudeat, arbori firmata jam stirpe et bene radicatae comparatus. Neque hi tamen de singularum dictionum sensu inter se conveniunt. Et primo quidem ambiguum est גַּל, quod et *lapidum acervum* (ut Gen. 31, 46. 48. 51. 52. Jos. 7, 26. 2 Sam. 18, 17.), et *fluctus* notat (ut infra 38, 11. Ps. 89, 10. 107, 25. 29. et saepius alias). Posteriore significatu inter veteres accepit Syrus et Arabs et recentiorum quidam, qui *juxta scaturiginem*, s. rivum aquarum interpretantur, conferentes Jer. 17, 8. Ps. 1, 3. Plures tamen de *acervo lapidum* intelligunt, ut inter acervos quoque lapidum, et impedimenta quaevis, dicatur firmissimas agere radices, ad lapides usque circumquaque positas, radices suas promittere, illisque implicare, et ita constanter virere atque succrescere. Hemistichium autem posterius, בֵּית אֲבָנִים יֶחֱזֶה, eorum, qui haec in bono sensu accipiunt, alii sic vertunt: *in loco lapidoso implicatur* (verbo חָזָה tribuentes significationem ex nomine חָזוּת Dan. 8, 5. petitum, quod quibusdam ibi est *perplexitas*, false tamen). Alii: *prospectat locum lapidosum*, etiam ad lapides usque et inter eos prospectum suum et radices protendit, illuc usque permeat. Sed Bildadi consilium aperte hoc est, ut ostendat, fortunas improborum vel florentissimas infirma niti radice, ac propterea in medio flore ac vigore nec opinato exarescere. Hoc in Versu nostro jam insinuatur, et Vs. sequenti demonstratur ac confirmatur, per subitum hujus arboris casum et interitum. Ergo quae in hoc Vs. habentur, minime ad felicitatem arboris, s. impii cum ea comparati, depingendam, sed in contrarium sensum potius dicta existimanda erunt, hoc sensu: est quidem ille succosus et viridis aliquandiu, et ramos suos per hortum, in quo stat, extendit, sed interim radices ejus

Digitized by Google

implicantur acervo lapidum, et experitur locum lapidosum, ita ut succum ex terra haurire non possit, sed mox exarescere cogatur. גַּל h. l. de *acervo lapidum* capiendum esse, docet ei respondens in altero hemistichio בֵּית אֲבָנִים *locus lapidosus*, Aramaea dicendi formula, ut בֵּית גְּדוּדִין *domus incisionum* est locus salebrosus, in Paraphrasi Chaldaica Jes. 40, 3. *domus spinarum*, pro terra spinis obsita. יְסֻבְּכוּ *Implicantur*, interquentur radices ejus, acervo lapidum procursum earum inhibente. יֶחְזֶה *Aspiciet*, i. e. sentiet, experietur, ut infra 15, 17. 24, 1. Jes. 26, 11. Non male Hieronymus: *et inter lapides commorabitur.* Alexandrinus: *ἐν δὲ μέσῳ χαλίκων ζήσεται*, quasi בֵּין אֲבָנִים יִחְיֶה legerit. Optime ceterum Olympiodorus Versus hujus sensum declarat: *Tanquam de planta disserens, quae, inter lapides et silices crescens, non semper durat, sed subito marcescit; similes sunt, inquit, impii stirpibus in terra plantatis, quae altitudinem non habet, sed petrosa et dura est; vel enim omnino radices nullas agunt, vel si egerint, quia terrae profunditate destituuntur, exarescunt, ita ut non amplius eo in loco appareant.*

18. אִם־יְבַלְּעֶנּוּ *Si absorbuerit eum*, subaudiunt aliqui Participium verbi תַּלַּע *absorbens*, i. e. si absorptus fuerit e loco suo. Sed videtur potius e Vs. praeced. גַּל aut בֵּית אֲבָנִים intelligendum, ut *solum lapidosum* dicatur absorbere improbum illum alumnum, cui humorem et nutrimentum sufficere negat, quin imo cujus radices respuit quasi ac repellit, malam stirpem male tandem perdens. וְכִחֲשׁ בּוֹ *Tum negabit eum*, improbum, sub arboris figura descriptum, sc. locus ipsius, dicens: לֹא רְאִיתִיךָ *non vidi te.* Elegans prosopopoeia, qualis supra 7, 10. Ps. 103, 16. Ita e suo loco excidetur et interibit, ut nullum ejus vestigium sit superfuturum.

19. הֵן־הוּא — יְצָמֵחַ *En! haec est viae*, conditionis *ejus voluptas, et ex humo alii pullulabunt.* Sarcastice hanc comparationem concludit: en! quo redeat ejus gaudium, dum ita sese efferet; haec est laetitia, qua sibi placebat exsultans in magnitudine sua. *Viam* appellat statum, in quo erat, et conditionem, ut supra 3, 23. infra 17, 9. 21, 31. אַחֵר per enallagen distributionis in plurali sumendum est, ut supra 6, 20. Ex. 1, 10. Ps. 119, 103. Prov. 28, 1. Aliae ex humo progerminabunt plantae, in locum malae illius stirpis ac revulsae. Sedem et bona impii deleti alii occupabunt; cf. similem sententiam infra 27, 16. 17. Hic finitur vetustum carmen, cujus initium supra Vs. 11. Ceterum sunt, qui totum hunc locum inde a Vs. 16. רָטֹב הוּא *virens est*, cet. aliter accipiant, ut, postquam Bildad exitium descripserat impiorum similitudine junci, et vanam ac fragilem eorum spem similitudine araneae, nunc contra diuturnitatem proborum ostendat, ac stabilitatem, qui etsi interdum affligantur, idque vel gravissime, ut etiam evelli e loco suo videantur, tamen non propterea id eis in malum cedat, neque ideo de firmitate sua decidant, quin potius

Digitized by Google

mala, quae illis acciderant, convertantur in bonum. Tunc sane רָטֹב הוּא ad *integrum*, cujus infra Vs. 20. fit mentio, referetur, paulo longius petitum; nam in iis, quae praecesserunt proxime, non fuerat ejus facta mentio. לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ sic intelligunt: etiam in summo solis ardore viret semper, et immotus perstat probus et pius. Ac inter impedimenta quaevis et lapides ac offendicula, non desinit feliciter succrescere ac confirmari. Versum 18. intelligunt de transplantatione arboris, quae saepe ab agricola loco commodiore inseritur, ut felicius et solo laetiore proveniat magis ac magis: q. d. tantum ergo abest, ut evulsa e loco suo et transplantata emoriatur, ut ei sit gaudio potius, et exsultet, quod alio loco sit consita, ubi jam aeque feliciter, aut felicius succrescit. Sed apparet ita hebraea detorqueri in sensum plane alienum a consilio et serie universae orationis.

20. הֶן־אֵל — בְּיַד־מְרֵעִים *Ecce! Deus non reprobat integrum, sed non prehendit* s. *confirmat manum maleficorum.* Accommodat Bildadus veterum sententias a se prolatas nunc ad Jobum. Vides, inquit, ex his, Jobe, quod Deus integros minime repudiet, nec rursum improbis faveat, et eos juvet, hoc enim est *manum prehendere*, manum collapsis aut labascentibus porrigere, cf. Jes. 41, 13. 42, 6. Jer. 23, 14. Ps. 73, 23. Ita nec te, si fueris integer, aversabitur, si ad eum redieris. Haud obscure innuit, Jobum sincere piis accensendum non videri.

21. עַד־יְמַלֵּה — תְּרוּעָה *Donec impleat risu os tuum, et labia tua laeto clamore*, יְמַלֵּה pro יְמַלֵּא, uti ad marginem notatur, ה posito pro א, ut saepius. Aliqui subaudiunt et repetunt ex superioribus: si itaque Deum requisieris et deprecatus fueris studens integritati, te sane restituet, *donec* s. *ut impleat* etc. Sed possunt et haec jungi cum proximo: nec malignos aut improbos juvabit, quin potius perdet (est enim λιτότης), donec te ita restituat, ut prae felicitate in laetos clamores prorumpas. Q. d. affligeris quidem aliquandiu, sed si ad eum redieris, te ita prosperabit, ut vehementer gaudeas, et prae gaudio in risum et jubilum solvaris.

22. שֹׂנְאֶיךָ — אֵינֶנּוּ *Osores tui induent pudorem, et tabernaculum impiorum non erit*, non subsistet. Adeo ut repleantur adversarii tui pudore, quum te viderint restitutum praeter exspectationem suam confusi; impii vero tantae ruinae involventur, ut ne tabernaculum eorum relinquatur.

Digitized by Google

JOBUS.

Cap. 9. 10.

Magna vi contenderant Eliphasus et Bildadus, nemini nisi impio a justissimo numine mala immitti, unde haud obscure consequi innuerant, Jobo minime immerenti tantas calamitates infligi, nec ergo eum decere tam immoderatas querelas, quasi plane insons pateretur. Utrumque sociorum nunc una responsione refutaturus Noster, hoc suo sermone evincere studet, Deum cum homine agere jure quodam ἀνυπευθύνῳ, vique αὐτοκρατορικῇ, ex aequo probos et improbos, prouti ipsi lubeat, malis ab eo affici, unde ex calamitatibus alicui inflictis falso concludi, ipsum esse impium. Quod sic instituit, ut primo ostendat, Deo, pro infinita sua potentia, quam inde a Vs. 4. (usque ad Vs. 13.) mire amplificat, omnino jus competere, homines pro lubitu tractandi, iisque vel durissima infligendi, nulla ratione habita vitae male aut bene actae; toleranda autem et perpetienda illa esse homini, nec licere ei, cum potentissimo numine propterea expostulare, aut velle cum eo judicio quasi disceptare (Vs. 14—24.). Attamen doloris magnitudo acerbas Nostro querelas exprimit, quin (10, 1.) aperte se taedio disruptum liberrimas querelas effusum declarat; ut, quum congredi cum Deo, suamque innocentiam pervictam dare nequeat, saltem laxamenti aliquid reperiat per contestationes solemnes coram Deo hominibusque, se longe diversam sortem a Dei sapientia, aequitate et bonitate exspectasse, atque immerentem plane conditoris sui benigni plagis esse expositum. Melius ergo sibi fuisse, tanquam monstro alicui, ut numquam uterum maternum solvisset (10, 2—19.). Aequum saltem esse, ut qui telis Dei confixus jaceat insanabiliter, post exantlatos jam immensos dolores pauxillulum respiret ante mortem fatalem, quam sibi sub ictibus hisce immeritis oppetendam appareat (20—23.).

Cap. 9, 2. עִם־אֵל — אֱמֶנֶם *Profecto novi, quod ita* sit, rem ita esse; *et quid*, quomodo *justus erit homo cum Deo?* sc. contendens. Respicit ad oraculum, ab Eliphaso sibi supra 4, 17. objectum, quod ad hanc causam et quaestionem minime pertinere indicat. Non sane ego, inquit, unquam cogitavi, Deum injustitiae

Digitized by Google

accusare. Novi profecto, nullam in Deum cadere posse injustitiam. Et quid justus esset miser mortalis coram summi numinis tribunali? Quis neget, Domino supremo competere, hominem fragilem et vitiosum, si velit, gravibus aerumnis affligendi? Sed an inde jam conficitur, me esse improbum, aut pietatis callidum simulatorem?

3. מִנִּי־אֶלֶף — אִם־יַחְפֹּץ *Si velit*, sc. אֱנוֹשׁ *homo, cum eo contendere, non respondebit ei ad unum e mille.* Sunt, qui intelligant, non respondebit ei *Deus*, eum responsione non dignabitur, vel in uno e mille argumentis, quae pro se profert homo, quum omnia ea nulla sint et inepta ad ipsum tuendum, unde quod inefficacia sint et frigida, nihil erit, quod Deus illis respondeat. Haud incommodus quidem sensus. Sed rectius videtur et hoc ad hominem referri, ut infra Vs. 14. de se dicet Jobus, ubi haec ad se applicabit: אַף כִּי־אָנֹכִי אֶעֱנֶנּוּ *quantominus ego respondebo.* Primum enim in genere loquitur, deinde de se speciatim dicet. Sic igitur verba intelligenda erunt: *non respondebit ei*, homo scilicet Deo, ad *unum e mille*, quae ab eo proponuntur adversus ipsum, in quibus hominem accusabit, quae ei objiciet; ne unam quidem e mille objectionibus diluere poterit aut refellere, sed cedat oportebit, et victum se ac causa longe inferiorem fateatur.

4. וַיִּשְׁלָם — חֲכַם לֵבָב Est *sapiens corde*, animo, *et validus robore. Quis opposuit se ei, et salvus fuit?* Nemo mortalium, qui cum Deo in contentionem et litem descendat, jus obtinere adversus eum poterit, utpote immensa cum *sapientia*, tum *potentia*, supra omnes, quorum conditor ipse est, subvectum. הִקְשָׁה־אֵלָיו sc. לִבּוֹ *cor suum*, aut עַצְמוֹ *se ipsum*, coll. Prov. 28, 14. Ps. 95, 8. Vel subaudiendum est עֹרֶף *obdurat cervicem*, figura desumta a jumento refractario et obstrigillante, ut Prov. 29, 1. Deut. 10, 16. Jer. 7, 26. 17, 23. אֵלָיו pro עָלָיו, ut Gen. 4, 9. Ex. 14, 5. Bene Hieronymus: *quis restitit ei?* וַיִּשְׁלַם *Et salvus evasit*, s. *evadat?* (cf. שָׁלֵם Gen. 33, 18. et verbum infra 22, 21.).

5. Jam latius excurrit ad ostendendum horum utrumque, quod proposuit, summam et potentiam et sapientiam Dei. הַמַּעְתִּיק — בְּאַפּוֹ *Qui transfert montes, nec sciunt, qui evertit eos in ira sua.* וְלֹא יָדָעוּ *Nec sciunt*, sc. montes, i. e. nec opinato, de improviso, absque ulla talis subversionis suspicione, metuve. Sic Ps. 35, 8. תְּבֹאֵהוּ שׁוֹאָה לֹא יֵדָע *invadat eum ruina nec opinantem.* Ita in Corano saepe: *evertit eos Deus, et nesciebant*, i. e. absque ut quicquam tale suspicarentur, de improviso. אֲשֶׁר hic nonnulli pro כַּאֲשֶׁר *quum* capiunt, ut Gen. 30, 38. Num. 5, 29. Deut. 11, 6. Sed Hieronymus significatione usitatiore pronominis relativi accepit: *et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo.*

6. יִתְפַּלְצוּן — הַמַּרְגִּיז *Qui tremere fecit*, movetque *terram e loco suo, ut columnae ejus contremiscant.* עַמּוּדֵי אָרֶץ *Co-*

Digitized by Google

lummae terrae, sunt fulcra et fundamenta ejus, ut Ps. 75, 4., quae infra 38, 6. אַדְנֶיהָ *bases ejus*. SENECA *Nat. Quaestt.* VI. 20. *Fortasse aliqua parte terrae veluti columnis quibusdam et pilis sustinetur, quibus vitiatis et recedentibus tremit pondus impositum.*

7. הָאֹמֵר לַחֹרֶס וְלֹא יִזְרָח *Qui dicit*, praecipit *soli*, ut non oriatur, *nec orietur*. Quod alii ad eclipsin, alii ad obscurationem interpositis nubibus referunt. Nos generaliter intelligamus, quoquo id modo fiat. Significat enim, et hunc naturae cursum a Deo esse, et ejus quoque immutationem. חֹרֶס *sol* praeter hunc locum bis tantum, Jud. 8, 13. 14, 18., obvium. וּבְעַד כּוֹכָבִים יַחְתֹּם *Et circa s. ante stellas obsignat*, i. e. velut obice interjecto eas obtegit, velut sigillo apposito obsignans, ne solitam lucem emittant.

8. נֹטֶה שָׁמַיִם לְבַדּוֹ *Expandit coelos solus ille*, nemine adjuvante. Cf. Ps. 104, 2. Jes. 40, 22. Porro quemadmodum רֹכֵב עַל־בָּמֳתֵי אָרֶץ *super celsa terrae vehi*, Deut. 32, 13. Jes. 58, 15. est: victor et triumphator celsissimas arces conscendere; et *gradi, calcare, stare super excelsis verticibus*, Deut. 33, 29. Ps. 18, 34. Amos. 4, 13. Mich. 1, 3. dicitur pro: omnia sub pedibus subjecta et edomita habere; ita et h. l. דּוֹרֵךְ עַל־בָּמֳתֵי־יָם *graditur super excelsis maris* erit: elatissimos et tumidissimos fluctus domat, quasi ipse in mari, ut in pavimento quodam, incederet, illud pro arbitratu suo conculcans. בָּמֳתֵי־יָם non differunt a Virgilii (*Aeneid.* I. 5.) *aquae montibus*. Similiter Homerus κύματα ἴσα ὄρεσσιν, et Apollonius I. 521. ἁλὸς ἄκρα.

9. עֹשֶׂה־עָשׁ כִּימָה וּכְסִיל וְחַדְרֵי תֵימָן *Facit ursae sidus, Orionem, et Plejades et penetralia austri*. עָשׁ esse *ursae majoris* sidus, pluribus ostendit J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1907. Nec Judaeos solum Sanaenses et Bagdadenses, sed et Arabes Persici sinus accolas ursam majorem *Asch* appellare, testatur NIEBUHR in *Descript. Arab.* p. 113. 114. Cf. F. GUIL. VICT. LACH *Symbola ad Astrognosiam Oriental. (Beytrag zur Orientalischen Sternkunde)* in *Biblioth. universali Literat. bibl.* ab Eichhornio instructa, T. VII. p. 397., et LUD. IDELER *über den Ursprung u. die Bedeut. der Sternnamen* (Berol. 1809.) p. 21. כְּסִיל *Orion*, vid. MICHAELIS l. c. p. 1319. sqq., LACH l. c. p. 597. כִּימָה *Plejades*, vid. MICHAELIS l. c. p. 1264. sqq., LACH l. c. p. 455. Haec tanquam insignia sidera etiam a poetis Graecis Latinisque commemorantur. HOMERUS *Iliad.* XVIII. Vs. 483. sqq. in clypeo illo Achillis divina Vulcani arte elaborato, inter plura alia et sidera omnia, quibus coelum cingitur, adumbrata dicit, et haec inter (Vs. 486. 87.): Πληϊάδας θ', Ὑάδας τε, τόν τε σθένος Ὠρίωνος, Ἄρκτον θ', ἣν καὶ Ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν. VIRGILIUS *Aen.* I. 742. sqq. de Jopa: *Hic canit errantem lunam, solisque labores, Unde hominum genus, et pecudes; unde imber et ignes; Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones*, Et *Aeneid.* III. 515. sqq.

Digitized by Google

Sidera cuncta notat tacito labentia coelo, Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones, Armatumque auro circumsepsit Oriona. Illis vero sideribus, quae nobis in hemisphaerio septentrionali habitantibus, suis quaeque temporibus conspicua sunt, opponit חַדְרֵי תֵמָן *penetralia austri,* i. e. stellas et sidera, quae sunt in altero coeli hemisphaerio, versus alterum polum antarcticum, cujus sidera in conspectum nostrum numquam emergunt, sed tanquam in *conclavibus*, et abditis penetralibus delitescunt.

10. Repetit Eliphasi verba, supra 5, 9. litera aliqua variata aut vocula: illic וְאֵין חֵקֶר, hic עַד אֵין חֵקֶר; illic נִפְלָאוֹת, hic וְנִפְלָאוֹת. Hoc vero consilio annectit hanc causulam superioribus, ut inde transitum sumat, novumque velut impetum ad calamitatem suam amarissime complorandam; quippe qui infinita illa potentia ita se praegravatum sentiat, ut nulla ratione e manibus Dei sese queat eripere.

11. לוֹ — חֲלַף *En! praeteribit*, s. *si praeterierit super*, propter, ante *me, non videbo eum, et* si *transierit, non animadvertam eum.* Exaggerat hominum conditionem fragilem et infirmam, si cum divina potentia comparetur. Multa, inquit, facit Deus, absque ut homo eum videre aut percipere queat, nedum cum ipso contendere, eumve ad rationes actionum suarum reddendas vocare. Igitur plagae, a tanto Numine, quod videri ac sentiri nequit, inflictae, nulla ratione declinari possunt.

12. הֵן יַחְתֹּף — מִי־תְשִׁיבֶנּוּ *En!* si *rapiat, quis reducet*, retrahet *eum? quis dicet ad eum: quid facis?* יַחְתֹּף idem quod יַחֲטֹף, ut Prov. 23, 28. Si *rapiet*, leonis more, cui saepe Deus comparatur a scriptoribus Hebraeis, quando poenas de hominibus sumit, eos repente de medio tollens, et in eos impetum faciens, *quis avertet eum*, ne faciat, quis impediet et prohibebit eum?

13. אֱלוֹהַּ לֹא־יָשִׁיב אַפּוֹ *Deus non avertet iram suam*, ad prohibitionem aut resistentiam cujusquam, ubi eam semel exserere et exsequi decreverit, a nemine arcebitur aut impedietur. תַּחְתָּיו שָׁחֲחוּ עֹזְרֵי רָהַב *Sub eo incurvantur*, deprimuntur, succumbunt *adjutores insolentiae*, i. e. qui suo robore et potentia freti inflatique alios adjuvare conantur adversus Deum. Nemo opitulatorem et vindicem agere potest eorum, quos Deus raptare decrevit.

14. אַף־כִּי־ אֲנִי אֶעֱנֶנּוּ אֶבְחֲרָה דְבָרַי עִמּוֹ *Quanto minus ego ei respondebo*, si me in jus vocet, si mihi apud eum agendum sit, aut contendendum; quum robustissimae illae creaturae, montes, mare, coeli, ei cedant, et quaecunque robore efferuntur et praestant. *Seligam verba mea cum eo*, i. e. apud eum selectis utar verbis, ut verba seligere solent, et propria ac commoda quaerere, qui apud judicem aut principem loquuturi sunt, aut causam acturi; quanto minus ego verba coram eo instruam, quaeram et seligam, quibus eum compellem?

Digitized by Google

15. אֲשֶׁר אִם־צַדְקָתִי לֹא אֶעֱנֶה *Qui si etiam justus sim, non respondebo ei.* Quum me Deus arguet coram se contendentem, aut in me sententiam feret, etsi pro me sit jus, ut justa causa mea, non audebo illi respondere aliquid objicienti aut in me pronuncianti. Me enim rationibus obruet, et sua opprimet majestate. Imo vero, addit, לְמִשְׁפָּטִי אֶתְחַנָּן *disceptantem mecum deprecabor*, ei supplicabo, ut me libens audiat, tantum abest, ut audacter ei respondeam, etiam in causa justa, ut audacius et liberius coram judice loqui solent, qui justam causam tuentur. Quod opponit injustis criminationibus sociorum, quasi contumax et praefractus in Deum insurgeret. מִשְׁפָּטִי Participium *Pohel* cum Suff. 1. pers. (formae מְלוֹשֵׁךְ Ps. 101, 5.) *in jus me vocans*, sive, in jus mecum descendens, species *Pohel* enim inferre videtur actionem inter duos.

16. אִם־קָרָאתִי — קוֹלִי *Si clamavero* ad eum, *et responderit mihi*, *non credam quod auscultet vocem meam.* Haec verba plures diffidentis et desperantis esse putant de divina misericordia, ut iis accidere solet, qui in miseriis positi sunt, ut se diffidant exauditum iri. Sed A. Schultens recte monet, verba קָרָא et עָנָה h. l. usum judicialem obtinere, quo et infra 13, 22. usurpantur, hoc sensu: *si in jus vocarem* Deum, ut actor, *et responderet mihi* compellatus, seque sisteret, *haud crederem quod aurem praebuisset voci meae*, neque ullo pacto id mihi possem persuadere, prae immensa me inter et Deum distantia. Ergo supplex potius ei procumberem, quam ut pertinacius cum ipso disceptare vellem, etiamsi plane insons essem.

17. חֲתָמַנִי — בִּשְׂעָרָה אֲשֶׁר *Qui in tempestate conterit me, et multiplicat vulnera mea sine causa*, i. e. me nihil tale commeritum ita graviter afflictum sentio, ut veluti tempestate attritus et dejectus vilear, et gravissimis vulneribus plane confectus jaceam. שַׂעֲרָה h. l. i. q. סַעֲרָה *turbo*, *procella*, ut Nah. 1, 3., vid. etiam infra 27, 21. Ps. 50, 3. Verbum שׁוּף h. l. est *conterere*, cf. not. ad Ps. 139, 11. His, quae illic sunt observata, addendum est, Onkelosum Deut. 9, 21. verbo שׁוּף hebraeum כָּתַת exprimere.

18. לֹא יְהַנֵּנִי Hieronymus bene *non concedit mihi* vertit, quomodo verbum נָתַן et Gen. 20, 6. 31, 7. occurrit. הָשֵׁב רוּחִי *Reducere spiritum meum*, respirare (idem quod supra 7, 19. *glutire salivam*), ne locum quidem respirandi in his malis mihi concedit, me sine intermissione torquet et exagitat. כִּי יַשְׂבִּעֵנִי מְמֹרֵרִים *Nam satiat me acerbitatibus*, acerbissimis et atrocissimis doloribus me replet, ita ut respirare mihi prae eorum continuitate non liceat.

19. אִם־לְכֹחַ אַמִּיץ *Si secundum robur validi* s. potentis, sc. contendere cum eo quis velit. לְ ante כֹּחַ h. l. *modum agendi*, ut Hos. 10, 12. significat. Ipsum vero nomen est status constructi, s. cohaerens cum genitivo sequ. אַמִּיץ, ut supra 6, 12. כֹּחַ אֲבָנִים.

Digitized by Google

— הִנֵּה *Ecce*, sc. infinitis modis potentior ille est; aposiopesis. Sagax est SCHNURRERI conjectura, in *Dissertatt.* p. 244., primam vocis proximae וְאִם literam praecedenti vocabulo esse jungendam, ut sit הִנֵּהוּ, quae vox legitur Jer. 18, 3. „Quo observato, salvis etiam accentibus, verti potest: *si viribus potentioris dirimenda lis sit, en illum!* ut sit reticentia ejus rei, quae nemini non potest non ultro in mentem venire, nempe, Deum infinitis modis esse homine potentiorem.“ Possit tamen haec Dei vox esse, subaudito ante הִנֵּה verbo יֹאמַר, innumeris in locis non expresso, vid. WALTHERI *Ellipses*, p. 108. ed. Schulz. Sic erit הִנֵּה h. l. particula, s. interjectio exhibentis personam suam, ab alio provocati. In hemistichio altero negotium facessit interpretibus dictio מִי יוֹעִידַנִי, quod alii vertunt: *quis sistet me coram illo?* quod explicant, quis efficiet, ut coram illo jus meum tueri possim? Alii: *quis patronus mihi erit?* Alii cum suffixo tertiae personae יוֹעִידֶנּוּ legendum existimant, *quis diem dicet ipsi*, auctoritate Alexandrini: τίς οὖν κρίματι αὐτοῦ ἀντιστήσεται; et Syri: *quis ei occurret?* Alii יְעִידֵנִי legere volunt, quod in duobus codd. (uno Kennic. altero de Rossiano) reperitur, consentiente Chaldaeo: *quis testabitur pro me?* et Hieronymo: *nemo audet pro me testimonium dicere.* Alii יוֹרֵעֵנִי *quis me instruet*, s. *docebit?* quod ipsum et in paucis quibusdam codd. a Kennicotto et de Rossio indicatis, legitur. Utrumque tamen, et יְעִידֵנִי et יוֹרֵעֵנִי, parum aptum ad rem. Nihil vero difficultatis erit, retenta vulgari scriptura, יוֹעִידַנִי, modo subaudias, ut ad prius hemistichium monuimus, יֹאמַר sc. אֱלוֹהַּ, quo facto sic erit vertendum: *si jure* quis cum eo agere velit, dicet: *quis condicet mihi*, s. litem contestabitur? Quae ipsa verba Deo tribuit Jer. 49, 19. 50, 44. מִי כָמוֹנִי וּמִי יוֹעֲדַנִּי *quis sicut ego? quis diem dicet mihi?* Alterutro homines possunt confidere cum aliis decertaturi et litigaturi, vel robore, quo adversarium superent, vel jure, quo sint superiores. Sed neutro horum mortalis cum Deo in certamen descensurus quicquam efficiet. Robustissimus enim est, et infinitis modis homine major est adversarius ille, quam ut alicui in mentem venire possit, eum in jus vocare, et ab eo poscere, ut factorum rationes reddat.

20. אִם־אֶצְדַּק פִּי יַרְשִׁיעֵנִי *Si justus fuero*, etsi justam causam fovero, *os meum me condemnabit*, quia ex iis, quae dicam, me injustitiae arguet. Ad alterum hemistichium repetenda ex priore particula אִם, *si* תָּם אָנִי *integer sim*, וַיַּעְקְשֵׁנִי *pervertet me*, perversum me arguet, sive, ut bene Hieronymus: *pravum me comprobabit*, sc. Deus, s. *os meum*, quod alii malunt repetere. Quia sufficientia argumenta afferre non potero, quibus meum ipse jus tuear, sed ea etiam contra me facient, etsi justam mihi causam habere videbar. Ipse Deus ex ore meo me sontem declarabit. Ut הִצְדִּיק est *justum pronunciare* in judicio, et absolvere, ita הַרְשִׁיעַ

Digitized by Google

est *impium* seu *sontem pronunciare*, damnare, ut Exod. 22, 8. Ps. 37, 33. 94, 21. Ceterum וַיַּעְקְשֵׁנִי pro וַיַּעְקִישֵׁנִי, similis forma 1 Sam. 17, 25. יַעְשְׁרֶנּוּ *ditabit eum*, pro יַעְשִׁירֶנּוּ, absorpto vocali terminali, more Chaldaico.

21. חַיָּי — תָּם *Integer ego sum, non tamen sentio animam meam, aversor vitam meam.* Quorum verborum sensum interpretum plures hunc esse putant: integer quidem sum, et mihi ipse sum meae innocentiae conscius, et tamen prae doloris acerbitate *nescio*, i. e. non sentio *animam meam* in me, quia ejus facultates in me jam non vigent, ideoque vita mea mihi displicet, mortuus esse velim in tanto hoc angore. Alii, repetita sub Vs. initio particula אִם, sic exponunt: si *justus* sim, *nesciam*, ignorabo, *animam meam*, q. d. me ipsum ignorabo, velut apud me non ero, non compos mentis meae coram illo, quasi extra me sim prae timore majestatis ejus, vitae me meae taedebit prae concepto metu illius. Sed magis cum filo totius sermonis convenit et simplicior est sensus ab A. Schultensio productus: *vel justus si sim, non* tamen *agnoscam animam meam; reprobabo vitam meam*, i. e. etiamsi plane integer et nullius labis conscius mihi forem, tamen ista praeclara conscientia non posset adversus infinitum jubar eminentiae et majestatis divinae me sustinere, sed quantumvis mihi ipsi notus, meam ipsius animam ignorare cogerer, et vitam cum virtute et integritate actam, reprobare, condemnare, aspernari. Schnurrer in *Dissertatt.* p. 245. hunc Versum sic interpretatur: *Insons ego sum — non curo me — odi vitam meam.* „Jobus, inquit, vehementiore impetu elatus audet, quod antea ausus non fuerat, dicere, insontem omnino se esse, h. e. nil quicquam malorum, quibuscum conflictandum ipsi sit, promeritum; bene quidem se scire, haud impune futuram hancce suam audaciam, sed nihil curare se, vitae suae pertaesum, itaque se audacter pronunciare, Deum bonos malosque pari loco habere.

22. אַחַת־הִיא *Unum est* plerique sic intelligunt: *perinde est*, unum idemque est, i. e. nihil proficio, integer sim an improbus. Ego tamen sequendum existimo Chaldaeum: *una mensura est* (ut Lev. 24, 22. Num. 15, 16. מִשְׁפָּט אֶחָד *unum idemque sit jus* et indigenae et peregrino, cf. Ex. 12, 49. Lev. 7, 7.), ut in hebraeo subaudiendum sit מִדָּה *una mensura est* scil. Deo in tractandis hominibus, eadem omnes metitur mensura, eodem modo omnes tractat, neque ullum habet delectum hominum, quos affligit; *ideo dico: integrum juxta et malum conficit*, sine discrimine. Reponit hoc Jobus ad dictum Eliphasi supra 6, 7.

23. Hunc Versum vulgo sic interpretantur: *Si flagellum* Dei videlicet, calamitas ab eo immissa (Jes. 28, 15. coll. 1 Reg. 12, 11.) *interimat repente, ad tentationem*, i. e. correptionem et castigationem s. afflictionem *innocentum, ridet*, s. quasi *subsanat* Deus, q. d. si quando flagella et calamitates immittat hominibus, videtur

Digitized by Google

ridere, quum innocentes et probi simul cum aliis affliguntur, et calamitatibus iisdem involvuntur, nec curat: si enim curaret, eos flagellis eximeret. Sententia orationis contextui utique aptissima. Non tamen silentio praetereunda alia explicatio, qua particula אִם pro *o si! utinam* capitur, ut Ps. 139, 19. 81, 9. (ad quae loca vid. not.). Sic sensus prodibit talis: utinam una saltem plaga conficeret statim, et elideret! verum mulotationi innocentum illudit, subsannat miseros adeo, ut ipsorum aerumnis delectari videatur, lentis eos ictibus absumit. Optime sane tales voces conveniunt Jobo, qui occulta se tabe exedi et lento supplicii genere confici sentit, tardantemque mortem incusat. Eundem illum sensum jam expressit Hieronymus: *si flagellat*, i. e. si vult flagellare, *occidat semel, et non de poenis innocentum rideat.*

24. Institutum prosequitur. Quod ita sit, ut dixi, bonos et malos sine discrimine affligi, id satis ostendit, quod אֶרֶץ נִתְּנָה *terra tradita est in manum impii*, traditur improbo principi regenda saepe. Verba proxima, פְּנֵי־שֹׁפְטֶיהָ יְכַסֶּה, ambigua sunt. Quidam de *impio*, רָשָׁע, intelligunt, hoc sensu: impius ille tyrannus *faciem judicum ejus terrae tegit*, i. e. veluti obvelat faciem judicum suorum, ne videant scelera et maleficia, sed ad ea conniveant impunitate facinorosis concessa. Simili loquendi formula Ex. 23, 8. Deut. 16, 19. *judices* dicuntur *muneribus occoecari*. Alii malunt ad Deum referre, ut quum dixisset, terram impio principi regendam tradi, subjungat hujus rei auctorem: Deus autem id facit, qui moderatorum terrae vultum operit, i. e. efficit et in causa est, ut illi conniveant ad facinora: quemadmodum et infra 12, 17. queritur: שֹׁפְטִים יְהוֹלֵל *judices ad insaniam redigit*. Sed quum *faciem alicujus operire*, locis aliis denotet, aliquem *moerore et pudore obruere*, ut 2 Sam. 15, 30. Jer. 14, 4. Ps. 44, 16.; sensus potius videtur hic esse: eo quod Deus improbis terram regendam tradit, aut saltem connivet (quum pro sua justitia regibus tantum et rectoribus probis eam tradere deberet), confusione et moerore obruit judices, quorum est, justitiam administrare et exercere; quod justitiae leges a Deo ipso subversae videntur. Ut Mal. 2, 17. dicunt impii Israelitae: *quicunque male agit, gratus est Deo, et talibus oblectatur; aut ubi tandem est Deus judicii?* אִם־לֹא אֲפוֹ מִי־הוּא *Si non* sc. haec Deus facit, *quis* alius ille *est*, qui hoc faciat? אֲפוֹ h. l. mere particula expletiva est, ut infra 17, 15. 19, 6. 23. Gen. 27, 33. 37. al. Alii *ubi* interpretantur, quam notionem saepius habet, ut sit: *nisi est Deus, ubi et quis est horum auctor?* Alii יַכְוִיחֵנִי subaudiunt, conferentes locum infra 24, 25. וְאִם־לֹא אֲפוֹ מִי יַכְוִיחֵנִי *si non* sc. ita est, ut dico, *alienum est, et quis est, qui me falsi arguat?*

25. Suo quoque exemplo comprobari ostendit, pietatem in Deum, innocentiamque vitae minime exemtam esse flagello, levis-

Digitized by Google

simam et transitoria ac fallaci specie ludentem felicitatem suam deplorans. Sic infra 21, 13. 23. impietatem in his terris longa ac perenni felicitate gaudere, probum vero mori cum anima amarulenta, et nulla felicitate frui queritur. וְיָמַי קַלּוּ מִנִּי־רָץ *Et dies mei velociores sunt currente,* בָּרְחוּ לֹא־רָאוּ טוֹבָה *fugiunt, non viderunt bonum;* tribuit diebus, quod sibi erat tribuendum, q. d. bonum diebus meis non sum expertus. Nam doloris vis eo eum adigit, ut bonorum omnium, quibus antea usus fuerat, obliviscatur, quasi nihil unquam boni sit expertus; ideo queritur citissime elabi vitam suam, ut non liceat bono frui.

26. חָלְפוּ עִם־אֳנִיּוֹת אֵבֶה *Praeterierunt cum navibus*, i. e. sicut naves *inimicitiae*, i. e. bellicae. Quae sint *naves* אֵבֶה, dissentiunt. Quidam a radice אָבַב, unde אַב *viror fructus recens*, אֵבֶה *poma* interpretati sunt, quippe quae celeriter transvehenda, ne corrumpantur et putrescant. Ita Hieronymus: *pertransierunt quasi naves poma portantes.* Et Chaldaeus: *transeunt cum navibus onustis fructibus delicatis.* Alii ab אָבָה *voluit, desideravit*, vertunt *naves desiderii*, i. e. summo desiderio ad portum properantes. Ita Symmachus: *ἀπῆλθον ὁμοίως ταυσὶ σπευδούσαις.* Recentiorum plures collato arabico אבאה *arundo* significari censent *naves arundine*, vel *papyro Nilotica contextas*, cujusmodi naviculae Ex. 2, 3. תֵּבַת גֹּמֶא et Jes. 18, 2. כְּלֵי־גֹמֶא vocantur, quaeque solo rapido amnis decursu velocissime vehuntur. Sed quum אֳנִיּוֹת, quod hic legitur, alias de majoribus navibus usurpetur, et אֵבֶה idem quod גֹּמֶא denotare, perquam sit incertum; malim accedere iis, qui אֵבֶה idem esse putant, quod אֵיבָה *inimicitia* (et exaratum est in pluribus codd. a Kennicotto et de Rossio memoratis איבת), ut significentur *naves hostiles*, bellicae, praedatoriae. Sic ex veteribus Syrus: *naves multae hostium*, celerrimae et expeditissimae piratarum naves. Arabs: *naves multae ad hostilitates.* עִם ante אֳנִיּוֹת est pro כ, ut Ps. 106, 6. Coh. 2, 16., coll. Ps. 143, 7. נִמְשַׁלְתִּי עִם־יֹרְדֵי בוֹר *similis factus sum descendentibus in foveam.* Sequitur in altero nostri Versus hemistichio: כְּנֶשֶׁר יָטוּשׁ עָלֵי־אֹכֶל *sicut aquila volatu fertur ad escam*, in praedam, ubi volatum magis festinat. Quae in terris, aqua, et aëre velocissime feruntur, optimo cum delectu congessit noster.

27. אִם־אֹמְרִי *Si dicere meum* est, si dico, s. cogito apud me. Infinitivus pro Verbo finito, ut Jos. 6, 10. Jes. 11, 3. אֶשְׁכְּחָה שִׂיחִי *obliviscar*, excutiam ex animo *querelam meam*, אַנִּיחָה פָנַי *dimittam vultum meum* sc. tristem et moestum, quo sensu פָּנִים 1 Sam. 1, 18. occurrit. וַאֲבַלֵּיגָה *Et splendescere faciam*, serenum reddam, sc. vultum meum. De verbo חָבְלִיג cf. not. ad Ps. 39, 14.

28. יָגֹרְתִּי כָל־עַצְּבֹתָי *Horreo universitatem dolorum meorum*, veluti agmine facto denuo in me irruentium, meque omni

Digitized by Google

sua violentia obruentium. יָדַעְתִּי כִּי־לֹא תְנַקֵּנִי *Novi* enim, *quod non* tanquam *innocentem me purum* et immunem reddes ab his doloribus, sed tanquam improbum me affliges sine modo. In verbo תְּנַקֵּנִי respicitur vis gemina vocabuli נָקִי *immunis a culpa*, insons, et *immunis a poena*, impunis.

29. אָנֹכִי אֶרְשָׁע *Ego impius ero* et sons coram Deo, etsi justissimam causam alioqui foveam, לָמָּה־זֶּה הֶבֶל אִיגָע *quare* igitur *sic in vanum laborabo*, ut sc. jus meum tuear, quum semper apud Deum sons et reus peragendus sim?

30. אִם־הִתְרָחַצְתִּי בְּמֵי־שֶׁלֶג *Quodsi abluero me aquis nivis*, quibus major creditur vis ad sordes abstergendas, quam in aliis aquis. Pro בְּמֵי, quomodo in margine legendum praecipitur *(Keri)*, in textu est במו, quod בְּמוֹ *in* efferendum, praefixum ב cum syllaba paragogica מוֹ, poetis usitata. וַהֲזִכּוֹתִי בְּבוֹר כַּפַּי *Et* si *mundarem smegmate manus meas.* Alii sic reddunt: *et* si *mundarem* me *puritate manuum mearum*, innocentia mea, ut infra 22, 30. coll. Ps. 18, 21. 25. Sed בּוֹר, quod *nivi* in priore hemistichio respondet, h. l. idem est quod בֹּרִית *sal lixivii (Potasche)*, aut *smegma ex sale alcali* s. *lixivii factum*, ut Jes. 1, 25. Jer. 2, 22.

31. אָז — שִׂלְמוֹתָי *Tunc* tamen etiam *in foveam immerges me, et abominabuntur me vestes meae.* שַׁחַת *Fovea* h. l. non est intelligendum sepulchrum, quasi sensus sit: etsi operam dedero, ut sim quam purissimus, scio tamen fore, ut me interficias, ita ut etiam *a me abhorreant vestes meae*, quibus vivus indutus eram, ut figurate hoc dicatur, quia mortuus vestibus vitae exuitur, et induit vestes sepulchri. Sed significatur *fossa lutosa et coenosa* (ut cognatum שׁוּחָה Jer. 18, 20. 22.), in quam, ubi diligenter se mundarit, etiam aquis purissimis, tandem a Deo immergatur, ubi non solum vestes, sed et totus ipse ita inquinetur, ut etiam a se vestes suae abhorreant. Vestibus tribuitur quod induenti convenit. Bene Hieronymus: *tamen sordibus intinges me.* Quantumvis me purum esse et innocentem ostendere voluero, Deus tamen me impurissimum et injustissimum ostendet.

32. כִּי־לֹא־אִישׁ — בַּמִּשְׁפָּט *Nam non vir* sc. est Deus, *qualis ego sum*, mei similis, *cui respondeam* (subaudito אֲשֶׁר), ita ut *veniamus simul in judicium.* Ratio est omnium superiorum, quamobrem, etsi justus sit, cum Deo tamen contendens pro sonte habeatur: quia, inquit, non est mei similis, ut ei ausim respondere, quum quid adversum me in judicio, dum simul contendimus, objecerit. Non est par utriusque nostrum conditio. Ipse enim quum sit Deus, me sua potestate ac majestate opprimit.

33. לֹא — עַל־שְׁנֵינוּ *Non* est *inter nos arbiter* aut judex, qui arguere valeat, et increpet eum, qui immodicus fuerit in sua causa agenda, ac rationem praescribat, qua agat, ne in alterum

Digitized by Google

litigatorem sit asperior, aut qui (subaudito אֲשֶׁר) *ponat manum suam super utrumque nostrum*, sua auctoritate utrumque coercens, si causae suae fines praetergressus fuerit.

34. יָסֵר מֵעָלַי שִׁבְטוֹ *Auferat a me virgam suam*, i. e. plagam, qua me nunc afficit pro sua in me potestate. Alii יָסֵר ad מוֹכִיחַ *redarguentem* referunt, cujus superiore Vs. facta est mentio, qui, inquam, Dei virgam desuper me auferat, ut aequales simus in judicio, id quod audaciorem facit litigantem, ut jus suum liberius defendat, dum potentiam adversarii non reformidat. Prius tamen magis placet, utpote ad pathos Jobi accommodatius. Congruit hemistichium posterius, וְאֵמָתוֹ אַל־תְּבַעֲתַנִּי *et terror*, i. e. formido majestatis et potentiae *ejus ne* porro *terreat*, consternet *me*.

35. אֲדַבְּרָה וְלֹא אִירָאֶנּוּ Tunc *loquar nec metuam eum*. Si modo quid remittat Deus, tunc audacter et intrepide loquerer, meumque jus et innocentiam ostenderem. כִּי־לֹא־כֵן־אָנֹכִי עִמָּדִי *Quia non ita ego apud me* sum, i. e. uti me nunc tractat et exagitat, haud quidem mei sum compos, sum velut extra me, animi impos prae metu majestatis ejus, et potestate, qua me opprimit, perterrefactus. Hieronymus: *neque enim possim metuens respondere.*

Cap. 10, 1. נָקְטָה נַפְשִׁי בְחַיָּי *Taedet animam meam vitae meae.* Verbum נָקַט significatione cum קוּט *fastidire*, *taedio affectum esse* convenire, non sinit nos dubitare verbi Chaldaici נְקַט usus, pro קוּט et קוּץ. Sic et מוּל et נָמַל communes habent notiones, plura vid. ad Ps. 139, 11. קוּם autem cum ב construitur, vid. Ps. 95, 10. Ez. 20, 43. 36, 32. אֶעְזְבָה עָלַי שִׂיחִי *Dimittam super me querelam meam*, i. e. incoercitam eam mittam, laxabo ei habenas, ei indulgebo. Eadem sententia, quae supra 7, 11., ubi et eadem paene, quae hic, subjungebat, אֲדַבְּרָה בְּמַר *loquar in amaritudine animae meae*, in tanta doloris acerbitate et animi moerore non mihi temperabo, quin in sermonem erumpam, et effundam, quod in pectore habeo.

2. אֹמַר אֶל־אֱלוֹהַּ אַל־תַּרְשִׁיעֵנִי *Dicam ad Deum: ne impium me facias*, pronuncies, ne tanquam impium me condemnes. הוֹדִיעֵנִי עַל־מָה־תְּרִיבֵנִי *Notum mihi fac*, indica mihi priusquam me condemnes, *propter quid*, qua de causa, *litem mihi intendas*, cur me ita affligas?

3. הֲטוֹב לָךְ *Num bonum*, volupe *tibi est?* Vel, num inde tibi quicquam provenit commodi? (ut infra 13, 9.) כִּי־תַעֲשֹׁק *quod opprimas*, sc. quemquam. Significat verbum *vim injustam alicui inferre*, vid. Jes. 38, 14. 52, 4. Jer. 7, 6. כִּי תִמְאַס יְגִיעַ *Quod aversaris opus manuum tuarum?* quum soleant artifices sua opera amare et tueri. Eane in te possit immisericordia, ut tuum averseris opus? יְגִיעַ *Labor*, hic notat *rem labore pro-*

Digitized by Google

ductam, ut Deut. 28, 33. Ps. 78, 46. Ps. 128, 2. Jerem. 3, 24. וְעַל־עֲצַת רְשָׁעִים הוֹפַעְתָּ *Et super consilium impiorum splendere facis?* splendorem emittis? i. e. et quod luce vultus tui illustres ac favore prosequaris consilia et conatus improborum. *Lux* et *nitor vultus* favorem significat. Cf. Ps. 50, 2. 80, 2. Bene Hieronymus: *consilium impiorum adjuves.*

4. הַעֵינֵי בָשָׂר לָךְ *Num oculi carnis*, i. e. hominum *tibi* sunt? בָּשָׂר de *mortalium genere* dicitur, ut Gen. 6, 12. Jes. 40, 5. Ps. 65, 3. et בשר frequenter apud Arabes. *Oculi humani* vero errori et vitiosis affectibus obnoxios indicant. אִם־כִּרְאוֹת אֱנוֹשׁ תִּרְאֶה *Num sicut videre hominis*, sicut videt homo, *vides?* Num vides more hominum, et, sicut illi, ex facie judicas, aut affectibus ducaris, sicut illi? Levitatem indicat, aut ignorantiam, quia saepe fallax est hominum judicium. Nomen אֱנוֹשׁ deligit ut maxime aptum et appositum ad significandam humanam fragilitatem.

5. הֲכִימֵי אֱנוֹשׁ — כִּימֵי גֶבֶר *Num sicut dies hominis* sunt *dies tui? num anni tui* sunt *sicut dies viri?* Quae aliqui sic capiunt: num opus habes hominum more temporis diuturnitate ad inquirendum de facto meo, et ad cognoscendum, qualis sim? Sed videtur potius ad mutabilitatem referendum, quod Deus sit immutabilis, semper idem, neque hac in re hominibus similis. Q. d. num dies annosque vicissitudinum habes, sicut homines, qui quam hodie tenuerunt sententiam, cras mutant, quod hoc constituerunt anno, sequenti abrogant?

6. כִּי־תְבַקֵּשׁ לַעֲוֹנִי וּלְחַטָּאתִי תִּדְרוֹשׁ *Quod* adeo rigide *quaeris*, *et peccatum meum inquiris*, hominum more, et velut per quaestiones ac tormenta confessionem sceleris mei ex me detorqueas? Talesne affectus humani in te sunt, praesertim quum me scias innocentem, ut sequitur.

7. Crudele esse innuit, eum consumere, quem sciat non esse impium, nec habere aliquod aliud praesidium, praeter ipsum, Deum. עַל־דַּעְתְּךָ *Penes notitiam tuam*, bene tibi cognitum est. Vel potest עַל pro *quamvis*, *non obstante* capi, ut infra 16, 17. 34, 6. Jes. 53, 9. Ita hic Versus pendebit a superiore: *quamvis scias me non esse impium*, וְאֵין מִיָּדְךָ מַצִּיל *nec sit, qui e manu tua eripere possit.*

8. In eo divinam opificis sui sapientiam et constantiam requirit, quod se, tam miro artificio ipsius manibus elaboratum opus, tam vigili cura hactenus servatum, tot ab eo beneficiis mactatum, nunc nulla sontica de causa abjiciat, abominetur, atque internecioni devoveat. יָדֶיךָ עִצְּבוּנִי וַיַּעֲשׂוּנִי *Manus tuae formarunt me et fecerunt me* summa diligentia et cura; hanc enim notionem ex nomine עֶצֶב *labor*, *molestia* (Prov. 5, 10. 14, 23.) verbum assumit. עָשָׂה h. l. non simpliciter *facere* notare, se *accurate facere*, *componere*, *aptare* (ut Amos. 9, 14. עָשׂוּ גַנּוֹת)

Digitized by Google

recte a pluribus interpretibus observatum. Voces יַחַד סָבִיב non sunt jungendae τῷ וַתְּבַלְּעֵנִי (quomodo ו redundaret), hoc sensu: et tamen nunc me simul undiquaque conficis et dolore perdis ac exhauris totum; sed connectendae sunt cum praecedentibus, ut haec sit sententia: tuae me manus summa cura et arte formarunt, quantus sum undiquaque, ut nihil in me sit tam exiguum, quod non magna Dei cura et artificio sit elaboratum et compositum. יַחַד *uniter* eodem plane modo hic usurpatur quo a LUCRETIO 3, 358. *Qui coetu conjugioque Corporis atque animae consistimus uniter apti,* i. e. unitissime juncti et coagmentati, apposite monuit A. Schultens. Cf. Ps. 122, 3.

9. תְּשִׁיבֵנִי — זְכָר־נָא *Memento, quaeso, quod tanquam lutum feceris me, et ad pulverem me sis reducturus.* Descendit ad particularem hominis formationem, in memoriam, inquiens, revoca, ut me e luto primum, i. e. primum hominem, unde orti ceteri, formaris figuli more; et simul me ea lege natum et conditum memento e pulvere, ut eodem sim redigendus, Gen. 3, 19. Quo non solum Dei opus et curam innuit, sed et suam humilitatem et fragilitatem notat, quod Deum non sine causa in memoriam revocare vult, ut suae infirmitatis et fragilis conditionis in tanto dolore rationem habeat.

10. Respicit ad foetus in matris utero primam formationem quum in embryonem ex utriusque parentis semine coalescit. הֲלֹא כֶחָלָב תַּתִּיכֵנִי *Nonne sicut lac fudisti me?* נָתַךְ significat *rem colliquatam fundere* et immittere in formam aliquam, cf. 2 Reg. 22, 9. Ez. 22, 20. 22. Sensus: ex semine liquido, lac quodammodo referente, me formasti. Scheuchzerus in *Physica S. Jobi* ad h. l. foetus primordium lac coagulatum colore et consistentia referre tradit, ad quod hic respici suadet quod proxime sequitur. וְכַגְּבִינָה תַּקְפִּיאֵנִי *et sicut caseum coagulasti,* s. *coagulari fecisti me.* גְּבִינָה a verbo גָּבַן *coagulari, concrescere in grumos,* significat *caseum,* proprie *coagulatum et concretum in grumos majores lac.* Similiter PLINIUS *Hist. Nat.* Lib. VII. Sect. 13. agens de sanguine menstruo: *Quando haec est generando homini materia, semine e maribus, coaguli modo, hoc in sese glomerante, quod deinde tempore ipse animatur corporaturque.* Et LACTANTIUS *de Opific. Dei,* Cap. 12. *Ajunt Varro et Aristoteles, si semen foeminae recte cum virili mistum sit, utraque concreta et simul coagulata informari.*

11. תְּשֹׂכְכֵנִי — עוֹר *Cute* et *carne vestiisti me, et ossibus et nervis contexisti me.* Ulterius progreditur in formatione foetus in utero. Etenim consolidato semine, et formatis jam membris interioribus, iis tegendis caro et cutis superinducitur. תְּשֹׂכְכֵנִי non tam *contegis me* vertendum videtur, quod aliqui eo referunt, quod ossa ac nervi velut sepimentum corpori exhibent; sed *contexisti me,* sive, ut bene Hieronymus: *compegisti me,* ut spectetur

Digitized by Google

ossium et nervorum usus ad colligandas inter se partes et artus corporis connectendos et compingendos.

12. רוּחִי — חַיִּים *Vitam* mihi dedisti, *et benignitatem fecisti mecum, et observatio tua custodit spiritum meum*, vitalem, vitam meam tuetur. Mihi vitam concessisti, et insuper non vulgari prosequutus es semper beneficentia jam inde ex quo foetus in utero fui animatus. פְּקֻדָּה *Observatio*, cura assidua, ut Jes. 60, 17. et verbum Ps. 8, 5. Argumentatur ex eo, quod benignitatem et gratiam semel coeptam prosequi convenientissimum sit.

13. Tu tantis me et tot affecisti beneficiis, ita artificiose conditum et elaboratum, ut nihil desiderari queat, וְאֵלֶּה צָפַנְתָּ בְלִבֶּךָ *sed ista*, haec mala, quibus me torques, *recondidisti in corde tuo*, tuo decreto statueras jam olim, sic me affligere. צָפַן בְּלֵב *Recondere in corde*, alta mente repositum aliquid habere, h. l. in malam partem dicitur, ut infra 21, 19., ut thesaurum malorum sibi a Deo reconditum innuat, et quidem ex occulto aliquo odio, quo hoc caput, sive nocens futurum, sive innocens, male perdere cum animo suo decretum destinatumque habebat. יָדַעְתִּי כִּי־זֹאת עִמָּךְ *Scio quod hoc*, me tantis malis afficere, *tecum sit*, in animo tuo propositum. Dictio זֹאת עִמָּךְ, ut I Reg. 11, 11. הָיְתָה זֹאת עִמָּךְ, idem quod הָיָה עִם לְבָבוֹ *fuit cum corde suo* (2 Chr. 1, 11. 6, 8. 29, 10.), i. e. in animo fixum sedit. Etsi mihi tam prolixe benefaceres, haec tamen reservabas in tuo pectore, et reponebas, ut atrocissima quaeque mihi immitteres.

14. חְנַקֵּנִי — חָטָאתִי אִם־ *Si peccavi observasti me*, quoties peccavi, id diligentissime notasti, ut suo me postea loco et tempore tandem me punires, *et ab iniquitate mea non mundabis me*, scio, quod me non purum et immunem reddes a meo scelere. שָׁמַרְתָּנִי aute apodosi indicandae inservit. שָׁמַר h. l. *servare animum ulciscendi* significat, ut Jer. 3, 5. Amos. 1, 11. Queritur Jobus, quod a Deo dure et rigidissime tractetur, ita ut a nullo delicto immunis atque impunis exiret, sed quantumvis pius et religiosus viveret, eorum tamen, quae unquam antea admisisset, poenam severissimam subire cogeretur. Eaedem querelae infra 13, 26. 14, 16. 17.

15. אִם־רָשַׁעְתִּי אַלְלַי לִי *Si impius sim*, si tanquam sons punior, *hei mihi*, miserrime mecum agitur, וְאִם (וְאִם) צָדַקְתִּי לֹא אֶשָּׂא רֹאשִׁי *et si justus fui, non attollo caput meum*, ne hoc quidem mihi prodest, quum ita afflictae sint res meae, ut caput attollere nequeam moerore confectus et dolore oppressus. Ita neutrum mihi prodest, aut me levat, nec scelus, nec innocentia. *Elatio capitis* erectum et fidentem animam indicat; cf. infra 11, 15. Zach. 2, 4. Ps. 3, 4. et ibi not. שְׂבַע קָלוֹן *Satiatus*, sc. אֲנִי, undique oppletus sum *ignominia*, Ignominiam aliqui intelligunt, quae sibi a sociis inureretur, quod dolore mali sibi longe gravius fuerit.

Digitized by Google

Nos generaliter intelligamus ignominiam ex adverso honoris et gloriae, in qua ante fuerat, cum opibus et potentia polleret. שָׂבַע h. l. non est verbum, sed adjectivum in statu constructo (ab absoluto שָׂבֵעַ), ut Gen. 35, 19. שְׂבַע יָמִים *satur dierum*, et infra 14, 1. שְׂבַע־רוֹגֶז *satiatus ira*. וּרְאֵה עָנְיִי *Et vide afflictionem meam*, o Deus! vide, quo sim statu, tum cognosces ita esse, ut dico; ideo mei miserere. Alii רְאֵה pro Infinitivo capiunt, ut דְּרֹשׁ Ex. 21, 15., atque subaudita verbi finiti prima persona (cf. not. ad Ps. 142, 5., ubi eadem plane nostri verbi constructio), sic vertere: *videndo* (i. q. רֹאֶה *videns* ego sum) *afflictionem meam*. Ita Chaldaeus: *video afflictionem meam*. Nec non Syrus: *et vidi humilitatem meam*. Ita haec ita cohaerebunt: non possum caput attollere, qui undiquaque ignominia satier, et ipse meam afflictionem videam. Sed Imperativus, *vide!* verbis infert *πάθος*, quod Jobi perturbationi maxime convenit.

16. Primum hujus Versus Verbum, וְיִגְאֶה *et effert se*, cohaeret cum praecedente, referendumque ad עָנְיִי *effert sese afflictio mea*, i. e. crescit et augescit admodum. יִתְגַּבֵּר *invalescit*, ut Aben-Esra explicat. Elationem et superbiam morbo et dolori tribuit, cum totum hominem possidet. Alii, subaudito אִם et רֹאשִׁי, sic vertunt: *atque si efferret sese caput meum*, tu venareris me, sicut leo etc. Jam ad Deum, ut hujus calamitatis auctorem, sermonem convertit. כַּשַּׁחַל תְּצוּדֵנִי *Tanquam leo me venaris*, me persequeris, et discerpis leonis more, ut leoni similis videaris, dum tam atroci et gravi me vulnere conficis. Alii כַּשַּׁחַל in accusandi casu, *tanquam leonem*, vertunt, q. d. ut homo telum aut venabulum arripit ad leonem venandum, sic tu in me agis et fereris, quasi me cohibere ut feram oporteat. Sic paene Jarchi: tendis mihi et expandis rete (תִּפְרוֹס עָלַי מְצוּדָה), non secus ac leoni capiendo, quasi ita ut leo sim cohibendus his vinculis dolorum, ut supra 7, 12. dixerat: *Summe mare aut cetus, ut mihi custodiam adhibeas*, et his vinculis constringas? Sed praestat prior sensus, ut Deum leoni comparet, sicut et alias Deus, si severius castigat, et in impios atrocius animadvertit, proponitur ut leo, qui e lustro suo prodiens, obvios discerpit et lacerat, vid. Jerem. 25, 37. 38. Thren. 3, 20. Jes. 31, 4. 38, 13. Hos. 5, 14. 13, 7. 8. Sunt, qui כַּשַּׁחַל ad וְיִגְאֶה referant: effert sese dolor meus ut leo, nequaquam cedens, leonis more, ut ad ejus naturam alludatur, quae est, ut urgente canum aut venatorum vi, non inter virgulta se abdat, sed in apertos campos prodeat. Sed praeterea quod jam illi, qui accentus apposuerunt, accentu *Jethib*, וְיִגְאֶה שׁ apposito, qui in libris Psalmorum, Proverbiorum et Jobi distinguit, significarunt, verbum illud non esse conjungendum cum כַּשַּׁחַל, nec concinna videtur figura, dolorem leonis ad instar sese efferre. וְתָשׁוּב תִּתְפַּלָּא בִּי *Et redis*, iterum iterumque, *mirum te exhibes in me*, i. e. nec satis habes, semel in me saevisse, leonis more,

Digitized by Google

aut uno malo affecisse, sed subinde iteras et ingeminas plagas tuas, ut plane admirandum te in mea persona et corpore exhibeas, dum tam atroces et admirandas ac horrendas plagas infers. *In me*, non caret emphasi, q. d. in me jam semimortuo et paene confecto.

17. תְּחַדֵּשׁ עֵדֶיךָ נֶגְדִּי *Innovas testes tuos coram me. Testes* a Deo contra Jobum productos intelligunt quidam socios Jobi, quorum unus ubi velut testimonium in eum dixisset, quod ob scelus affligeretur, succedebat alter idem testificans, et alius novis in eum vel repetitis vel eodem tendentibus utens objectionibus et argumentis. Verum intelligenda potius sunt mala Jobo immissa, quae persuadebant amicis, illum peccatorem esse insignem, qui scelerum poenas luat, sicut coram aliquo testes produci solent, ad aliquem accusandum et convincendum. Cf. infra 16, 8. Mal. 3, 5. חֲלִיפוֹת וְצָבָא עִמִּי *Vicissitudines* sc. afflictionum *et exercitus*, i. e. agmen quoddam malorum, Lerna vel Ilias malorum *apud me est*, q. d. afflictiones per vices me invadunt et torquent, ut ubi haec insultum in me fecerint, succedant aliae, et his per vices aliae, ut in pugna aut urbis oppugnatione fieri solet, ut militibus fessis recentes succedant. חֲלִיפוֹת וְצָבָא pro חֲלִיפוֹת צָבָא *vices exercitus*, i. e. impetor variis et sibi invicem succedentibus malorum agminibus. עִמִּי *Mecum* quasi conflictantes turmae.

18. Redit ad acerbas querimonias effundendas, quales supra 3, 11. sqq. וְלָמָּה — לֹא־תְרָאַנִי *Et cur ex utero eduxisti me?* Si id non fecisses, *exspirassem*, *nec me* jam *oculus* cujusquam *videret* tam acerbo patientem. Nonne mihi satius fuerat illic mori, quam natum esse, ut in tanta viverem miseria? Alii אִגְוַע capiunt ut Optativum: utinam exspirassem, nec me jam videret oculus!

19. כַּאֲשֶׁר לֹא־הָיִיתִי אֶהְיֶה *Quasi non fuissem, essem.* Alii: utinam essem perinde ac si non fuissem! מִבֶּטֶן לַקֶּבֶר אוּבָל *Ab utero* materno *ad sepulchrum elatus essem*, quum mihi matris uterus vel sepulchrum fuisset (cf. Jer. 20, 17.), vel certo ex eo lapsus mortuus, abortiente matre, inde ad sepulchrum elatus fuissem.

20. Alia ratione Deum adducere nititur, ut se affligere desinat, qua et supra 7, 16. est usus, a vitae suae brevitate, ut se sinat quod reliquum est vitae ita exiguum saltem tranquille agere. הֲלֹא מְעַט יָמַי *Nonne parum quid*, pauci sunt, *dies mei?* Cf. similem constructionem Gen. 19, 20. וְתֶחְדַּל *Et cessa* sc. מִמֶּנִּי, quod ex altero hemistichio repetendum, *a me* affligendo. Secundum τὸ *Chethib* legendum יֶחְדַּל *cessabit*, quod aliqui cum praecedentibus jungunt, hoc sensu: an non paucum illud quod restat dierum meorum brevi finietur? Sic Chaldaeus: *nonne pauci sunt dies mei et deficientes?* Et Hieronymus: *numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Sed est יֶחְדַּל de Deo intelligens

Digitized by Google

dum: *cesset* s. desistat a me, ut supra 7, 16. dixerat: חְדַל מִמֶּנִּי *desiste a me.* Et hoc loco Imperativum s. τὸ *Keri* haud exiguus codicum numerus in textu ipso habet, vid. Kennicott. et de Rossi. Syrus etiam lectionem marginalem expressit, dum *discede a me* vertit. וְשִׁית מִמֶּנִּי *Et pone a me* sc. יָדְךָ *manum tuam* gravem, plagas infligentem, ut Ps. 32, 4., vel שִׁבְטְךָ, cf. supra 9, 34. Est autem שִׁית Imperativus formae Hiphil, abjecta praeformante litera ה, ut שִׂים Gen. 24, 2., לִין Jud. 19, 9., רִיב Mich. 6, 1. Ceterum eadem hoc in verbo scripturae varietas, quae in וַחֲדַל, nam literae in textu positae exhibent tertiam futuri personam, יָשִׁית, quae ad Deum referenda: *seponat a me* manum, s. virgam suam. Chaldaeus, etsi proxime antea reddiderit τὸ *Chethib*, hic tamen lectionem marginalem, s. τὸ *Keri*, reddit: *et pone super me* sc. לִבְּךָ *cor tuum*, cf. supra 1, 8. Melius Hieronymus: *dimitte ergo me.*

21. וְלֹא אָשׁוּב *Et non redeam* ad hanc vitam, priusquam, inquam, abeam אֶל־אֶרֶץ חֹשֶׁךְ וְצַלְמָוֶת *ad terram tenebrarum et umbrae mortis.* Concede mihi respirandi locum, עֲדֶרֶם אֵלֵךְ *priusquam abeam* hinc scilicet, cf. Ps. 39, 14. Regionem tenebris et densissima caligine obsitam vocat orcum, plane ut Graeci Romanique poetae. De צלמות vid. ad Ps. 23, 4.

22. Ante אֶרֶץ עֲפָתָה repetendum est e Versu superiore: *priusquam abeam ad terram obscuritatis* כְּמוֹ־אֹפֶל צַלְמָוֶת *sicut caliginis et umbrae mortis*, descriptio orci densissimis tenebris involuti. *Tartara* OVIDIUS quoque *Metamorphos.* 10, 20. vocat *opaca.* עֲפָתָה i. q. עֵיפָה *obscuritas*, Am. 4, 13., cum ה paragogico et sine *Jod.* וְלֹא־סְדָרִים *Ac non ordinum*, i. e. confusionum, ubi omnia plena sunt confusionis et tenebrarum; omnia sunt ita confusa, ut videantur referre antiquum illud chaos. סֶדֶר Aramaeis est *ordo*, ut שִׁדְרוֹת 1 Reg. 6, 9. 11, 8. 15. sunt *ordines.* Hieronymus: *et nullus ordo*, quod aliqui ad vices diei et noctis, ortus et occasus siderum referunt. וְתָפַע כְּמוֹ־אֹפֶל *Et splendet sicut caligo*, ironice, quod in ea est splendidissimum, est caligini simile, omnis ejus lux nihil est aliud, quam caligo, lux in ea et caligo idem est. Liberius Hieronymus: *sed sempiternus horror inhabitat.*

Digitized by Google

ZOPHARUS.

Cap. II.

Zopharus tertio loco, ceteris immodestius et inhumanior, aggreditur Jobum, quem primum temerariae garrulitatis, et arrogantis impiaeque in dicendo audaciae accusat, quod se ab omni iniquitate purum esse dixisset. Quasi cum Deo expostulet, quod innocentem tam excruciare voluerit vehementer, Vs. 2. 3. 4. Inde arrogantiae Jobum insimulat, qui quum Dei opera inscrutabilia assequi non possit, neque illius arcana explorare consilia, audacter tamen in illo aequitatem et clementiam requirat, Vs. 5—10. Deinde causas reddit, cur homo, quae Dei sunt, perscrutari non debeat, Vs. 11. 12. Ac tandem orat, ut si liberari ab his, quae patitur, et ad meliorem velit revocari fortunam, deponat larvatam sanctitatis imaginem, et veram amplectatur solidamque virtutem, quae placat Deum, et ab illo, quicquid in votis esse potest, abunde consequitur, Vs. 13—20.

2. הֲרֹב דְּבָרִים לֹא יֵעָנֶה *An multitudo verborum non respondebitur*, feret responsum? Ita duobus aliis locis, Prov. 10, 19. Coh. 5, 2. רֹב דְּבָרִים est *multitudo verborum*. Alii cum Kimchio aliisque Hebraeis רב pro adjectivo habent, ut respondeat אִישׁ־שְׂפָתַיִם in altero hemistichio, et idem sit quod אִישׁ דְּבָרִים Ex. 4, 10. Ita Alexandrinus: ὁ τὰ πολλὰ λέγων καὶ ἀνιαχούσεται. Quod sequutus Hieronymus: *numquid qui multa loquitur non et audiet?* Et Chaldaeus, qui verba hebraica accuratius expressit: *numquid illi qui multa loquitur non respondebitur?* וְאִם־אִישׁ שִׂפְתַיִם יִצְדָּק *Et num vir labiorum justus erit?* habebitur? Num committetur nostro silentio, ut sibi aut alius justus videatur? *Vir labiorum* idem qui Coh. 10, 11. בַּעַל הַלָּשׁוֹן male facundus, loquax. Bene Hieronymus: *verbosus.* Syrus: *neque vir loquax sermonibus suis justus redditur.*

3. Repetendam esse ex Versu secundo interrogationem, docet res ipsa. בַּדֶּיךָ מְחִרִישׁ יַחֲרִישׁוּ Num *commenta tua homines silere faciunt?* ad silentium adigunt? dum tu te apud Deum justum facis, et ipsum tuae innocentiae testem excitas (supra 10, 7.), et

Digitized by Google

dum te profiteris nihil iniqui dicturum, nihil in tuis sermonibus falsum inventum iri, supra 6, 29. 30. Num ista mendacia silentium imponent te audientibus, quasi hoc credentes jam tibi non ausint respondere aut contradicere? De nomine בַּדִּים vid. not. ad Jes. 16, 6. Chaldaeus: *mendacia tua viros tacere faciunt?* Sed Hieronymus: *tibi soli tacebunt homines?* Cepit בַּדֶּיךָ pro לְבַדְּךָ *solus*, ut בָּדָד *seorsim* (pro usitatiore לְבָדָד) Jer. 49, 31. Syrus: *en! ad verba tua mortui tacebunt.* מֵתִים cum מָתִים confudit. וְתַלְעֵג *Quumque subsannaveris* tum nos, ridens quod te affligi juste dicamus, tum Deum, in eum debacchans, et impia effundens. וְאֵין מַכְלִם Num *nemo* erit qui *rubore perfundat?* te scilicet, i. e. qui te confutet et convincat. Hieronymus: *a nullo confutaberis?*

4. וַתֹּאמֶר זַכָּה לִקְחִי *Dixisti: pura*, vera est *doctrina mea.* לֶקַח *Doctrina* (ut Deut 32, 2. Prov. 1, 5.), h. l. sensu latiore pro *sermone*, *eloquio* usurpatur. Hieronymus: *sermo meus.* Alii ad institutum vitae, quicquid agitur, docet et dicitur, extendunt. Ita Alexandrinus: *μὴ γὰρ λέγε, ὅτι καθαρός εἰμι τοῖς ἔργοις.* Et Syrus: *dicis quod te juste gesseris.* וּבַר הָיִיתִי בְּעֵינֶיךָ *Et mundus fui in oculis tuis*, o Deus, te ipso judice tantas calamitates non merui; cf. supra 10, 7.

5. Incipit refutare, et quia optarat Jobus sibi cum Deo ipso sermonem institui (9, 35.), et ille deposita sua auctoritate et potestate se dignaretur alloqui, ideo nunc Zopharus inquit: וְאוּלָם — דַּבֵּר *At enimvero quis dabit Deum loqui*, i. e. utinam, quemadmodum postulas, Deus loqueretur, et ore aperto te compellaret! Sane aliter rem habere intelligeres, quam putas, non ita justus appareres, ut tibi persuades de te ipse. מִי יִתֵּן optandi formula, ut 6, 8. וַיִּפְתַּח שְׂפָתָיו עִמָּךְ *Et aperiret labia sua tecum* colloquuturus, ore aperto te compellaret.

6. וַיַּגֶּד־לְךָ תַּעֲלֻמוֹת חָכְמָה *Et* ut *indicaret*, exponeret *tibi occulta sapientiae* sc. suae, qua omnia ille regit et gubernat, inprimis etiam in adfligendo te adhibita. Nunc enim te justum putas, at si Deus abstrusa sapientiae suae et arcana retegeret, intelligeres, multa esse, in quibus te rectum putes et insontem, in quibus reus perageris. כִּי־כִפְלַיִם לְתוּשִׁיָּה *Nam duplicia sapientiae* sc. Dei, sive, ut bene Chaldaeus, *nam duplum sapientiae est ei.* Dei sapientissima agendi ratio duplo major est, quam tu aut ullus hominum intelligere queat. Unde queri non debes, quod immerito affligaris. תּוּשִׁיָּה vidimus supra ad 5, 12. significare *quicquid cum ratione et prudentia instituitur*, prudentiam ipsam. Verba וְדַע כִּי־יַשֶּׁה לְךָ אֱלוֹהַּ מֵעֲוֹנֶךָ aliqui sic interpretantur: *et scito, quod mutuat tibi Deus de iniquitate tua*, quod velut mutuum tibi dat, i. e. condonat atque remittit de poena iniquitatis tuae (עָוֹן de *poena iniquitatis*, ut Gen. 4, 13. 19, 15. Ps. 31, 11. 32, 5.). Non a te exposcit Deus poenam totius iniquitatis tuae,

Digitized by Google

nec te pro merito punit, sed longe minus a te exigit, quam ferat debitum tuum et delictum. Alii, adscita *exigendi* notione (Ps. 89, 23.): *et scito, quod exactionem facit tibi Deus de iniquitate tua.* Ita Alexandrinus: *καὶ τότε γνώσῃ, ὅτι ἀξιά σου παρέβη ἀπὸ Κυρίου ὧν ἡμάρτηκας.* Alii נָשָׁה capiunt quidem eadem *exigendi* significatione, sed מִ ante עֲוֹנֶךָ sumunt pro *infra, minus* (ut Ps. 8, 6. infra 12, 3.), unde haec sententia existit: exigit a te Deus minus, quam sis commeritus. Ita Hieronymus: *et intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.* Malo tamen נָשָׁה *obliviscendi* significatu capere, ut Gen. 41, 5. Thr. 3, 17. infra 39, 17., ut vertendum sit: *scito, quod Deus oblivisci faciat*, oblivioni det, per oblivionem transmittat *tibi de iniquitate tua.* Sic Chaldaeus: *et scias, quod Deus oblivisci faciat tibi de iniquitate tua.* Eadem fere sententia Esr. 9, 13. (al. 14.) *Tu, Deus noster,* חָשַׂכְתָּ לְמַטָּה מֵעֲוֹנֵנוּ *continuisti* sc. vindictam tuam *infra iniquitatem nostram*, quum minus, quam merebantur peccata, nos puniveris.

7. Exaggerat immensam Dei sapientiam et potentiam, ut Jobi superbos illos spiritus, quibus congressum cum Deo expetere ausus fuerat, eo magis retundat: quandoquidem cum immenso Numine ipsi congrediendum esset, cujus sapientia et potentia nullis finibus circumscriptae. הַחֵקֶר אֱלוֹהַּ תִּמְצָא *Num pervestigationem Dei invenies?* חֵקֶר *Investigationem*, appellat cognitionem, quae investigando invenitur, q. d. num pervestigando Dei sapientiam et ejus factorum rationem assequi poteris? אִם עַד־ תַּכְלִית שַׁדַּי תִּמְצָא *Num usque ad perfectionem Omnipotentis invenies*, i. e. perquirendo et scrutando eo pervenies, ut perfectionem invenias ejus? ut plene assequaris, quae illi sunt perspectissima, nobis ignota et abstrusa? Alii: *usque ad consummationem*, i. e. ultimum terminum aut limitem, aut ultimam quasi partem naturae divinae ultra quam nihil sit ipsi reliquum. Hieronymus: *et usque ad perfectum, omnipotentem reperies?* מָצָא hoc Versu notat *assequi* intellectu, ut Coh. 3, 11. 7, 27. sqq. 8, 17.

8. גָּבְהֵי שָׁמַיִם *Altitudines coelorum* sc. illi sunt, מַה־ תִּפְעָל *quid* igitur *facias*, ut illum assequi possis? Hieronymus: *excelsior coelo est.* Alii, subaudita initio particula בְּ, *in altitudinibus coeli quid facies?* q. d. altitudinem coelorum, quos vides, assequi non potes, qui, quaeso, Dei sapientiam, longe altiorem? עֲמֻקָּה *Profunda* est sc. תַּכְלִיתוֹ *perfectio ejus*, מִשְּׁאוֹל *prae inferno*, i. e. abdito terrae sinu profundior. מַה־ תֵּדַע *Quid* igitur de illa *cognosces*, aut cognoscere poteris?

9. *Longior* est perfectio s. sapientia ejus *terrâ, quoad mensuram ejus, et latior mari.* Adjectiva אֹרְכָהּ (formae אַדְמָה, a masculino אָדוֹם, Num. 19, 2. vocali longa in brevem et Dagesch forte resoluta) et רְחָבָה referenda sunt ad תַּכְלִית Vs. 7. Comparative per omnes dimensiones describit Dei immensitatem. מִדָּה

Digitized by Google

Quoad *mensuram suam.* Per syncopen id esse volunt aliqui pro מִדָּתָהּ, coll. absoluto feminino infra 28, 25. Verum est potius masculinum מִד, addito suffixo feminino, coll. Jerem. 13, 25., et infra 38, 5.

10. אִם־יַחֲלֹף *Si pervadat*, sc. cum impetu, quasi hostiliter invadat, ut חָלַף Jes. 8, 8. dicitur de *fluvio exundante* et obvia omnia obruente, ad Assyriae regem designandum; item Jes. 21, 1. de *vento*, cum impetu irruente; cf. Hab. 1, 11. וַיַּסְגִּיר *Et concludat* s. *tradat* sc. hominem angustiis, miseriis, tanquam carcere inclusum, ex quo nullus exitus patet, cf. infra 12, 14. Deut. 32, 30. Ps. 31, 9. 78, 48. 50. וַיַּקְהִיל *Et congregat*, concilium nempe totius populi ad aliquem accusandum puniendumque, petita imagine ex forma judiciorum antiquissima, qua totus populus de reo sententiam dicebat. Comprehensus ab accusatore vinctus ducebatur in coetum, ut populus judicaret. Hinc Prov. 5, 14. בְּתוֹךְ קָהָל וְעֵדָה *in medio comitii et coetus.* Planius adhuc Ez. 23, 46. הַעֲלֵה עֲלֵיהֶם קָהָל *comitium convoca contra eos, eosque in terrorem et direptionem constitue, et lapidibus eos obruant.* Adde Ez. 16, 39. 40. Ad eam rationem hic denotatur dirum aliquod et ignominiosum judicium, homini divinitus inflictum, inspectante quasi universo populo. וּמִי יְשִׁיבֶנּוּ *Tum quis eum avertet* sc. ab instituto? s. repellet eum? ut supra 9, 12. Hieronymus: *et quis contradicet ei?* ו voci מִי praemissum indicat apodosin, ut saepius, ubi particula *conditionalis* praecedit, vid. Jud. 4, 8. Ps. 78, 34.

11. כִּי הוּא יָדַע מְתֵי־שָׁוְא *Ipse enim novit homines vanitatis*, vanos et sceleri addictos, intimos animi recessus penitus cognitos habens; non item homines, qui saepe ex facie externa judicant bonum et justum eum, qui coram Deo sit injustus, vel contra. Haec ergo facit, et quos vult impediente nullo punit, quia probe novit, quinam sint fontes, et ideo eos punit, quod tamen homines saepe mirantur, quia ignorant eorum vitiositatem, quam solus Deus perspectam habet. וַיַּרְא אָוֶן וְלֹא יִתְבּוֹנָן *Et videt hominum vanitatem, nec intelligit* s. advertit scil. homo, quod Deus eum videat, putat se a Deo non videri, non credit illi nota esse, quae egit. Alii: videt Deus et perspectam habet hominum impietatem, qua est ille sagacitate summa, at homo intellectu caret, nihil intelligit prae Deo, stupidus est et hebes, ut dicit sequenti Versu. Quanquam praecessit nomen pluralis numeri, מְתֵי, nunc tamen mutato numero recte dicere potuit וְלֹא יִתְבּוֹנָן pro וְלֹא יִתְבּוֹנְנוּ, hominis ratione habita, sicuti dixerat וַיַּרְא אָוֶן, pro אִישׁ־אָוֶן. Ad idem cum praecedenti יַרְאֶה subjectum verba וְלֹא יִתְבּוֹנָן refert quidem et SCHNURRERUS in *Dissertatt.* p. 247.; sed sensu reciproco capit illa, ut ad verbum sit: *et tamen scientem se non praebet*, i. e. videt scelera, etiamsi animadvertere non videatur. Videlicet Versus hic, ex Schnurreri sententia, in

Digitized by Google

parenthesi ponendus, causam indicare ipsi videtur, cur Deus in castigandis improbis juste versari censendus sit, quod scilicet nullum scelus, ab homine unquam commissum, latere illum possit.

12. וְאִישׁ — יִוָּלֵד *Homo* autem *vacuus* sc. mente et judicio, *cordatus* i. e. prudens *fit* (coll. לֵב חָכְמָה Ps. 90, 12.) castigationibus divinis, *et pullus onagri*, i. e. refractarius et effrenatus, *homo fit*, i. e. ad meliorem frugem reducitur. A. Schultens hoc Versu concludi existimat superiorem illam convictionem, per insinuationem officii, quae viam sternat ad sequentem exhortationem: *ergo vir inanis cor accipiat; et pullus onager homo evadat.* „Est telum in Jobum ejectum, quo monetur tumidam istam vanitatem, qua hactenus in Deum invectus fuerat, missam facere, ut pro feroci et indomito pullo se praeberet hominem corde praeditum.“ Schnurrerus l. c. hunc locum sic vertit: *et homo vacuus animum esset accepturus, pullus onagri indolem hominis.* אִישׁ נָבוּב, ait, „talis est, in quo locus, cui inesse debebat cor, cavus est atque inanis. יִוָּלֵד est verbum factum e nomine לֵב, *cor* autem Hebraeis *intellectum* denotare, vel ex tritissima illa formula, חֲסַר לֵב, intelligitur, quae hominem stultum, imprudentem solet significare. עַיִר פֶּרֶא imago est hominis rudis, indocilis, ferocis. Utriusque generis homines recte affirmat Zopharus fore ut flecti sese atque edoceri evidentissimis Dei argumentis paterentur.“ Sunt, qui יִוָּלֵב *corde*, intellectu *privatus est* significare existiment, ut hic Versus arcte connectendus cum postremis Versus praecedentis verbis, antithesin contineat ad superiora: sapientia Dei imperscrutabilis est, qua omnia novit, etiam quae homines ignorant, et quo penetrare non valent. Homo autem natura hebes, stupidus, et judicio ac mente vacuus, in Dei sapientia nihil videt et intelligit, brutus est, et mutis animantibus similis, in Dei judiciis et operibus plane coecutiens. Verum etsi verbi לבב forma Piel Cantic. 4, 9. *corde privare* denotet, sintque verba alia plura a nominibus derivata, quae in Piel illorum contrarios significatus obtinent, ut a שֹׁרֶשׁ *radix* שֵׁרֵשׁ *radices evulsit*, a דֶּשֶׁן *cinis*, דִּשֵּׁן *removit cineres;* a סָעִיף *ramus*, סִעֵּף *ramos excidit;* a זָנָב *cauda*, זִנֵּב *cauda truncavit;* nullo tamen exemplo probari potest, ejusmodi privativam significationem a Piel in Niphal transferri. Et hoc quidem loco uti *vir inanis* mente et judicio, et *pullus onager* sibi respondent, ita et oppositum *homo nascitur*, i. e. fit intelligens, respondet voci יִוָּלֵב, quae proinde sensu bono, *prudentem fieri* denotare necesse est.

13. Subjungitur paraenesis, qua Jobum hortatur, ut resipiscat, et ad Deum se convertat, amplissima ei bona et felicitatem longe cumulatissimam pollicens. אִם־אַתָּה — כֵּנְתָּ *Si tu dirigas cor tuum* scil. ad eum, Deum, אֵלָיו, quod ex hemistichio secundo subaudiendum, *et expandas ad eum* deprecandum *manus tuas.* Pendet hic Versus cum proximo a Vs. 15., ut Versus

Digitized by Google

uterque conditiones proponat, quibus impletis Jobo melius sit futurum.

14. אִם־אָוֶן בְּיָדְךָ הַרְחִיקֵהוּ *Si vanitas*, iniquitas, est *in manu tua*, *procul eam summove.* Conditionem vertit in paraenesin, q. d. si a te propuleris omne iniquum opus, וְאַל־תַּשְׁכֵּן בְּאָהָלֶיךָ עַוְלָה *nec habitare facias in tabernaculis tuis perversitatem*, nec perversitati locum apud te esse patiaris, non committas, ut locum apud te habeat ulla pravitas, aut injuria vel scelus.

15. כִּי־אָז *Sane tunc*, כִּי *sane*, expletivum, ut supra 8, 6. תִּשָּׂא פָנֶיךָ recte Hieronymus vertit: *levare poteris faciem tuam*, laetus scilicet et confidens. מִמּוּם *Absque* (מ privativum ut Jes. 23, 1. Ps. 49, 15.) *macula*, ab omni macula ac labe vel dolorum, quibus nunc discruciaris, vel sceleris, quod tibi haec conciliat, purus ac immunis. Respiciunt haec ad Jobi verba supra 10, 15., ac nomen מוּם hic substituitur pro קָלוֹן istic loci, quae voces junctim incedunt Prov. 9, 7., ut dubium non sit, quin significetur h. l. *macula ignominiosa*, *divinitus tanquam improbo inusta (Brandmark)*, calamitas poenae judicialis nomine ac titulo inflicta, ad exemplum et horrorem. וְתֵיתֵת מֵצַק וְלֹא תִירָא *Erisque solidus*, *nec timebis.* מֵצַק proprie *fusum* denotat, diciturque de metallis, quae vi caloris liquefacta, veluti aqua funduntur, ut 1 Reg. 7, 16. 23. 37.; hinc per metalepsin, quia in arte fusoria metalla ita funduntur, ut consistant, et durissimae ac solidissimae fiant, notat *firmum*, *solidum*, ut infra 37, 18. 38, 38. Cf. 1 Sam. 2, 8., ubi מְצֻקֵי אֶרֶץ *soliditates terrae*, sunt solidissima fundamenta terrae. Hinc Hieronymus h. l. vertit: *et eris stabilis.* Chaldaeus: *et eris purgatus a corruptione*, sicut metalla, quae per fusionem purgantur a scoriis.

16. כִּי־אַתָּה — תִזְכֹּר *Nam tu laborem et aerumnam oblivisceris*, *tanquam aquarum*, quae *praeterierunt*, *recordaberis.* Quia recordatio superiorum molestiarum ad absolutam felicitatem minime facit, et saepe animo molesta est, vel, inquit, prae felicitatis et bonorum cumulo aut plane tibi in oblivionem venient mala omnia superiora et molestiae, aut certe, si eorum memoria subeat, ita tenuis erit, ut similis videatur aquis praeterlabentibus, quae non redeunt, per transennam tantum, et velut per insomnium, ut dicitur, malorum praeteritorum recordaberis.

17. וּמִצָּהֳרַיִם יָקוּם חָלֶד *Et prae meridie surget tempus* sc. tibi, tempus tuum laetum et prosperum surget tibi meridie lucidius, splendidius luce meridiana, quae summa est, q. d. summa erit et firmissima laetitia tua. Similis imago Jes. 58, 10. חָלֶד *tempus vitae humanae*, vid. Ps. 39, 6. 89, 48., h. l. tempus vitae Jobo reliquum. תֵּעָפֶה בַּבֹּקֶר תִּהְיֶה (subaud. אִם) *si obtenebrescas*, *eris tanquam mane*, etsi tenebris calamitatum obtenebratus fueris in afflictionibus et molestiis positus, eris aurorae exorienti similis,

Digitized by Google

quae magis et magis subinde augetur in lucem. *Luce* laetitiam et felicitatem, *tenebris* moestitiam et adversa significari, notum. תְּעָפָה Chaldaeus et Syrus pro nomine habent; hic enim vertit: *et caligo sicut aurora erit;* ille: *quia obscuritas tenebrarum quasi lux matutina erit.* Videntur תְּעֻפָּה legisse, quod ipsum tres de Rossii codices exhibent, et antiquus auctor Commentarii hebraici in Jobum codicis de Rossii 298. legit, qui vocabulum istud exponit per חשך et עיפה.

18. וּבָטַחְתָּ כִּי־יֵשׁ תִּקְוָה *Et confides, quia est,* s. erit *spes* tibi, confides jam tibi proposita et oblata spe meliorum, q. d. confides hanc felicitatem tibi duraturam et stabilem futuram, ob spem apertam, quae se tibi ostendet. וְחָפַרְתָּ לָבֶטַח תִּשְׁכָּב *Et* si, etiamsi nunc *pudefactus sis*, tunc tamen, cum ad Deum te converteris, *secure cubabis.* חָפַר s. potius חָפֵר, *erubescere, pudefieri*, ut 6, 20. Ps. 34, 6. Sed quia verbum et *fodere* denotat, veluti Deut. 23, 14. Gen. 21, 30. (utrumque significatum Arabes puncto diacritico super prima radicali discernunt); sunt, qui adscito h. l. illo significatu, haec verba sic capiant: *fodies* scil. circum tentorium tuum fossam, quae te muniat adversum omnia pericula, tam ab hominibus, quam a feris impendentia, *in securitate cubabis*, habitabis. Vel, quod eodem redit: videberis circumquaque tuo tabernaculo fossas, quibus muniaris, effodisse, ac ibi tutus eris in tabernaculo tuo, etsi alioqui invalido, quasi undiquaque fossis et aggeribus munitum esset. Id forsitan spectavit Hieronymus, dum vertit: *et defossus securus dormies*, nisi de sepulchro cogitaverit, ut Chaldaeus, qui sic interpretatus est: *et praeparabis domum sepulturae, et securus dormies.* Alii *fodiendi* verbum metaphorice sumunt pro *inquirere*, explorare, ut infra 39, 29. (al. 32.), Jos. 2, 2. 3., hac sententia: inquires statum tuum, et de negotiis tuis sciscitaberis, et in utramque aurem dormies, belle habentibus rebus omnibus tuis. Sed acquiescendum videtur in eo, quem supra primo loco proposuimus sensu.

19. רָבַצְתָּ *Cubabis*, metaphora a gregibus, Zeph. 3, 13., vel leone, cujus recubitus est securitatis et fiduciae plenus, Gen. 49, 9. וְאֵין מַחֲרִיד *Et non erit qui exterreat te.* וְחִלּוּ פָנֶיךָ רַבִּים *Et deprecabuntur faciem tuam multi*, te suspicient et colent, tibi supplices erunt propter dignitatem et divitias. Syrus: *expetent faciem tuam multi*, tuam amicitiam expetent, ut Abrahami et Isaaci, Gen. 21, 22. sqq. 26, 27—29. Tantum abest, ut te quisquam exterreat, ut potius te tuamque gratiam quaerant multi.

20. וְעֵינֵי רְשָׁעִים *At oculi impiorum*, ut tui, si in impietate pergere vis, nec ad Deum redire; ut resipiscentes his omnibus bonis cumulat Deus, sic impiorum et non resipiscentium oculi תִּכְלֶינָה *consumentur*, sive, ut Hieronymus, *deficient*, ex moerore scilicet et invidia. Spem concipiunt fruendi bonis, sed spe sua

Digitized by Google

excidunt. Sic כְּלְיוֹן עֵינַיִם *consumtio oculorum*, saepius dicitur de vana et irrita exspectatione, cum quis in aliquid oculos intendit, avidissime exspectans, nec id assequitur. Vid. infra 31, 16. Lev. 26, 16. Deut. 28, 32. 65. Jerem. 14, 6. Ps. 69, 4. 119, 82. וּמָנוֹס אָבַד מִנֶּהֶם *Et effugium perit ab illis*, nullum illis patebit effugium a malis, dum exspectant ab illis liberari, numquam tamen liberabuntur. Eadem loquutio Ps. 142, 5. Verba ultima, וְתִקְוָתָם מַפַּח־נֶפֶשׁ *et spes eorum est efflatio animae*, quidam sic intelligunt: animi moeror tantus, ut ad efflationem animae perveniat; tanto dolore afficientur excidentes spe sua, ut prae eo sibi mortem consciscant, aut mortui esse velint; coll. infra 31, 39. וְנֶפֶשׁ בַּעֲלֶיהָ הִפַּחְתִּי *et animam dominorum ejus efflare feci*, et Jer. 15, 9. נָפְחָה נַפְשָׁהּ *efflavit animam*. Praestat tamen, מַפַּח pro *exsufflatione*, i. e. halitu sumere, i. q. רוּחַ supra 7, 7. et חֶבֶל Ps. 62, 10. ut sit: erit spes eorum vanissima, ut hominis halitus, qui statim praeterit et consumitur.

Digitized by Google

JOBUS.

Cap. 12. 13. 14.

Zophari reliquorumque severas objurgationes refellere, telaque repellere instituens Jobus, multo animosius, quam ante, pedem cum amicis non tantum, sed et cum Deo, confert. Ac primum invehitur in illos propter iniquum ipsorum de se judicium, taxatque eos, quod se tam fastuose contemserint ob mala sibi inflicta, quasi mente et judicio careret, nec in sapientia et operibus Dei quicquam videret. Asserit igitur, sibi quoque mentem esse, ut illis, ac vulgari esse et nemini non cognita ea, quae de Dei providentia, potentia ac sapientia dixerant; ea vel ex bestiis et terra ac piscibus maris, ne longius abeatur, cognosci posse, unde occasionem arripit, rursum de Numinis providentia, sapientia et potentia longe magnificentius tractandi, quam illi fecerant (Cap. 12.). Inde redit ad se tuendum et suam innocentiam, cum Deo agens, quod illi vani sint et mendaces, et consolatores nihili (13.). Est autem observandum, quanto illi magis in describendo exitio improborum insistunt, tanto Jobum accuratius et pertinacius suam innocentiam defendere, unde et adversum eos objicit, esse improbos, qui hic rerum successu prospero utantur, contra quem illi senserant. Ad extremum, ut magis Deum ad clementiam inflectat, excurrit iterum in acerbas querelas de humanae naturae fragilitate, infirmitate ac misera conditione. Urget denuo, momentaneam esse hanc vitam, quae ubi fugerit, revocari nequeat, longa et perpetua nocte functos detentura, quem spem reditus et instaurationis omnem penitus adimat (14.).

Cap. 12, 2. אָמְנָם כִּי אַתֶּם־עָם *Certum* est scilicet! *quod vos* estis *populus*, ac veluti universum genus humanum, ut omnis sapientia, quae inter homines est reperiunda, in vobis solis habitet. Ita Alexandrinus: εἶτα ὑμεῖς ἐστὲ ἄνθρωποι; et Hieronymus: *ergo vos estis soli homines?* עָם h. l. eodem sensu usurpatur, quo Arabes עֲשִׁירָה *congregatio*, *turba hominum*, haud raro de *praestantiore gentis parte* usurpant. Ita Lebid in Carmine praemio ornato (Vs. ultimo) de tribu quadam: והם עשירה *illi coetus sunt*, i. e. nobiles, generosi. Ita enim ad haec verba Scholiastes:

Digitized by Google

in hoc (dicto) *laudis significatio est, quemadmodum dici solet: hic est vir!* וְעִמָּכֶם תָּמוּת חָכְמָה *Et vobiscum morietur sapientia*, vos nimirum soli sapitis, ita ut vobis intereuntibus interitura sit omnis sapientia!

3. גַּם לִי לֵבָב כְּמוֹכֶם *Etiam mihi cor*, mens, intellectus (ut infra Vs. 24. Ps. 90, 12. Prov. 7, 7.) *sicut vobis*, sapio et ego ut vos, est et mihi mens et judicium, ut vobis, ad res capiendas. לֹא־נָפַל אָנֹכִי מִכֶּם *Non cadens ego a vobis*, non sum vobis inferior, vobis non cedo. Metaphora a luctatoribus, ex quibus qui inferior est, viribus, a robustiore prosternitur. Bene Syrus: *nec sum deterior vobis.* Similis, etsi non prorsus eadem loquutio Neh. 6, 16. וַיִּפְלוּ מְאֹד בְּעֵינֵיהֶם *et ceciderunt admodum in oculis suis*, i. e. abjecti fuerunt et contemti apud se prae Judaeis, quum audissent adversarii ab illis instauratos muros urbis. וְאֶת־מִי־אֵין כְּמוֹ־אֵלֶּה *Et apud quem non* sunt *sicut ista*, i. e. talia? Atque adeo quis talia non novit, qualia dicitis, quis horum ignarus est? Hieronymus: *quis enim haec, quae nostis, ignorat?*

4. De se Jobus mox prima, mox tertia persona loquitur. שְׂחֹק תָּמִים — Qui *risus*, s. risui est etiam *socio suo*, sicut ego *sum*, *invocat Deum*, ultorem, *et exaudiet eum; risus est justus integer*, sincere pius! quae ultima verba cum affectu acerbissimi doloris pronunciata cogitanda sunt; nam sibi tale quippiam accidisse haud obscure significat, sed molestiae serviens, et modeste socios taxans, prima persona simul cum tertia est usus. שְׂחֹק *Risus*, i. e. homo qui derisui est, pro ludibrio habetur, ut Jer. 20, 7. 48, 26. 39. אֲהִיָּה pro כַּאֲנִי אֲהִיָּה *sicut ego sum.* Recte Hieronymus: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum; deridetur enim justi simplicitas.*

5. Secundum hemistichium primum sumito, nam est nominativus a fronte verbi, quem sic saepe subjungunt Hebraei: נָכוֹן לְמוֹעֲדֵי רָגֶל *Paratus*, is qui paratus, proclivis est *ad nutationes pedis* (cf. infra 18, 12. Ps. 38, 18.), propinquus ut labatur et cadat, de quo paene actum est, et qui lapsui ac ruinae propinquus est, ut ego nunc, לַפִּיד בּוּז לְעַשְׁתּוֹת שַׁאֲנָן *lampas*, s. taeda *contemtionis*, i. e. contemta et despecta, *cogitationibus*, juxta cogitationes, *tranquilli*, felicis hominis. Ille qui miseriis oppressus, et de pristino statu detrusus jacet, est juxta mentem et opinionem ejus, qui rerum successu prospero utitur, taeda despecta, i. e. jam consumta, quae jam usui esse non possit ad praelucendum, quae tantisper dum praeluceret, in pretio erat, sed jam paene consumta contemnatur. Sic Jobus rebus secundis ut taede ardens, omnia quae circa eum collustrans erat, nunc in tenebris et squalore positus negligitur et despectui est; socii, quibus arridet fortuna, et omnia sunt secunda, ab afflicto abhorrent, abominantur jam et aversantur fortunis eversum, et paene jam deploratum. Aben-Esra

Digitized by Google

Lamed in לַפִּיד pro servili, s. praefixo habet, ut פִּיד sit *calamitas*, ut infra 30, 24. 31, 29., idem quod אֵיד *calamitas*, *infortunium*, et proinde לַפִּיד *ob infortunium* vertatur, et hoc de se dicat in tertia persona, juxta id, quod coeperat dicere praecedenti versiculo: et sum, inquam, ut is, qui est despectus in mente felicis hominis ob afflictionem et calamitatem; atque ideo sum jam paratus, ut pede nutem, i. e. a timore Dei et vera pietate excidam, quia improbos video florere, et eorum pacata tabernacula, ut sequitur Versu 6. Exponit Aben-Esra quod de nutatione pedis hic dicitur, ut illud Psalmi 73, 2. כִּמְעַט נָטָיוּ רַגְלָי *fere nutarunt pedes mei*, quum felicitatem impiorum viderem. Sed prior ille sensus est planior et simplicior. לְעַשְׁתּוֹת *Cogitationibus*, sive, ut in exemplis quibusdam et manu et typis exaratis scriptum in Singulari, לְעַשְׁתּוּת *cogitationi*, i. e. secundum cogitationem, s. secundum cogitationes. Vox est Aramaeis usitatior, quae et legitur Ps. 146, 4. בַּיּוֹם הַהוּא אָבְדוּ עֶשְׁתֹּנֹתָיו *eo die pereunt ejus cogitationes*, hominis, cum moritur, nec ei fidatur, et Jon. 1, 6. אוּלַי יִתְעַשֵּׁת *forsan cogitabit Deus de nobis*, et Dan. 6, 3. in Chaldaicis, *rex* עֲשִׁית *cogitabat* Danielem evehere, idem quod hebraicum חָשַׁב *cogitavit*. מוֹעֲדֵי Hieronymus habuit pro plurali status constructi nominis מוֹעֵד *tempus statutum*, quum tamen מ sit radicale (מָעַד *nutavit*, *vacillavit*). Nomen רֶגֶל autem intellexit ut Ex. 23, 14. שָׁלֹשׁ רְגָלִים *tribus statis vicibus*. Nam illius interpretatio ita se habet: *lampas contemta apud cogitationes divitum*, *parata ad tempus statutum*, alieniore sensu, quasi alteri tempori destinata sit, quae nunc contemnitur lampas, et rursum futurum ut splendeat.

6. יִשְׁלָיוּ אֹהָלִים לְשֹׁדְדִים *At pacata sunt tabernacula vastatoribus*, s. *praedonibus*, ut recte Hieronymus. Praedones pacatas habent domus, rebus secundis utuntur, et summa fruuntur felicitate, contra quam socii dixerant, eos perdi a Deo, cf. supra 11, 20. וּבַטֻּחוֹת לְמַרְגִּיזֵי אֵל *Et confidentiae sunt irritantibus Deum*, qui Deum criminibus gravissimis ad iram provocant, securi sunt, alta fruuntur quiete. Ultima verba, לַאֲשֶׁר הֵבִיא אֱלוֹהַּ בְּיָדוֹ, plures sic explicant: *ei* scilicet est securitas, *in cujus manum* (mutato numero) *adduxit Deus* subaudiunt *bona*, *felicitatem*, q. d. cui felicitatem et bona concessit Deus, cujus manui obtulit quicquid volebat, כֹּל מִשְׁאֲלוֹת לִבּוֹ *omnia animi sui vota*. Ita fere Hieronymus: *abundant tabernacula praedonum, et audacter provocant Deum*, *cum ipse dederit omnia in manus eorum*. Sed videntur verba potius sic capienda: *et* sc. est omnigena felicitas, *qui portat Deum in manu sua*, i. e. qui manum suam pro Deo habent, cui manus et potentia sua pro Deo est, et licitum sibi putat quod libet; descriptio hominis protervi et violenti; collata cognata et proverbiali quasi loquutione Gen. 31, 29. Deut. 28, 32. Hab. 1, 11. 16. Mich. 2, 1. הֵבִיא proprie *adfert*, i. e. portat, gerit, ut Lev. 7, 30. Deut. 26, 10.

Digitized by Google

7. וְאוּלָם — וְגַד־לָךְ *Enimvero roga, quaeso, bestias, et docebit te* scil. unaquaeque earum, docebunt te, et *avem coeli*, aves aëris, *et indicabit*, indicabunt, exponent *tibi* Dei sapientiam. Hic Versus cum duobus, qui proxime sequuntur, cohaeret cum Versu tertio, ubi Zopharo, sapientiae divinae altitudinem memoranti, reponit Jobus, eo etiam non docente, talia sibi pridem nota esse, nulli amicorum se in ejusmodi scientia concedere, utpote qui mentis oculos satis acres habeat, ad ea praesertim dispicienda, quae nemo est cordatior, qui ignorare possit. Tres versiculi a quarto ad sextum, per parenthesin inserti, huc non respiciunt, sed durum sociorum in se animum exagitant.

8. אוֹ שִׂיחַ — הְגִי לַיָּם *Aut* interroga *virgultum*, quod *terrae* est, frutices terrae, *et docebit te, et recensebunt*, exponent *tibi* haec omnia *pisces maris*, muti licet.

9. זֹאת — מִי *Quis non cognitionem habet in his omnibus*, quis non potest facile cognoscere, *quod manus Jovae fecit hoc* universum, quod intuemur.

10. אֲשֶׁר בְּיָדוֹ — נֶפֶשׁ־אִישׁ *In cujus manu*, quippe in manu ejus est *anima omnis viventis*, omnium animantium, *et spiritus omnis carnis*, corporis, *viri*, i. e. anima, quae in corpore humano habitat. Animam rationis participem, et intellectum hominis intelligit.

11. הֲלֹא־אֹזֶן — יִטְעַם־לוֹ *Nonne auris verba probat? et palatum cibum* nonne *gustat sibi?* In וְחֵךְ Vau est הַהִשְׁוָאַת *aduequationis*, ut Hebraeorum Grammatici vocant, ut supra 5, 7. Sensus est: annon sicut gustu deprehenduntur et dijudicantur ciborum sapores, quis dulcis, quis amarus, ita et sermones aure, auris judicio discernendi et dijudicandi sunt, sintne veri an falsi? Aurem autem non externam tantum intellige, sed et internam, i. e. exactum judicium, quod iis, quae audiuntur, est adhibendum. Iisdem verbis utitur Elihu infra 34, 3. Hic socios suos Jobus carpit, quod non diligenter expenderint a se dicta, quo animo prolata essent, sed aliorsum interpretati verba sua, nec satis dijudicassent et examinassent ea.

12. תְּבוּנָה — בִּישִׁישִׁים *In senibus est sapientia*, *et* in *longitudine dierum*, longaevis, est *prudentia*. Sunt, qui putent hic perstringi a Jobo socios, tanquam juniores, neque ita experimentis et rerum cognitione valentes. Alii Versum ad ea referunt, quae Bildadus supra 8, 8. dixerat, *interroga prisca secula, ac te compone ad pervestigationem patrum*, ut in eum haec dirigantur: fateor esse in senibus sapientiam, ut dixisti, est quidem veneranda memoria et sacrosancta patrum auctoritas, verum ea non tanti esse debet, ut quae illi contra judicium verae doctrinae et sapientiae divinae dixerint, sequamur: est quidem in illis sapientia, sed in Deo longe major (Vs. seq.). Sed ob ea, quae infra 15, 10.

Digitized by Google

Eliphasus dicit: *etiam inter nos est canus, etiam decrepitus, et qui patre tuo sit annosior*, quae manifeste haec verba respiciunt, videtur potius, modeste de se loqui Jobus, non dicens: ego senex sum, et experientia valeo, itaque vos docebo, quae per aetatem de Dei sapientia cognovi; sed generali sententia dicit, senibus, quibus et ipse sese accenset, quum jam tunc esset grandaevus (cf. Prolegg. p. 4), senibus, inquam, quum experientia valeant et prudentia, esse credenda, quae ipse de modo et ratione, qua Deus utitur in rerum humanarum gubernatione, protulerat passim, praesertim supra 9, 22—24. Quia autem adversarii superbe sibi altissimarum rerum scientiam arrogabant, et, quasi ignoraret Jobus, illum docuerunt ostenderuntque a Deo omnia fuisse fabricata, et alia, quae divinam sapientiam et facultatem praedicant; jam Jobus illa non tam dicit esse occulta, ut non ipsa se prodant omnibus, qui cum mediocri ingenio mediocrem attentionem adhibere voluerint. Deinceps ergo de Dei sapientia agit longe magnificentius et apertius quam illi, ea etiam afferens, quae rara facit Deus sua sapientia, quorum sit hominibus ignota ratio, in quibus plane sit admirandus, et in quibus, cessante omni humana ratione, Dei sapientia plane sit adoranda et suspicienda.

13. עִמּוֹ — וְתִבוּנָה *Cum eo*, apud ipsum est *sapientia et fortitudo*, *ei* est *consilium et intelligentia*. Non sapientia tantum pollet, qua res omnes administrat, sed et potentia, cui resisti non potest, et qua exsequitur sapienter a se ordinata et decreta.

14. הֵן יֶהֱרֹס וְלֹא יִבָּנֶה *En! destruit nec aedificabitur*. Contra eum nihil omnino valet humana potentia. Si diruerit domos, urbes, regna, non instauretur ab eo dirutum. Si יִסְגֹּר עַל־אִישׁ *clauserit super viro*, scil. סָגוֹר *claustrum*, s. vincula, si retruserit quempiam in vincula, aut in malum aliquod conjecerit, וְלֹא־יִפָּתֵחַ *non solvetur*, non poterit inde se extricare, et eximere vinculis aut malis a Deo immissis. Cf. supra 11, 10.

15. הֵן יַעְצֹר בַּמַּיִם *En! coarctat aquas* in locum angustiorem, ut constrictae quasi fluere nequeant, sive coelestes intelligas, sive e fontibus oriundas. עָצַר cum ב construitur, q. d. imperio coercet aquas, cf. 1 Sam. 9, 17. זֶה יַעְצֹר בְּעַמִּי *hic imperabit in populum meum*. וַיִּבָּשׁוּ *Et exarescunt* aquae, locum siccum relinquere coguntur. וַיְשַׁלְּחֵם וַיְהַפְכוּ־אָרֶץ *Et* cum rursus *emittit eas*, *evertunt terram*, ut in diluvio factum. שָׁלַח *emittere* h. l. non significat simplicem *emissionem* e nubibus, e fontibus, ex alveis, verum etiam *effusionem*, quae fit admissis veluti habenis, omnique freno soluto, ut quaqua versum diluviem stragemque ferant.

16. עִמּוֹ עֹז וְתוּשִׁיָּה *Cum eo*, penes eum *potentia et ratio*. תּוּשִׁיָּה (de cujus etymo vid. supra ad 5, 12.) h. l. denotat rationem certam et prudentem, qua omnia ex aequitatis norma et juris

Digitized by Google

formula administrat, ne tyrannice putes eum suo robore abuti. Robore quidem valet, sed interim etiam certa lege et ratione omnia gubernat, ut nihil impotentia quadam tyrannica ab eo fiat. לוֹ שֹׁגֵג וּמַשְׁגֶּה *Ei,* in manu et potestate ejus est, *errans et errare faciens.* Dei moderamini quaevis hominum facta, dicta, consilia, subesse necesse est, sic ut nullus apud mortales existat aut deceptor, aut deceptus, quin talis sit, volente Deo, id est fieri sinente, quum prohibere possit.

17. Alia affert rara et extraordinaria, quae Deus potentia sua et sapientia facit inter homines, quorum ratio saepe est ipsis ignota; utpote tam profunda et impervestigabilis, ut omnem rationem humanam non tantum superscandat, sed et confundat atque conturbet. Ac primum quidem dicit de prudentia ἡγεμονικῇ viris principibus subducta divinitus, unde maximae rerum conversiones et confusiones in regnis et rebus publicis exsistere solent. מוֹלִיךְ יוֹעֲצִים שׁוֹלָל *Abducit consiliarios,* i. e. moderatores terrae, qui suo consilio omnia regunt, et quorum consilio omnes subscribunt, ac illud maxime reges sequuntur (cf. supra 3, 14.), *spoliatum,* sc. unumquemque eorum, i. e. spoliatos, ut supra Vs. 7. *roga* בְּהֵמוֹת וְתֹרֶךָּ *bestias et docebit te,* sc. unaquaeque earum, i. e. docebunt te. שׁוֹלָל Participium Pyhal pro מְשׁוֹלָל, abjecto מ, ut מוֹרָם pro מְמוֹרָם *extersum,* 1 Reg. 7, 45. Cf. not. ad Mich. 1, 8. Alii substantivum malunt: *abducit in spoliationem et praedam,* ut spolientur ab hostibus et illis praedae sint, ita ut nil illis profuerit ipsorum consilium ad hoc vitandum. Sensus eodem redit; sed *praeda* est alias שָׁלָל. Hebraei, ut prius hemistichium posteriori accuratius respondeat, שׁוֹלָל fere *spoliatos* mente, judicio ac mente privatos exponunt, quomodo et *spoliandi* verbum sumendum volunt Ps. 76, 6. אֲשְׁתּוֹלְלוּ אַבִּירֵי לֵב *spoliati sunt fortes corde,* q. d. privati animo et consilio. Idem Hieronymus sequutus, qui *abducit consiliarios in stultum finem* reddidit. Et Syrus: *ducit reges in stultitiam.* Sed שׁוֹלָל pro *mente privato* plane arbitrario sumitur, nec verbum Psalmorum loco memorato tali significatione capere necesse est. Apte praeterea dicitur: *spoliatum,* vel *in praedam factum abducere* aliquem, sed minus commode: *stultum abducere.* Bene autem hemistichia sibi invicem respondent, sensum si spectes. Nam in priori hemistichio dicitur, Deum potentia sua efficere, ut illi, qui victoriam sibi solertissimis suis consiliis promittebant, a successu caderent, ad quem suas cogitationes et machinas intenderant, victi et spoliati abducti. Huic igitur sententiae, frustrationem consilii exprimenti, jam apte subjungitur: וְשֹׁפְטִים יְהוֹלָל *et judices ad insaniam adigit,* rectores, qui jus dicunt, et penes quos sunt rerum gubernacula, stultos facit, et mente captos, infatuat.

18. מוּסַר מְלָכִים פִּתֵּחַ *Coërcitionem regum solvit,* auctoritatem et imperium illis adimit. מוּסָר non est *jugum tyrannicum,*

Digitized by Google

quod subditi executiant, sed *disciplina vinciens*, et optimis legibus continens atque coërcens subjectos. Verbum פָּתַח de *dissoluta* et *disjecta potestate* et dicitur infra 30, 11. וַיְאַסֵּר אֵזוֹר בְּמָתְנֵיהֶם *Et obligat cingulum in lumbis eorum, cingulum* intellige *funem*, ut Hieronymus vertit, i. e. conjicit eos in vincula. Alii contrario sensu capiunt: accingit eorum renes cingulo, i. e. eos confirmat in regno et roborat, coll. Ps. 93, 1. עֹז הִתְאַזָּר *robur, quo accinxit se.* Sed usus verbi אָסַר de *vinculis*, aut *molesta ligatione* intelligendum suadet, cf. Gen. 42, 24. Jud. 15, 13. al. Imperium regibus adimit, et eorum lumbos fune constringit, ut captivi sint, et in vinculis detineantur. In vocibus אֵזוֹר, מוּסָר, יְאַסֵּר, observa paronomasiam Hebraeis elegantem.

19. מוֹלִיךְ כֹּהֲנִים שׁוֹלָל *Abducit sacerdotes spoliatos*, in praedam factos, ut nihil illis sua celsitudo profuerit, quo minus praedae sint. Tres magnatum gradus tribus hisce Versibus afferuntur diversi, primum consiliarii et judices, tum reges, postremo sacerdotes. Hieronymus: *ducit sacerdotes inglorios.* Chaldaeus: h. l. רַבְרְבָנַיָּא *magnates* vertit. אֵיתָנִים *Validos, fortes*, Hieronymus haud male *optimates* reddidit. Intelligendi potentes et bellicosi principes, fortitudine sua et robore freti. Et hos tamen Dei potentia יְסַלֵּף *evertit*, ut nihil illis fortitudo et robur prosint, quo minus vincantur. Nomini אֵיתָן non solum inest *perennitatis* notio (coll. arab. وتن), verum etiam *firmitatis* (vid. Mich. 6, 2.), et *roboris* (ut Gen. 49, 24.), quae significationes a priore illa sunt derivatae, aut certe cognatae. Ita Chaldaei Jer. 5, 15. גּוֹי אֵיתָן *populus validus* vocantur, quem ipsum significatum et h. l. veteres omnes expresserunt.

20. מֵסִיר שְׂפָה לָנֶאֱמָנִים *Aufert labium*, sermonem, dicendi facultatem, *fidis*, s. *iis*, *quibus creditur*, i. e. fide digni habentur, qui, quaecunque dicunt, fidem inveniunt, adeo persuadere hominibus eloquentia sua et auctoritate possunt. Saepe נֶאֱמָן significat eum, qui fidus habetur, cui aliquid concreditur, 1 Sam. 3, 20. Num. 12, 7., hinc, quorum consilium ob facundiam certum est, et ab omnibus recipitur. Alii sumto Niphal reciproce: *qui sibi ipsis fidem faciunt*, i. e. sibi confidunt. Hieronymus: *commutans labium veracium*, i. e. efficit, ut veridici antea et fideles falsa plurima, aut a sano sensu vacua fundant. וְטַעַם זְקֵנִים יָקַח *Et sensum*, judicium ac rationem (ut Ps. 119, 66. Jon. 3, 7.) *senum*, qui prudentia valere solent, *tollit*, cum vult, ut ubi erant sapientissimi, jam omni prudentia et judicio careant, ac fatua et perniciosa dent consilia.

21. שׁוֹפֵךְ בּוּז עַל־נְדִיבִים *Effundit ignominiam super principes*, nobilibus et honoratis contemtum adspergit. נְדִיבִים sunt alii a superioribus, proprie *munifici*, qui sua munificentia et liberalitate inclarescunt, hinc in universum, *nobiles*, *principes* viri. Ceterum prius hoc hujus Versus hemistichium una cum

Digitized by Google

posteriori hemistichio Versus penultimi hujus Capitis in eundem Versum compacta reperiuntur Ps. 107, 40. וּמְזִיחַ אֲפִיקִים רִפָּה *Et zonam robustiorum remittit*, laxat, i. e. eos enervat, et ad resistendum hostibus inhabiles reddit. Orientales enim promissis utentes vestibus, praecincti expeditiores ad pugnam sunt et res omnes; quibus autem laxa zona est, et vestes pendentes, ad opus faciendum minus apti et faciles. Bene Chaldaeus: *et fortitudinem regum infirmat.* מְזִיחַ *zonam* significare, etsi etymon ignoremus, certum tamen est ex cognato מֵזַח Ps. 109, 19. Jes. 23, 10. אֲפִיקִים alias, ut Ps. 18, 16. Jes. 8, 7., *alveos* denotat, tum ipsam aquarum vim, in illis decurrentem, *torrentes* summo impetu fluentes, hinc et homines, qui magno impetu irruunt, *robustos*, validos, unde הִתְאַפֵּק *corroborare sese*, animum sumere, 1 Sam. 13, 12.

22. מְגַלֶּה — צַלְמָוֶת *Qui retegit profunda e tenebris*, quibus involuta erat, *et producit in lucem umbram mortis*, caliginem densissimam. Abstrusissima quaeque, et in locis profundis velut in tenebris posita, quae numquam putassent aut sperassent homines conspicua futura, ea eruit et hominum oculis subjicit. Quod alii ad prophetias, quas praedicunt Prophetae, Dei consilia occulta pandentes, alii ad regum consilia, quae licet occulta maxime, aliquando patefiunt, alii ad conjurationes eorum, qui inter se conspirarunt, quae etsi putarentur maximae arcanae, innotescunt tamen, alii alio referunt. Sed generali sensu accipiendum, abstrusissima quaeque in lucem a Deo proferri posse sapientia sua et robore.

23. מַשְׁגִּיא לַגּוֹיִם וַיְאַבְּדֵם *Qui crescere facit gentes* (ל est Accusativi nota, Syriaco more, ut 8, 8.); sive, *incrementa dat gentibus, et* rursum *perdit eas*, quas multiplicarat et magnificarat; vel: has quidem, ubi vult, auget ac propagat gentes, alias rursum perdit, quum vult, et quas vult. שֹׁטֵחַ לַגּוֹיִם וַיְנַחֵם *Expandit gentes*, dispergit eas, sedibus suis ejectas, et rursus *ducit eas* ad quietas sedes. Vulgatus: *et subversas eas restituit* in integrum. Alii: *extendit*, i. e. expandit super faciem terrae, ac multiplicat et propagat *gentes, et* rursum *abducit eas* in exitium, vel, in exsilium, ut 2 Reg. 18, 11. Sunt quoque, qui שָׁטַח *expandere* sumant pro *diffundere*, cum excursiones faciunt et fines dilatant, cui oppositum sit וַיְנַחֵם *reducit eas* postea et arctat unum in locum, earum impetum compescens et sedans, reducit in suos fines et constringit.

24. מְסִיר לֵב רָאשֵׁי עַם־הָאָרֶץ *Adimit cor*, mentem, sapientiam (Vs. 3.) *capitum*, ducum, principum (Deut. 33, 5, 21.) *populi terrae*, ut judicio privati, et sapientia solita, qua feliciter populum regebant, jam et se et populum in exitium adducant. Hoc est, quod subjungit, וַיַּתְעֵם בְּתֹהוּ לֹא־דָרֶךְ *et errare eos facit per vastitatem sine via*, ubi non est via, per desertum

Digitized by Google

invium, ubi nulla agnoscitur via, quae in urbem aliquam aut locum habitatum ducat. Mente jam destituti vias et rationes ineunt incommodas et perniciosas, quae et se, et populum sibi subditum in exitium adducant, ut velut in invia utrique adducantur. Cf. similem figuram Jes. 40, 23.

25. וַיְמַשְּׁשׁוּ־חֹשֶׁךְ וְלֹא־אוֹר *Palpant tenebras et non lucem*, ut in summis tenebris versentur, et mentis ac consilii inopia, sine ulla luce, ut rectam rationem, qua tanquam luce dirigantur, inire nequeant. Postremo, וַיָּתַעֵם כַּשִּׁכּוֹר *et errare eos facit sicut ebrium*, eleganti similitudine mentis eorum inopiam et vertiginem indicat, ut nesciant, quo eant, vel quid agant. Cf. Jes. 19, 14. 24, 20. 29, 9. 10.

Cap. 13, 1. הֵן כֹּל — וַתֶּבֶן לָהּ *Et! omne* hoc, quod de Dei sapientia, potentia, et providentia dixi, *vidit oculus meus, audivit auris mea, et intellexit*, percepit *illud*. Haec non aliunde, sed a me ipso experientia et longo eorum usu edoctus cognovi.

2. מְכֶם — כְּדַעְתְּכֶם *Secundum scire vestrum scio et ego*, quantum vos scitis de divina potentia et sapientia, et ego scio, *nec cadens* sum *ego prae vobis*, non cedo vobis, non sum inferior vobis in hac cognitione. Cf. supra 12, 3.

3. Post expositam Dei sapientiam et potentiam pluribus verbis et magnificentius, quam fecissent sotii, quodque omnia illa probe nosset, et aeque ac illi intelligeret Jobus, aggreditur ad refutanda eorum dicta et rationem, qua secum agebant. Proponit autem initio, se velle non cum ipsis, sed coram Deo agere et disputare, quod ipsi sint mendaciorum consarcinatores, et falsis rationibus secum agant, Deus autem sit verax, nec secum acturus nisi veris rationibus. Prima verba, אוּלָם אֲנִי אֶל־שַׁדַּי אֲדַבֵּר *enimvero ego ad Omnipotentem loqui velim*, adversus Zopharum sunt directa, qui supra 11, 5. dixerat: *atque utinam Deus loqueretur!* Q. d. id non refugiam, quod dixisti, sane cum eo disputationem instituere pervelim. וְהוֹכֵחַ אֶל־אֵל אֶחְפָּץ *Et disceptare*, demonstrationibus vera evincere *ad Deum cupio.*

4. וְאוּלָם אַתֶּם טֹפְלֵי־שָׁקֶר *At vero vos* estis *concinnatores mendacii.* Hieronymus bene *fabricatores mendacii* vertit, nam טָפַל proprie esse *elaborare, concinnare*, studio atque arte, cognoscitur ex ejusdem verbi usu apud Arabes. Ac de mendaciorum fabricatione, ut hic, reperitur quoque Ps. 119, 69. *Concinnatores falsitatis*, s. *mendacii* vocat socios, quod, dum justitiam Dei defenderent, et gloriam, quam praetexebant, tuerentur, Jobum accusarent, et pro injusto ac impio haberent: ex eo, quod Deus justus sit, et non nisi juste puniat et affligat, colligentes juste affligi Jobum, ac ideo impium esse. Porro illos vocat רֹפְאֵי אֱלִיל, *medicos nihili*, i. e. inutiles (ut Zach. 11, 17. רֹעִי הָאֱלִיל *pastor*

Digitized by Google

nihili, est pastor inutilis), vanos, quod, quum ad consolandum Jobum venissent, pro eo, quod ejus dolorem sedare et mitigare debuerant, eum potius iniquis suis suspicionibus, falsisque criminationibus augebant magis atque exasperabant. Hieronymus nomen אֱלִיל cepit *falsitatis*, vanitatis, notione, cui nil veri et solidi insit, vertitque: *et cultores perversorum dogmatum.*

5. מִי־יִתֵּן — לַחְכְמָה *Quis dabit?* i. e. utinam (ut 11, 5.) *tacendo taceretis! et foret id vobis in sapientiam.* Utinam prorsus taceretis! Sapientes potius haberemini tacendo, quam tam falsa et inepta proloquendo. Sententia proverbialis est Prov. 17, 28. *Etiam stultus tacens sapiens habetur*, quia tacendo saltem stultitiam suam non prodit.

6. שִׁמְעוּ־נָא — הַקְשִׁיבוּ *Audite, quaeso, demonstrationem meam, et contentionem labiorum meorum attendite. Contentiones labiorum suorum* vocat sermonem, quem deinceps proferre animus ipsi est, propterea quod socios instituit objurgare et accusare, quod pro Deo loquantur iniquum, et personarum respectu utantur, Vs. 7. 8. רִיב *lis*, et Ex. 23, 2. sine Jod scriptum reperitur. In quibusdam libris exstat רִבוֹת, cum Dagesch, elisi Jod compensandi causa additum; sed in emendatioribus exemplaribus sine Dagesch scribitur.

7. הֲלָאֵל תְּדַבְּרוּ עַוְלָה *Numquid pro Deo loquemini perversitatem?* i. e. perversum, iniquum, וְלוֹ תְּדַבְּרוּ רְמִיָּה *et pro eo loquemini fraudem?* fraudulenta, dum scilicet, ut ejus defendatis justitiam, me accusatis ut impium? Itane Dei causa agenda, ut ejus gratia mihi sitis iniqui? Deus hac vestra defensione non indiget, neque ita se defendi postulat cum alterius detrimento, ut ei fiat injuria. רְמִיָּה *Doli*, fraudis, socios insimulat, quod quum illi ante actae vitae suae innocentiam nossent, ita nunc specie honoris et justitiae divinae ipsum pronunciarent ex miseriis Deo invisum et impium. Lamed in הֲלָאֵל et לוֹ significat בַּעֲבוּר *pro, in gratiam*, ut Judic. 6, 31. הַאַתֶּם תְּרִיבוּן לַבַּעַל *vultisne pro Baale litigare?*

8. הֲתַנְיוּ תִּשָּׂאוּן *Num vultum*, i. e. personam *ejus accipietis? Faciem accipere* est: non *causam*, sed *personam* respicere, ut iniqui solent judices, qui contra innocentem pronunciant pro eo, qui et quia potentior et honoratior est. Num, inquit, Deo gratificari studetis, quasi eo ille opus habeat, ut hominum more in judicio favor ei exhibeatur, neglecto jure, ut fit? Non talis est Deus. Veris et solidis rationibus se defendi vult, non favore; ut in ejus gratiam me opprimatis et damnetis, ut ejus justitiam astruatis. אִם־לָאֵל תְּרִיבוּן *Num pro Deo contendetis*, ejus causam agetis (cf. not. ad Vers. praeced.)? Estne par vos ejus causam agere? Minime vero; ipse se satis defendet; nihil necesse est ei patroni sitis.

Digitized by Google

9. הֲטוֹב כִּי־יַחְקֹר אֶתְכֶם *Num bonum* sc. vobis erit, num prodierit, *si perscrutaverit vos?* Non bene vobis cedet, si factum vestrum discusserit. אִם־כְּהָתֵל בֶּאֱנוֹשׁ תְּהָתֵלּוּ בוֹ *Num sicut illuditur homini, illudetis ei?* Putatis fore, ut ei os oblinatis, et verba detis, ut homo solet homini, cum amico favens ejus causam, etsi iniquam, defendit jure neglecto? Non ita eum circumvenietis. Illuditur quasi Deo, dum causa ejus falso agitur.

10. הוֹכֵחַ יוֹכִיחַ אֶתְכֶם *Arguendo arguet vos*, severe et graviter vos increpabit et in vos animadvertet, אִם־בַּסֵּתֶר פָּנִים תִּשָּׂאוּן *si in occulto faciem susceperitis*, si occulte ejus personae rationem habueritis, quod vos hoc facere dicatis in ejus honorem, quum interea apud vos sciatis me innocentem esse. Ideo dicit *in occulto*, quia contra conscientiam Jobum quum scirent innocentem, impium tamen pronunciabant ex malis sibi inflictis, ut Dei justitiam defenderent, quia ille injuste non affligat; aliud extrinsecus ostendentes, aliud vero habentes in pectore. Ceterum quod poeta Jobo haec verba tribuit: *redarguet vos Deus*, occulte videtur respicere totius negotii exitum. Nam tandem Deus adversus socios pro Jobo sententiam tulit, voluitque Jobum pro illis sacrificia offerre, quod non recta essent loquuti ut Jobus, 42, 8. Cf. not. supra ad 8, 7.

11. הֲלֹא — עֲלֵיכֶם *Annon elatio*, celsitudo, majestas *ejus terret*, terrere debet *vos? et pavor ejus cadit super vos?* Non sunt verba *monentis*, quasi dicat: majestas Dei vos debebat terrere, quo minus ita temere de eo loqueremini; sed *accusantis* potius praepostere territos metu eminentiae Dei. Nonne vos, inquit, stupido quodam et inconsiderato timore timetis Dei excellentiam et majestatem, et terror quidam major, quam qui decet, vos invadit? ut non audeatis in causa, quae Deum etiam attingit, sobrie judicare, et me innocentem pronunciare; quasi statim is, cui cum Deo res est, pronunciandus sit impius?

12. Qui Versu superiore adhortationem existimant contineri ad pertimescendam Dei majestatem, quae socios ab inani ac temera loquacitate retinere debeat, hunc Versum capiunt pro antithesi, qua velit Jobus socios deprimere et abjectos ostendere prae Deo, cujus majestatem dixerat oportuisse illos revereri: ille sublimis est tremenda majestate, vos viles, contemti, et in cinerem redigendi. Hi igitur locum interpretantur hoc modo: *memoriae vestri* sunt *comparationes cineri*, i. e. comparantur cineri: quicquid in vobis memorabile est, ut opes, dignitas, potentia et splendor, nomen denique ac fama vestra, nihil est aliud, quam cinis, omnia vana et inania. In posteriore hemistichio vero גַּבִּים *dorsa* intelligunt de *corporibus*, ut sensus sit: corpora vestra argillacea et lutea sunt, ut supra 4, 19. Eliphasus homines dixerat habitare *domos luteas*. Eo sensu jam Hieronymus hunc Versum cepit,

Digitized by Google

quem sic vertit: *memoria vestra comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices vestrae.* Sed quum in toto, qui praecessit, sermone Jobus futilitatem eorum, quae a sociis prolata essent, carpserit, et in Versu antecedente objurgarit illos, quod stupido quodam et inconsiderato Dei timore perculsi, ipsum ut sontem damnarent; malo illis accedere, qui זִכְרֹנֵיכֶם active exponunt: *quae memoratis*, i. e. ratiocinia et argumenta vestra, מִשְׁלֵי־אֵפֶר vero, quod aliqui *similitudines cineris* reddunt, videntur rectius *sententiae cineris*, s. cinereae, i. e. levissimae, futilissimae, interpretandae. In altero hemistichio גַּבֵּיכֶם *dorsa* A. Schultens recte monet accipienda esse figurate pro *praesidiis, propugnaculis*, ut synonymum מֹהַר saepe apud Arabes. Sic Haririus in Consessu IX.: *ut corroboretur dorsum ejus in litigando*, i. e. ut habeat validum praesidium et robur. Hinc erit figurae h. l. usurpatae sensus hic: argumenta vestra, quibus me impugnatis, plane sunt infirma, similia propugnaculis lutosis seu argillaceis, quae facillime corruunt.

13. הַחֲרִישׁוּ מִמֶּנִּי וַאֲדַבֵּרָה־אֲנִי *Silete a me*, me sinite (constructio praegnans, pro הַחֲרִישׁוּ וְתִחְדַּל מִמֶּנִּי, cf. supra 7, 16. 1 Sam. 7, 8. Jer. 38, 27.), *et*, ut *loquar ego*, sinite me solum loqui. Quia vestra dicta nihil prosunt, nec quicquam consolationis afferunt. וְיַעֲבֹר עָלַי מָה *Et transeat super me quid*, quicquid, i. e. quicquid mihi evenerit hucusque, et evenire possit deinceps, quicquid tandem mihi accidat, decrevi cum Deo agere veraci et justo, ei meam causam exponere, apud ipsum animum meum, et querelam omnem effundere. מָה *quid* recte notat Kimchi absolute hic dici, בְּהֶסְתֵּר דָּבָר *cum ellipsi verbi*, q. d. transeat super me מַה שֶּׁיַּעֲבֹר *id quod transeat*, eveniat mihi quidvis, nec curo, quid mihi sit eventurum, dum loqui liceat. Eodem modo מָה usurpatum reperitur 2 Sam. 18, 23., ubi Ahimas, filius Sadoki, quum a Joabo revocaretur, ne mortem Absalomi Davidi renunciaret, quod non gratus nuncius esset venturus, *Atqui*, inquit, וְיִהִי־מָה אָרוּץ *et si quid*, i. e. quicquid fuerit, quisquis futurus sit successus, *curram*, ut hunc afferam nuncium. Minus recte nostra verba Hieronymus vertit: *ut loquar quodcunque mihi mens suggesserit.*

14. עַל־מָה nec est *quare?* nec *quam ob rem* vertendum, sed, ut recte monuit A. Schultens, non alio modo sumendum, quam Versu, qui proxime praecessit, *super quicquid fuerit*, i. e. nulla ratione habita gravissimorum periculorum. Gemina phrasis, אֶשָּׂא בְשִׁנַּי בְּשָׂרִי *feram* s. tollam *carnem meam in dentibus meis*, et נַפְשִׁי אָשִׂים בְּכַפָּי *animam meam ponam in manibus meis*, infert *audaciam animosissimam*, et projectam veluti ad quaevis pericula. Sic 1 Sam. 28, 21. *Posui animam meam in manibus meis* est praesentissimo vitae periculo me exposui et objeci. Quod enim in manibus ponitur, haud satis tutum est, cum auferri,

Digitized by Google

excidere et elabi possit. Cf. not. ad Ps. 119, 109., ubi eadem loquendi formula. ATHENAEUS *Deipnos.* L. XIII. p. 569. C. adducit Xenarchi Versus ex ejus *Pentathlo*, ubi eadem formula: *Ἀεὶ δὲ τετρεμαίνοντα καὶ φοβούμενον, Δεδιότα, ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχοντα. Trementem jugiter, plenum formidine, semper paventem, animamque gestantem in manu.*

15. הֵן־יִקְטְלֵנִי לֹא אֲיַחֵל *En, occidet me, non sperabo*, i. e. etsi occiderit me, nihilque mihi supersit spei, etiamsi actum sit de me, אַךְ־דְּרָכַי אֶל־פָּנָיו אוֹכִיחַ *attamen*, nihilominus, *vias meas*, rationes meas, *in faciem ejus arguam*, rationes et causam meam apud illum agam, proferam in medium, quae ad innocentiam meam pertinent, et jus tuendum. In priori hemistichio pro לֹא Masorethae jubent legi לוֹ, ut sensus sit: *etsi occiderit me*, tamen *in eum sperabo*, scil. innocentem me ostensurum. Idem expressum a veteribus omnibus. Nec negandum, hunc sensum priori Versus proximi hemistichio melius convenire, eo sensu, quo id vulgo capitur. Et possit ipsum illud לֹא mera scriptionis varietate, ex antiquitus usitato לוֹא orta, pro לוֹ capi. Cf. not. ad Lev. 11, 21. Ps. 100, 3. 139, 16. Praefero tamen sensum superius indicatum; nam verba hanc vim habent: ita jam exhaustae mihi vires corporis, ut propinqua mors immineat; quod igitur in hac vita sperem, nihil amplius superest; at vitae integritatem meae ne sic quidem vereor supremo ipsi probare judici.

16. Prius hemistichium, גַּם־הוּא־לִי לִישׁוּעָה, plerique sic intelligunt: *etiam ipse est mihi in salutem*, i. e. nec diffido de mea causa apud illum agenda, quia et in hoc tam acerbo dolore me non deserit, sed etiamnum tuetur ac servat. Non satis apte ad hanc seriem. Sed הוּא neutraliter *illud* vertendum est (quod jam praeivit Alexandrinus: *καὶ τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν*), sensus vero est hic: illud, quod libere et sine metu rationes et causam suam coram Deo sum acturus (id quod se facturum velle Versu antecedente dixerat), *saluti* mihi erit; ut igitur יְשׁוּעָה non de *liberatione a miseriis*, sed de *victoria in disceptatione cum amicis reportanda*, sit intelligendum. Quasi diceret: certissime vincam et causam obtinebo provocando ad perspicacissimum hominis scrutatorem, qui sinceram pietatem ut a fucata secernit, sic et testimonio suo comprobabit. Unde subdit: כִּי־לֹא־לְפָנָיו חָנֵף יָבוֹא *Neque enim in conspectum ejus venit profanus*, impius, i. e. hoc satis superque meam innocentiam arguit, quod audeo coram eo comparere, et meam offerre apud illum causam agendam, quod non facerem, si occulte impius essem, qualem vos me esse suspicionem fovetis. Tales enim, si eorum facta discutiantur, et si coram judice sit comparendum, prodire non ausint, conscientiae redarguentis testimonio oppressi. Confirmatur nostra hujus Versus interpretatio mox Versu 18., ubi eadem fere sententia.

Digitized by Google

17. שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ מִלָּתִי *Audite audiendo*, i. e. attente *sermonem meum*, וְאַחֲוָתִי בְּאָזְנֵיכֶם *et indicatio*, narratio, demonstratio *mea in auribus vestris* sc. תְּהִי *sit;* auribus percipite ea, quae vobis sum expositurus. Verbum תָּוָה *indicavit*, Syriacum magis est, nec nisi in hoc libro et Ps. 19, 3. reperitur.

18. אָצָאתִי — הִנֵּה־נָא *Ecce, quaeso! disposui*, instruxi *judicium meum; scio, quod ego justus ero.* Instruo jam judicium, et cum Deo pedem propius confero, nam scio, quod justus reperiar ab ipso Deo.

19. מִי־הוּא יָרִיב עִמָּדִי *Quis est* scil. זֶה אֲשֶׁר *ille, qui litigabit mecum?* Nemo est, qui me in causa convincere possit, ita inculpate coram Deo hominibusque vixi. Verba sunt confidentis de sua innocentia, quam apud omnes homines sit probaturus. רִיב h. l. est *reum agere*, et quidem ex vero crimine. Posterius hemistichium, כִּי־עַתָּה אַחֲרִישׁ וְאֶגְוַע *nam nunc tacebo et exspirabo*, quidam hoc sensu capiunt: brevis mihi vita superest, jamjam tacebo et exspirabo, nec tum mecum agendi tempus fuerit, prodeat igitur jam, si quis vult mecum judicio experiri, priusquam hinc excedam. Alii volunt esse desperationis vocem: quum nemo sit, qui me arguere vitae meae queat, mirum est, quod nunc tacere et exspirare cogor prae afflictione; jam nihil mihi mea prodest innocentia, in qua ita mecum misere agitur. Sed recte monuit A. Schultens, כִּי־עַתָּה h. l. *sane nunc* esse, ut supra 8, 6., sensumque totius Versus esse hunc: *Quis ille, qui mecum contendat*, veri criminis nomine? *Sane nunc obmutescam, et exspirabo.* Si quis sit, qui me reum agere possit, ab hoc ipso momento memet tradam silentio, in eoque abjecta defensione mei exspirabo.

20. Jam cum Deo disceptaturus, duo a se illum amovere vult, quae sibi disceptaturo obstare possint, ne libere et intrepide causam agat: plagam, quam sibi infligit, ac velut os suum obturat, dum se indicta causa damnat, et ita affligit; et majestatem, qua, si secum in judicium veniat, eum consternat, et ita perterrefaciat, ut suas non audeat rationes eloqui, ut potentia litigatoris saepe alterum litigatorem opprimit. אַךְ־שְׁתַּיִם אַל־תַּעַשׂ עִמָּדִי *Verum duo*, s. tantum duo *ne mecum facias*, a duobus tantum peto, ut in hac actione causae abstineas, in quae si consenseris, אָז מִפָּנֶיךָ לֹא אֶסָּתֵר *tunc a facie tua non abscondar*, i. e. non timebo ad te loqui, intrepide coram te comparebo, et causam meam agam. Sic supra 9, 34. eadem haec duo a se volebat removere Deum, tunc se loquuturum, nec formidaturum.

21. כַּפְּךָ מֵעָלָי — אַל־תְּבַעֲתַנִי *Manum tuam a me procul esse fac*, remove, *et formido tua ne terreat me.* כַּף *manus*, pro plaga, ut Ex. 9, 3. supra 9, 34., cf. Ps. 32, 4.

22. וְקָרָא *Et voca* me scilicet in jus; tunc, ubi haec removeris, utrumvis age, appella causam, prior age, וְאָנֹכִי אֶעֱנֶה *et*

Digitized by Google

ego respondebo; אוֹ אֲדַבֵּר וְתָשִׁיבֵנִי *vel loquar ego, et responde mihi tu.* Optionem ei dat, ut aut actoris, aut rei personam deligat, sua fretus innocentia, qua quia se superiorem scit non condemnandum, interim sui oblitus immodico fervore in defensionem sui se abripi patitur.

23. הוֹדִיעֵנִי — כַּמָּה לִּי *Quotnam mihi* sunt *iniquitates et peccata? delictum meum et peccatum meum notum mihi fac.* „Actoris personam suscipit Jobus, Deum rogans, quaenam ergo sint crimina illa, ob quae tam atrocem in modum plectatur. Huc spectat ille catalogus delictorum, quem sibi, tanquam in libello, consignari et insinuari petit. Non sine commotione et ironia quadam ponitur τὸ כַּמָּה *quotnam?* quasi diceret: enimvero ingens debet esse catalogus ille, qui tot tantasque plagas in caput meum e coelo devocavit, quum tamen nullius gravioris criminis mihi conscius sim.“ A. Schultens.

24. לָמָּה־פָנֶיךָ תַסְתִּיר *Cur vultum tuum abscondis?* iratorum more, qui eos, quibus succensent, aspicere dedignantur, favorem tuum subtrahis (cf. Ps. 13, 2. 102, 3.), tamdiu me, et tam atrociter affligens, nec ullum finem modumve mei affligendi faciens? וַתַּחְשְׁבֵנִי לְאוֹיֵב לָךְ *Et reputas*, habes *me in hostem tibi?* videris me pro hoste aut inimico habere, quem impetas, et tantis malis crucies, ut et supra 7, 20. dixerat, *ponis me in occursum*, et velut scopum *tibi*, in quem tela conjicias.

25. הֶעָלֶה נִדָּף תַּעֲרוֹץ *An folium propulsum*, scil. vento *concuties*, s. *exagitabis?* Bene Hieronymus: *adversus folium, quod vento rapitur, potentiam tuam ostendis.* וְאֶת־קַשׁ יָבֵשׁ תִּרְדֹּף *Et stipulam aridam insectaris?* Se comparat folio, quod vento impellitur, et huc illuc agitatur, item stipulae siccae, qua vix quid levius, quo utroque simili summam levitatem, fragilitatem et infirmitatem ostendit, et ex adverso Dei potentiam, quae vento rapido comparetur. In rene tam fragili, et adversum tam contemtam, quam sum ego, tuam exercere placet potentiam? Hoccine decet majestatem tuam, aut gloriosum tibi erit?

26. כִּי־תִכְתֹּב עָלַי מְרֹרוֹת *Quod scribis* s. ut scribas *adversum me* (ut עָלַי infra 16, 10. 13. 14. 19, 5.) *amara*, i. e. acerbissima supplicia, et gravissimos dolores. *Scribendi* verbum h. l. judiciale est, ut Ps. 149, 9. Jerem. 22, 30. et sicuti Graeci dicunt γράφεσθαι δίκην, quum judex reo sententiam latam perscribit, aut perscribendum curat. Et Arabibus كتاب *scriptum* pro *sententia judiciali* usitatum. וְתוֹרִישֵׁנִי עֲוֹנוֹת נְעוּרָי *Et hereditare me facis delicta juventutis meae*, efficis, ut velut ad me jure hereditario devolvantur quaecunque unquam a me sunt commissa, vel jam inde a pueritia, quae alias imputare non soles (cf. Ps. 25, 7.), ea nunc in memoriam revocas, et adjudicas, ut nunc propter ea simul cumulata puniar ita graviter. עֲוֹנוֹת non

Digitized by Google

delicta tantum; sed etiam eorum *poenas* notat, ut Gen. 19, 15. Ps. 31, 11. 32, 5. Prov. 5, 22. Thr. 4, 22. Illa dicit Deum sibi *hereditare facere*, quasi quod habuerat jam inde a puero, nunc sibi invito adjudicetur tanquam hereditarium onus, quod ferre cogatur; q. d. facis mihi poenas peccatorum infantiae obtingere quasi hereditatem durabilem et perpetuam.

27. וְתָשֵׂם בַּסַּד רַגְלַי *Et ponis in cippo pedes meos*, ita me constrictum his velut vinculis dolorum tenes, quasi in nervum, cippum aut compedem arctum conjecti essent pedes mei, unde non possim evadere, aut pedes huc illuc movere. Sic et supra 7, 12. dixerat, se maris aut ceti more intra custodiam et repagula constringi et contineri. סַד *Nervus*, *numella*, ut Syriac. סַדָּא, quod in Syriaca vers. Act. 16, 24. pro ξύλον ponitur. Alterum hemistichium, וְתִשְׁמוֹר כָּל־אָרְחֹתָי *et custodis omnes semitas meas*, non de *observatione gressuum* capiendum, ut Aben-Esra vult, quasi sensus sit: observas quot gressus faciam, et accuratissime annotas singula, in quibus peccem; sed, continuata allegoria, de *custodia per obices et vincula*, ut מְשַׁמֵּר loco modo laudato 7, 12. Custodia rigidiore omnes exitus meos tenes obsessos et obstructos, ne ullo pacto ex his infinitis miseriis elabi detur. Lucem huic figurae adfundit Thr. 3, 5. 6. 7. 10. עַל־שָׁרְשֵׁי רַגְלַי תְּחֻקֹּת *Circa radices*, plantas, *pedum meorum circumscribis*, i. e. vetas me progredi extra certum ambitum, quem mihi designasti, vel quo me conclusisti. Pedibus meis nervo, s. foramini cippi insertis, arctor et constringor; miseriis prorsus sum cinctus et coarctatus, ut nequeam de loco me movere. Verbum חָקָה cum cognato verbo geminatae secundae radicalis חָקַק communem habere *sculpendi*, *designandi* significationem, patet ex locis Ez. 8, 10. 23, 14. Particula עַל h. l. *circa*, *circum* notat, ut saepius, veluti 1 Sam. 25, 16. *Instar* חוֹמָה הָיוּ עָלֵינוּ *muri erant circa nos.* Vid. et Ez. 13, 5. et infra 19, 6.

28. וְהוּא כְּרָקָב יִבְלֶה *Et ipse* sc. ego sum, qui *tanquam putredo*, rei putrescentis more, *veterascit*, i. e. vetustate deficit et absumitur. De verbo בָּלָה vid. not. ad Ps. 32, 3. הוּא *Ipse*, pro וְאָנִי־הוּא אֲשֶׁר, ut 1 Chr. 21, 17. Recte Hieronymus hunc Versum vertit: *Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea*, propr. *vestis*, quem *comedit tinea*; subaudito ante אָכְלוֹ pronomine relativo אֲשֶׁר, ut Jerem. 50, 17. coll. Gen. 27, 27. Similem imaginem vid. supra 4, 19. infra 17, 14. Hos. 5, 12.

Cap. 14, 1. A querimonia, qua Caput superius finitur, jam latius excurrit in descriptionem conditionis miserae et aerumnosae humanae naturae, unde postulat, ut, quum tam brevis sit hominis vita, et ita aerumnosa, Deus eum suaviter hic vivere sinat, dum aevi sui cursum peregerit. אָדָם יְלוּד אִשָּׁה *Homo natus mulieris*,

Digitized by Google

s. muliere, de infirmo videlicet stipite; ut infra 15, 14. 25, 4. Cf. *γεννητοὶ γυναικῶν* Matth. 11, 11. Luc. 7, 28. Nam miseram hominis conditionem hic ostendit omni ex parte, ab ortu, progressu et exitu. קְצַר יָמִים *Brevis dierum*, pauco vivens tempore, וְשֹׂבַע־רֹגֶז *et satiatus commotione*, perturbatione, vexatione, cf. not. supra ad 3, 17. Bene Hieronymus: *repletur multis miseriis.*

2. Fragilitatem hominis duabus appositis quam maxime similitudinibus describit, eam flori cito marcescenti, et umbrae praetereunti comparans. כְּצִיץ — יֵעָמוֹד *Sicut flos exit*, prodit e terra, nascitur, *et marcescit, fugitque sicut umbra, nec subsistit.* וַיִּמָּל Futur. verbi נָמַל significatione haud diversi a נָבַל (literis ב et מ, ejusdem organi, permutatis) s. נָבַל *emarcuit.* Alii *succidit* sc. succidens, i. e. succiditur, ut וַיִּמָּל sit Futuri forma chaldaizans verbi מָלַל = מוּל *succidere.* Eaedem comparationes Jes. 40, 6. Ps. 37, 2. 90, 6. 103, 15. 144, 4.

3. אַף־עַל־זֶה *Etiam super hunc*, cum stomacho et admiratione legendum, ut supra 7, 17. *Quid est homo, ut eum magnifacias?* Cf. not ad 7, 19. Quum vitae tam brevis et aerumnosae sit homo, itane super hunc talem, tam abjectum et miserum, super rem ita vilem et exiguam, פָּקַחְתָּ עֵינֶיךָ *aperis oculos tuos*, eum tanti ducis, ut in eum aspicias? Non tam in bonum hoc dicit, quam in malum, ut digneris observare, si quid peccarit, et pro commissis in eum animadvertere, ut altero hemistichio dicitur. Atqui tam vilis res hoc tuo adspectu et cura indigna est. Interim ab hominis abjectione et infirmitate Deum conatur ad miserendum flectere; sed non citra stomachum haec a Jobo prae impatientia sui oblito dicuntur. וְאֹתִי חֲבִיא בְמִשְׁפָּט עִמָּךְ *Et me*, qui sum talis homo fragilis et miser (transit a thesi ad hypothesin, ut contra supra 13, 28. ab hac ad illam), *in judicium adducis tecum?* ut mecum scilicet contendas, me ita puniens, et pro severitate tui judicii tam acerbe affligens. Cf. quoad phrasin supra 9, 2. 3. 32. Ps. 143, 2. Atqui ego, tam vilis et miser, indignus eram, in quem vel animadverteres.

4. מִי־יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא *Quis dabit purum ex immundo?* sc. homine natum? Hieronymus: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* לֹא אֶחָד *Non unus*, ne unus quidem hoc praestabit, ut mundus ex immundo nascatur. Haec affert, ut ex naturae suae imbecillitate et vitiositate Deum facilius pertrahat ad sibi veniam dandam, ne se ita graviter affligat. Quid, inquit, hominem punis ob peccata, ad quae suapte natura est proclivis, et quae ex vitiosa indole naturae suae, quam immundus sit origine, vitare non potest? Eadem fere ratione usus Davides Ps. 51, 7. Deum, severum judicem, ad ignoscendum flectere studet.

5. 6. אִם־חֲרוּצִים יָמָיו *Si decisi*, determinati (ut 1 Reg. 20, 40. Joel. 4, 14. Dan. 9, 26.) *dies ejus* scil. hominis Vs. 1.

Digitized by Google

collective dicti; si מִסְפַּר־חֳדָשָׁיו אִתָּךְ *numerus mensium ipsius penes te* sc. definitus (חָרוּץ), si, inquam, חָקָיו עָשִׂיתָ *determinationes ejus* (ut idem nomen infra 26, 3.) *fecisti*, terminos ei praescripsisti, et certum tempus, quo sit victurus, וְלֹא יַעֲבֹר *neque transibit*, quos non praetergrediatur, ut diutius vivat; si ita est, שְׁעֵה מֵעָלָיו *respice ab eo*, averte iratum vultum ab eo, ut supra 7, 19. Jes. 22, 4. וְיִחְדַּל *Et cesset*, i. e. desinat adfligi, s. cesset a labore et aerumnis. Hieronymus: *ut quiescat.* Alii: ut desinat esse ac vivere. Male, quum statim subjiciatur: עַד־יִרְצֶה כְשָׂכִיר יוֹמוֹ *donec desideret* s. acceptum habeat, *ut mercenarius diem suum* supremum, ut infra 15, 32. 1 Sam. 26, 10., i. e. donec pertaesus vitae, matura jam aetate, mortem tanquam requiem exoptet, sicut mercenarius avide vesperam et finem laboris exspectat, ut mercede accepta quietem possit fessus capere. Bene Hieronymus: *donec optata veniat, tanquam mercenarii, dies ejus.*

7. Adhuc Deum hortabatur ab humanae vitae brevitate et miseria, ut ejus ratione habita eum ne ita graviter affligeret, sed eum hoc brevissimo tempore frui sineret et defungi, cum aerumna comite sibi natura adjunctâ. Nunc et aliud adjungit, quo ad idem flectat Deum, et ostendat, debere eum toto vitae cursu hominem missum facere, ne affligat; quia ubi est mortuus, jam non sit in hanc vitam rediturus, ut spectare possit forsan meliorem suam tunc fore conditionem, etsi hic multa et varia sit perpessus. In quo docet pejorem esse conditionem hominis, quam arboris; huic enim, etsi paene emortuae, spem reliquam superesse reviviscendi, homini non item; ut scilicet spe futurae felicioris, aut non ita gravis et iniquae vitae, praesentia incommoda perferat et exantlet. כִּי *Quia.* Ratio ad totam Jobi mentem refertur, cur velit, Deum sinere hominem, ut rogarat: quia postquam vita hac brevi et misera est functus, ne mortuus quidem reviviscit, hoc ad ejus miseriam accedente. Nam יֵשׁ לָעֵץ תִּקְוָה אִם־יְמֹרַת *est arbori spes, etiamsi* enim *succisa fuerit*, quomodo idem verbum Deut. 20, 19. 20. Jud. 6, 26. usurpatur. וְעוֹד יַחֲלִיף *Iterum tamen nova germina emittit*, coll. arab. أَخْلَفَ, vid. not. ad Ps. 90, 5. וְיוֹנַקְתּוֹ לֹא תֶחְדָּל *Et*, s. *ita ut propago ejus non desinat*, quin succrescat denuo.

8. Attingit alium modum, quo arbor mortua et nihil habere spei reliquum videtur. אִם־יַזְקִין בָּאָרֶץ שָׁרְשׁוֹ *Etiamsi senuerit in terra radix ejus*, grandi senio paene confecta. וּבֶעָפָר יָמוּת גִּזְעוֹ *Et in pulvere*, humi, *mortuus fuerit truncus ejus*, ita ut nulla repullulandi spes restare videatur. גֵּזַע propr. est ea stipitis pars, quae, caesa arbore, in terra relinquitur, Jes. 11, 1. Hic tamen *truncum sine ramis* intelligi, patet ex Vs. 9., ubi denuo *ramos facere* dicitur hic stipes, cui vel prae senio sponte defluxerat, quicquid fuerat brachiorum et comae, vel saltem cui

Digitized by Google

rami jam intermortui a colono detruncentur, ut denuo fruticescat, si forte, et laetius quasi resurgat. Sunt, qui hanc imaginem speciatim applicandam censeant *lauro*, cujus, teste Plinio (*Hist. Nat.* L. XV. sect. 30.), *vivacissima est radix, ita ut si truncus inaruerit, recisa arbor mox laetius frutificet.*

9. מֵרֵיחַ מַיִם יַפְרִיחַ *Ab odore* tamen *aquae reflorescet*; ab *odore*, i. e. aura vel tenuiore aquarum, quam alicunde attrahet, aut sibi adflari sentiet. Sic *odor ignis* pro *adflatu contactuve exiliore* Jud. 16, 9. Dan. 3, 27. Et Arabes ריח vocant *omnem auram ex aliqua re emanantem* s. *exhalantem*. וְעָשָׂה קָצִיר כְּמוֹ־נָטַע *Et facit ramum*, ramos producit, *veluti planta* alia scilicet, vel, ut planta novella et recens. Alii נָטַע in accusativo vertunt: *sicut plantam*, i. e. ramos multos et laetos, quia prolixitate multas plantas exaequant. Ludov. de Dieu נָטַע pro verbo habet, et exponit: *quasi plantasset*, sc. אִישׁ *quis*, i. e. quasi plantata esset denuo. Quod jam Hieronymus expressit: *quasi cum primum plantatum est.* Rectius Alexandrinus: ὡς τὸ φύτον.

10. וְגֶבֶר יָמוּת וַיֶּחֱלָשׁ *Sed vir moritur, et stratus procumbit*, coll. arab. حلس *stravit, instravit, prostravit.* וַיִּגְוַע אָדָם וְאַיּוֹ *Et* quando *exspiravit homo*, *ubi* jam *est?* jam non exstat. Eadem similitudine a plantis desumta sortem hominis, qui cum semel interierit, ad vitam numquam redibit, queritur Moschus in *Epitaphio Bionis*, Vs. 63. sqq.:

Hei mihi, malva semel laeto si emarcuit horto,
Aut apium viride, aut flores crispantis anethi,
Vita redit cunctis venientem rursus in annum.
At nos qui sapimus, nos magni et viribus aucti,
Quum semel occidimus, surdi tellure cavata
Infinita gravi premimur per secula somno.

et Pedo Albinovanus *Eleg.* II. 113. *Redditur arboribus florens revirentibus aetas, Ergo non homini quod fuit ante redit?* Romani illas arbores mortis voluerunt esse symbolum, quae excisae non resurgunt, et ex quarum radicibus nulla succrescunt germina, quales sunt piceae et cupressus, quae aut in sepulchris conseri, aut ad mortuorum domos in foribus locari solebant. De cupresso docuit Servius ad illud Virgilii *Aeneid.* IV. 507. *Et fronde coronat funera. Romani*, inquit, *moris fuit, ut potissimum cupressus, quae excisa renasci non solet, in vestibulo mortui poneretur.*

11. Aliam similitudinem affert facientem ad idem. אָזְלוּ־מַיִם — וְיָבֵשׁ Quemadmodum (subaudito כַּאֲשֶׁר, ut 7, 3.) *obeunt aquae e mari, et fluvius siccatur et exarescit.* Ut lacus, vel fluvius, semel emissus dilapsis aquis perpetua siccitate exstinguitur et deletur plane, ne vestigio quidem aquarum manente; ita homo morte confectus et exstinctus, ne vixisse quidem agnoscitur, sed

Digitized by Google

tanquam in aquas evanuisse, vel in terram subsedisse videtur. Nomine יָם *mare* h. l. non est *oceanus* intelligendus, sed *lacus* s. stagnum. Bene Grotius: „*Mare* intellige *lacum*, quomodo *septem maria ad Padum* dicta Latinis. De lacu Albano emisso Camilli tempore narrat Livius libro V., de Fucino lacu Suetonius in Claudio. Pomptinas paludes siccavit Augustus; meminit in Arte Horatius, et ad eum Scholiastes." Similem comparationem vitae humanae cum defluxu aquarum vid. 2 Sam. 14, 14.

12. Sicuti aquae jam lapsae non redeunt, *sic* (hoc enim valet h. l. וְ ante אִישׁ, ut infra Vs. 19. Ps. 65, 8. 125, 2. et saepius) et homo, quum *occumbit* (שָׁכַב) mortuus (ut supra 3, 13. Gen. 47, 30. Jes. 43, 17.), nec resurget ad hanc vitam, עַד בְּלִתִּי שָׁמַיִם *usque dum non erunt coeli*, quod nunquam fiet, i. e. numquam, Coelorum aeternitate, diuturnitate ac stabilitate, rei, cujus mentio fit, exprimitur aeternitas aut diuturnitas, vid. Ps. 89, 30. 37. 38. et ibi nott. לֹא יָקִיצוּ *Non evigilabunt*, scil. homines, mutato numero collectivo in pluralem. וְלֹא יֵעֹרוּ מִשְׁנָתָם *Nec excitabuntur*, expergiscentur *e somno suo*, e morte sua. Negat Jobus et hoc loco, et similibus, supra 7, 7—10. 10, 21. et infra 16, 22. hujus, quam in terris degimus, vitae iterationem; unde tamen haud colligere est, illum nec aliquam vitae, hac scilicet terrestri praestantioris, restitutionem credidisse, non nisi post praesentis rerum humanarum ordinis interitum exspectandam, quam spem Jobum fovisse negat EICHHORN in *Biblioth. Literat. Bibl. univ.* P. I. p. 369. sqq. et de hoc praesertim loco p. 381. Vere observat PAREAU in Commentat. *de immortalitatis notitiis* etc. p. 144., non aliam vitae instaurandae spem a Jobo rejectam fuisse, nisi qualem et nos quoque, qui traditam a Christo de reditu ex morte tenemus, rejicere decet. Tenuisse enim ea, qua Jobeidos floruit aetate, plures Orientis gentes, praesertim vicinos illi Arabes et Aegyptios, hanc spem, fore, ut post longam seculorum seriem anima, quae ex corpore egressa esset ad inferos, ex inferis ad corpus reverteretur, utque tum redirent ad eandem hanc vitam terrestrem, ut in pristinum adeo statum, sed longe feliciorem restituerentur, et cum amicis, consortibus, consanguineisque denuo versarentur sicut antea. Similem quandam spem rudiorem haud paucis gentibus recens detectis communem repertam fuisse, notavit Pareau l. l. p. 14. 15. not., cf. p. 21. 71. sqq. Hanc igitur rudiorem ac falsam spem fuisse, quam a Jobo rejiciendam esse, merito judicaverit hujus Poematis scriptor; unde apparet cur ad idem hoc argumentum saepius reversus sit, ac tam studiose omnem talis a morte resurrectionis fidem a se removerit.

13. Redit ad querelam solitam de doloris sui magnitudine. Mori praeoptat, quam in tam luctuosa vita commorari. מִי יִתֵּן — אַסְתִּר *Utinam in inferno absconderes me, occultares me, donec convertat*, avertat se, *ira tua*, donec saeva illa irae tem-

Digitized by Google

pestas, qua nunc dies noctesque exagitor, praeterierit. Similiter Jes. 2, 19. ita gravis et intolerabilis describitur ira Dei, ut nusquam non velint sese abdere, qui eam sentiunt, ut eam effugiant; quaerant omnes latebras et specus ubi latitent, et eam subterfugiant. מִי יִתֵּן hic aliter sumendum ac supra Vs. 4., sc. sensu optativo, ut 6, 8. 11, 5. Ps. 14, 7. תָּשִׁית לִי חֹק est vel: *ponere mihi terminum*, vel, *ponere mihi modum*. Prius sese referret ad tempus praestitutum, intra quod ira desaeviret; posterius ad mensuram, et modum, miseriis ponendum. וְתִזְכְּרֵנִי Ut tandem benigne *recordareris mei*, ad me restituendum et benefaciendum mihi.

14. אִם־יָמוּת גֶּבֶר חֲיִיתָה *Si mortuus fuerit homo, num reviviscet?* Minime vero. כָּל־יְמֵי צְבָאִי אֲיַחֵל עַד־בֹּוא חֲלִיפָתִי Tunc enim *per omnes dies militiae*, aerumnosae vitae (ut 7, 1. 10, 17.) *meae exspectarem donec veniat immutatio mea*, si alia vita in his terris agenda daretur, solarer praesentia mala spe sortis aliquando melioris. Iterum hic spectatur taciteque innuitur historiae exitus. Nam sors illa melior Jobo tandem obtigit, novumque revera vitae cursum indulsit divina benignitas. Recte monuit A. Schultens, per חֲלִיפָה restitutionem in integrum, fortunaeque simul et vitae revirescentis (ex simili supra Vs. 7.) instaurationem intelligendam esse, ut ea verba sint optantis, novum sibi decurrendae vitae spatium a Deo tribui.

15. Deum denuo provocat, ut jam *actorem* vicissim gerens, vel refutet haec, vel contra insurgat. תִּקְרָא וְאָנֹכִי אֶעֱנֶךָּ *Voca tu nunc*, atque adversus me actionem institue, *et ego respondebo*, habeo, quo instantias mihi movendas removeam et refutem. Utinam tu me compelles, tibique respondere mihi liceret verbis ultro citro factis. Cf. supra 13, 22. לְמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ תְכֻסֹּף *Opus manuum tuarum desideres*, s. *concupiscas!* Memor sis me esse opificium tuum, et aliquo saltem mei desiderio et amore tenearis. Alii: *opus manuum tuarum*, me, *desiderares*, quando morti me tradidisses. Quod languidius.

16. כִּי־עַתָּה *Nunc enim*, ut res meae sunt in hac vita, ut nunc affligor, צְעָדַי תִּסְפֹּר *gressus meos numeras*, omnia acta mea diligentius consideras et annotas, si quid forte peccarim, ut nihil impunitum sinas, ut ipse in me nunc experior, qui nunc omnium, quae unquam inique egerim, poenas videor luere, ita graviter affligor et praeter modum. לֹא תִשְׁמֹור עַל־חַטָּאתִי *Nonne custodem agis super peccatis meis?* ne quod eorum inultum transmittatur. Alii: *nonne servas?* i. e. retines in mente peccata mea? ut solent, qui oderunt, vindictam in tempus opportunum reservare; ut Ps. 130, 3. Jer. 3, 5. Amos. 1, 11. Verum שָׁמַר cum עַל constructum *custodem super aliquo agere* significat, vid. Prov. 6, 22. Coh. 5, 7. לֹא h. l. pro הֲלֹא *nonne?* ut Thr. 3, 36. *Pervertere hominem in judicio*, אֲדֹנָי לֹא רָאָה *dominus nonne videt?* Jon.

Digitized by Google

4, 11. וַאֲנִי לֹא אֶחְתֹּם עַל־נִינְוֵה *et ego nonne parcerem Ninevae?* Alii haec verba ut precationem capiunt: *ne serves peccatum meum*, i. e. observes ad puniendum, sed mihi parcas. Ita Hieronymus: *sed parce peccatis meis.* Sed talis precatio filo orationis non convenit.

17. חָתוּם בִּצְרוֹר פִּשְׁעִי *Obsignatum*, clausum, *in sacculo scelus meum*, ne tibi pereat, ut pera vestis includi solent aurum, argentum, et alia, ne pereant, ita tu reponis quasi sacculo, si quid transgressus sim, id est, observas ut punias. Eadem figura Hos. 13, 12. צְרוּר עֲוֹן אֶפְרַיִם *colligata est* quasi in crumena *iniquitas Ephraimi*, ad quem locum Hieronymus: *quomodo, si ligetur quid in sacculo, conservatur et non perit ei, cui ligatum est; sic omnis iniquitas, quae in Deum peccavit Ephraim colligata est ei et abscondita, et quasi in marsupio reservatur*, ad vindictam scilicet. וַתִּטְפֹּל עַל־עֲוֹנִי *Et concinnas super* s. *ad iniquitatem meam*, i. e. iniquitati insuper aliam adjungis et accumulas, ut major sit culpae meae cumulus et gravior hinc poena, ut nunc ad me puniendum videaris in me omnia peccata conjecisse, quae unquam admisi, vel a pueritia, ut supra 13, 26. dixerat. Potest etiam verti: *adjungis ad poenam iniquitatis meae*, poenam poenae adjungis, quum עָוֹן et *poenam peccati* comprehendat, cf. supra 11, 6.

18. Ab expostulatione redit ad complorationem mortalitatis irreparabiliter consumentis, supra Vs. 11. 12. inchoatam, quam hic pluribus similitudinibus continuat. Irreparabilis, inquit, est occasus hominis, ejusque fatalis illa ruina, haud secus ac montis collapsi, rupis a radicibus revulsae, lapidum a fluctu exesorum, quin et terrae alluvionibus attritae et absorptae. Sicuti horum nihil, ubi semel corruit, aut absumtum est, instaurari se patitur, ita nulla plane spes reviviscendi relicta ei, qui semel occubuit. וְאוּלָם הַר־נוֹפֵל יִמּוֹל *Et sane* sicut *mons cadens*, corruens, collapsus, *diffluit*, dissolvitur, consumitur, evanescit. נָבֵל *marcescit* de foliis proprie dicitur, quae omni succo et vigore consumto dilabuntur et pereunt, vid. Ps. 1, 3. 37, 2. Jes. 1, 30., unde et ad alia transfertur. וְצוּר יֶעְתַּק מִמְּקוֹמוֹ *Et petra dimovetur e loco suo*, i. e. a monte, cujus pars fuit. Decidunt autem montes, et rupes e suo loco dissiliunt, vel terrae motu, vel vi ventorum, vel aquarum impetu. Minus commode alii collato arabico عتق et عتيق *antiquus, vetus*, verba nostra sic vertunt: *veterascit petra e loco suo*, i. e. tanquam senio confecta ruit et aboletur. Sic Alexandrinus: πέτρα παλαιωθήσεται ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς. Sed *amovendi* notio verbo עָתַק certa ex locis Gen. 12, 8. 26, 22., ubi de tentorio et domicilio uno ex loco ad alterum moto dicitur.

19. Inversus ordo dictionum, אֲבָנִים שָׁחֲקוּ־מָיִם pro מַיִם שָׁחֲקוּ אֲבָנִים sicut *aquae comminuunt lapides*, nec de eo dubitare quis potest, quin מַיִם sit Nominativus; neque enim lapides aquas,

Digitized by Google

sed aquae lapides continuo fluxu et stillicidio conterunt et exedunt. PAREAU haud incommode vertit: *saxo paulatim atterunt aquae*, collato Arabico سحق *fricando trivit*, et hinc, *longo usu detrivit* vestem. תִּשְׁטֹף סְפִיחֶיהָ עֲפַר־אֶרֶץ Sicut *inundat eluvio ejus* (aquae) *pulverem terrae*, sicut terra alluvionibus irreparabiliter absumitur. Cf. similem figuram Ps. 90, 5. Verbum שָׁטַף h. l. non est simpliciter *inundare*, sed *aquae fluxu sulcare*, et *proluere*, *gravi aquarum vi obruere*. Bene Hieronymus: *et alluvione paullatim terra consumitur.* סְפִיחִים sunt *effusiones*, *eluviones*, coll. arab. سفح *effudit*, Jes. 5, 7. Hab. 2, 15. Vid. SCHULTENSII *Animadverss. philologg. in librum Jobi*, in *Operr. minn.* p. 28. Idem Schultensius recte observavit affixum in סְפִיחֶיהָ referendum esse ad מַיִם, constructione Arabibus solenni, qua adfixum singulare femineum respondet plurali masculino, similiter תִּשְׁטֹף *inundat* positum esse pro plurali *inundant*, cum *plurali masculino* iterum *singulari feminino* conjuncto. Sic infra 39, 14. רְנָנִים תַּעֲזֹב לָאָרֶץ בֵּיצָהּ *struthiones relinquit*, i. e. relinquunt *in terra ova sua;* hic רְנָנִים est plural. mascul., at תַּעֲזֹב singul. femin. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 719. וְתִקְוַת אֱנוֹשׁ תְּאַבֵּדְתָּ *Sic spem hominis perire facis*, omnem ei spem reviviscendi abscindis. ו ante תִּקְוַת valet *sic*, ut supra Vs. 12.

20. תְּתַקְּפֵהוּ לָנֶצַח *Praevales ei in perpetuum*, semper te eo superiorem ostendis et fortiorem, eum mori faciens. Sed quod dicit לָנֶצַח, sic potius intelligendum: ita praevales et morte eum consopis, ut in perpetuum sit consopitus; perpetua eum victoria vincis, et opprimis morte irreparabili, ut resurgere nequeat. Hieronymus תְּתַקְּפֵהוּ, formam Piel, legit, aut certe eam expressit, dum vertit: *roborasti eum paululum, ut in perpetuum transiret*, לָנֶצַח jungens cum וַיַּחֲלֹף. Sed certior lectio recepta in Cal, intransitive, תְּתַקְּפֵהוּ *praevales ei*, pro תְּתָקֵף בּוֹ *invalescis in eum*, ut Ps. 5, 5. יְגֻרְךָ רָע pro יָגוּר עִמְּךָ *habitabit tecum;* nec non Jerem. 5, 20. יְצָאוּנִי pro יָצְאוּ מֵעָלַי *egressi sunt ex me*, et id genus alia. וַיַּחֲלֹף *Et abit* in totum, perit, absque spe redeundi; ut 1 Reg. 2, 2. Coh. 1, 4. מְשַׁנֶּה פָנָיו *Immutans* es *vultum suum*, i. e. statum suum, totam suam speciem, ut עֵין Ps. 6, 8. et פָּנִים supra 9, 27. Nitidum et vividum vultum homo cum lucido et pallente commutat, si a Deo, tanquam victore, prostratus jacet. וַתְּשַׁלְּחֵהוּ *Et dimittis eum*, hinc, non rediturum; velut extrudis et amandas eum ex hac terra prorsus; quo sensu eadem ejusdem verbi forma Piel usurpatur Gen. 3, 23. de homine ex horto Eden ejecto.

21. Ita hinc homo, cum moritur, emigrat et prorsus discedit, ut nihil jam cum viventibus commune ei sit, neque curet aut sciat, sive opulenti sint et clari liberi, quos post se relinquit, sive inopes, et obscuri atque abjecti. Eadem sententia Coh. 9, 5. 6. Initio Versus est אִם subaudiendum ante יִכְבְּדוּ *gráves erunt*, au-

Digitized by Google

gescent, non tam ad numerum, quam ad opes, honores, et alias fortunae dotes referendum, ut Gen. 13, 2. 2 Sam. 6, 20. Jes. 66, 5., sicuti et contrarium in altero hemistichio, יִצְעֲרֻהוּ si *parvi fient*, imminuentur fortunis et honoribus, vid. Jer. 30, 19. Zach. 13, 7. Sic צָעִיר i. q. נִבְזֶה *contemtus*, Ps. 119, 141. לֹא יָבִין לָמוֹ *Non advertit* animum *illis*, s. ad eos, id de illis ignorabit.

22. Sed quid aget mortuus? אַךְ בְּשָׂרוֹ עָלָיו יִכְאָב *Tantummodo caro*, i. e. corpus *ejus super eum dolet*, dum a vermibus corroditur, quasi carni id sit molestum, item וְנַפְשׁוֹ עָלָיו תֶּאֱבָל *et anima ejus super eo*, de se ipso, s. propter se ipsum *luget*, quod ita e corpore exierit, et corpus sit esca vermibus; figurate. Pareau עָלָיו *apud se* notare ait; i. e. semel in se uno quasi continuo revolvens, nec cum vivis adeo de re ulla communicans. Nec mireris, mortuo *animam* tribui, quum et Num. 6, 6. dicatur, עַל־נֶפֶשׁ מֵת לֹא יָבוֹא *ad animam mortui non ingrediatur*. Nam anima interdum pro eo quod *personam* dicimus. Hic autem figurate et de corpore dicit, quod doleat, quasi vermium corrosionem sentiat, et de anima, quod veluti luctum agat separationis suae a corpore. Similis prosopopoeia infra 21, 33. Alii hunc Versum ad vitam referunt: *verum super ipsum*, i. e. quamdiu vivit, *ipsius caro dolet, et anima luctum agit*, interim dum vivit varia perferens; quod Versui praecedenti nectunt hoc sensu: vivens variis doloribus afficiatur, sensu quippe praeditus; at mortuus nihil plane horum sentiet, sed omni sensu vacabit, ita, ut ne de filiis quidem quicquam sciat, sintne meliori et splendidiori fortuna, quam eos reliquerit, aut abjectiori conditione. Quod dictum volunt ob ea, quae socii ei promittebant fore, ut, si ad Deum rediret, ejus proles augeretur, vel contra ipsum cum posteritate sua delendum; quum liberorum hominis conditio vel opima vel deterior ad mortuum parentem nihil faciat, qui nihil eorum norit, quae hic fiunt. Prior tamen sensus simplicior est et concinnior.

Digitized by Google

ELIPHASUS.

Cap. 15.

Huc usque primus certaminum orbis. Sequitur secundus congressus hinc usque ad Cap. 22., ubi erit initium tertii. Nihil autem novi deinceps adversarii afferunt ultra ea, quae primo congressu proposuerant de sua quisque sententia, nisi quod jam a se dicta confirmabunt, et apertius Jobum criminabuntur, atque impium Deoque invisum pronunciabunt. Ac Eliphasus quidem Jobum jam ventosae loquacitatis accusat, et impietatis stolidae, quasi cum Deo disceptare voluerit, et suo sermone magna ex parte Dei timorem et observantiam in hominum animis infregerit. Deinde ignorantissimum illum esse dicit, eaque quae de felici impiorum sorte protulisset, pessima esse ac falsissima. Nullo modo liberum esse a culpa, quum illam alii, qui meliorem, quam ille, conditionem nacti sunt, non evitaverint. Quod ut probaret ad oraculum redit, quod antea exposuerat, quod vero et nunc in sensum sinistrum detorquet. Denique (inde a Vs. 20.) in dolore et sollicitudine, quibus exagitantur impii, et aliis incommodis, quibus illorum extenuantur opes, et familia deformatur et perit, statum depingit Jobi, quem eo argumento impium esse ac sceleratum tacite arguit.

2. חָכָם *Num sapiens*, qualem tete jactitas et profiteris. Respicitur ad 12, 2. 3. et 13, 2. 6. יַעֲנֶה דַּעַת־רוּחַ *respondebit*, proloquetur *scientiam*, doctrinam *ventri*, i. e. ventosam, vanam et inanem? *Vento* saepe vanitas denotatur, vid. supra 6, 26. 7, 7. 8, 2. 16, 3. Prov. 11, 29. וימלא קדים בטנו *Et replebit euro ventrem suum?* mente concipiet inania, futilia, quin et perniciosa sibi persuadebit, quae postea aliis effutiat? Nam קָדִים *eurus*, ventus est non solum vehemens, sed et exitiosus frugibus et herbis; vid. Amos. 4, 9. Jes. 27, 8. et ibi not.

3. הוֹכַחַ בְּדָבָר יִסְכֹּן *Arguendo verbo* quod *non prodest.* Verbis proprie hic dicitur quod Vs. 2. figurate. Ante הוֹכַחַ subaudiendum לְ, *arguendo* nimirum, s. *ad arguendum;* num convenit sapienti, qualis ipse tibi videris, ut arguat et disputet

Digitized by Google

sermonibus inutilibus et nihil rem facientibus? וּמִלִּים לֹא־יוֹעִיל־בָּם *Et verbis quibus non proficit?* Ante מִלִּים repetendum ב a בְּדָבָר.

4. אַף־אַתָּה תָּפֵר יִרְאָה *Imo tu etiam irritum facis*, solvis, *timorem* Dei scilicet, ut φόβος *timor*, pro *religione* sive *reverentia Numinis*, Graecis quoque et Romanis haud inusitatum. וְתִגְרַע שִׂיחָה לִפְנֵי־אֵל *Et aufers meditationem*, i. e. orationem, preces (ut recte Hieronymus) *coram Deo.* שִׂיחָה h. l. id quod תְּפִלָּה, ut שִׂיחַ Ps. 102, 2., querela coram Deo effusa cum precibus conjuncta. Quod autem Eliphasus Jobum accusat, cum sermonibus suis hoc efficere, ut homines nec timorem Dei, nec preces amplius curent; eo respicit, quod Jobus Deum probos et improbos sine discrimine consumere dixerat, supra 9, 22., unde oratio pio nihil sit profutura, nec sua pietas aut innocentia, quo nihil affligatur tanquam impius.

5. Non est, quod testes conquiramus, te injustum et improbum esse, כִּי־יְאַלֵּף עֲוֹנְךָ פִּיךָ *nam docet iniquitatem tuam os tuum*, et totus sermo tuus. Bene LXX: ἔνοχος εἶ ῥήμασι στόματός σου, *reus es verbis oris tui.* וְתִבְחַר לְשׁוֹן עָרוּמִים *Et eligis linguam versutorum*, astute et veteratorie loqueris, dum te innocentem jactans offers te causam tuam apud Deum probaturum, et optas cum eo disceptationem inire. Callide haec dicis, ne quis te impium deprehendat, ita studens tegere impietatem tuam malitiose.

6. יַרְשִׁיעֲךָ — יַעֲנוּ־בָךְ *Reum te* impietatis *peragit os tuum, nec ego, et labia tua testantur in s. contra te.*

7. הֲרִאשׁוֹן אָדָם תִּוָּלֵד *Num primus homo natus es?* ut a Deo primam hauseris scientiam? Vel, qui omnia videris, quae ab orbe condito acta sunt, ut longa edoctus experientia solus prae ceteris sapias? וְלִפְנֵי גְבָעוֹת חוֹלָלְתָּ *Et num ante colles formatus es?* esne ab aeterno? sicut et Prov. 8, 24. 25. sapientia gloriatur se ante colles conditam.

8. הַבְסוֹד אֱלוֹהַּ תִּשְׁמָע *Num in arcano Dei audisti?* quae in sanctiori Dei concilio acta et decreta sunt. An tu non ejusdem, ut ceteri homines, naturae, sed nobilioris et sublimioris originis, in coelo ipso proseminatus, coelestibus arcanis et consiliis interfuisti? iisque auditor adstitisti? De nomine סוֹד vid. not. ad Ps. 25, 14. Cf. Jer. 23, 18. מִי עָמַד בְּסוֹד יְהוָה *quis stetit in secreto Dei, et vidit, audivitque verbum ejus? quis aure excepit verbum ejus et auscultavit?* Nempe ut consiliarius et assessor secretioris ac sanctioris consilii. Futurum תִּשְׁמַע in Praeterito capiendum ob ea quae praecedunt. וְתִגְרַע אֲלֵיךְ חָכְמָה *Et num abstulisti*, transtulisti *ad te sapientiam?* Ex eo, quod Dei consilio interfueris, et ejus arcana noveris, tibi soli sapientiam vindicasti, ceteris hominum ademtam, ut solus sapias? Verba תִּגְרַע

Digitized by Google

אֵלֶיךָ vulgo explicant *detraxisti ad te*, i. e. tibi assumsisti ex divino arcano negatam aliis sapientiam. Sed A. Schultens collato arabico גרע *sorpsit*, *deglutivit*, vertit: *num sorpsisti*, hausisti *ad te sapientiam?* Sensus eodem recidit.

9. מַה־יָּדַעְתָּ — הוּא *Quid nosti*, *nec* nos quoque *scimus?* quid *intelligis*, *et non* aeque *apud nos est?* quod non sit nobis pariter cognitum?

10. גַּם־שָׂב גַּם־יָשִׁישׁ בָּנוּ *Etiam canus*, *etiam senex inter nos.* Sunt et inter nos cani et senes, qui longo rerum usu edocti intelligentia valent, atque de rationibus, quibus Deus in rerum humanarum gubernatione utitur, recte judicare possunt, ne te solum putes saperc. Manifestum est, respicere Eliphasum ad ea, quae supra 12, 12. dixerat Jobus, cui ista cum aculeo reddit. Et vero non Jobum tantum, verum et socios aetate provectiores fuisse patet ex 32, 4., ubi illi, socii, Elihuo seniores dicuntur. כָּבִיר מֵאָבִיךָ יָמִים *Gravior*, major, *patre tuo diebus.* Eodem sensu, quo hic כַּבִּיר, et consona Arabica vox, quae *magnum* denotat, de *aetate provectiore* usurpatur.

11. Jam invehitur in Jobum, quod parvi fecerit sociorum consolationes, et eorum dicta, ut vana et futilia, despexerit. Respectat ad acrem censuram, qua Jobus supra 13, 4. 5. istorum sermones perstrinxerat. הַמְעַט מִמְּךָ תַּנְחוּמוֹת אֵל *An parum a te*, i. e. te minores et indignae, exiguae tibi videntur *consolationes Dei?* Sic fastuose suas consolationes appellat et sociorum. Alii אֵל positum putant pro אֵלֶּה *istae*, vel, *illorum* (ut Gen. 19, 8. 26, 4.), sociorum meorum, eos enim simul defendit adversus Jobum. Sed arrogantiae et fastui Eliphasi, quo prae ceteris turget, magis convenit אֵל *Dei;* quasi Dei nomine tibi propositas. Spectat autem potissimum oraculum divinitus sibi oblatum, et supra 4, 17—21. proditum, cujus verba mox Vs. 14. 15. 16. repetit. Ex illo enim oraculo, male a se intellecto, ipse et socii derivabant criminationes in Jobum conjectas, vid. Prolegg. p. 7. sq. Hemistichium alterum, וְדָבָר לָאַט עִמָּךְ, plures sic vertunt: *et an aliquid absconditum apud te?* i. e. estne aliquid divinum penes te reconditum, prae quo divinas nostras consolationes contemnes? Vocem לָאַט putant pro לָט positam, ad radicem לוּט *involvere* (vid. 1 Sam. 21, 9.) referendam. Sed est potius a verbo אָנַט *lenis fuit* derivandum. Inde אט *lente*, *leniter*, et לָאַט (propr. *ad lenitudinem*) 2 Sam. 18, 5. Jes. 8, 6. pro *leniter*, *clementer.* Hinc vertendum: *et verbum lenissime tecum habitum* sc. facisne parvi?

12. מַה־יִּקָּחֲךָ לִבֶּךָ *Quid capit te cor tuum?* i. e. rapit, et transversum agit, sive, ut docte Hieronymus dedit: *quid elevat te cor tuum?* dum te innocentem asserens ita Deum provocas, et quum tantopere affligaris, tanta spe praeditus es? וּמָה־יִּרְזְמוּן עֵינֶיךָ *Et quid annuunt oculi tui?* nutu et nictatione te ostendis

Digitized by Google

elatum. In oculis signum elationis et fastus cognoscitur, cf. Prov. 6, 17. יְרִמְזוּן pro יְרַמְּזוּן (coll. arab. رمز *innuit motis supercíliis*, et Syriaco רַמֵּז *annuit*, *innuit*) literis transpositis, sicut כֶּבֶשׂ et כָּבֶשׂ *agnus*, שַׂלְמָה et שִׂמְלָה *vestis*. Et ipsum יְרַמְּזוּן exstat in quibusdam codd. a Kennicotto et de Rossio inspectis.

13. כִּי־תָשִׁיב אֶל־אֵל רוּחֶךָ *Quod convertis in Deum spiritum tuum?* i. e. fastum, animum, ut et *spiritus* Latine, maxime in plurali, sumitur. וְתוֹצֵאתָ מִפִּיךָ מִלִּין *Et eduxisti ex ore tuo sermones*, bene Hieronymus: *hujuscemodi sermones*, videlicet intemperantiores, imo contumeliosos in Deum. Pro תּוֹצֵאתָ in codicibus quibusdam exstat הוֹצֵאתָ, quod BUXTORRIO in *Thes. Grammat.* p. 253. est tertia pers. femin. subaudito רוּחַ, feminine accipiendum. A. Schultens habet pro Infinitivo, feminina inflexione, pro הוֹצֵא, unde הוֹצֵאת et תּוֹצֵאת ad normam pro *educere;* Infinitivum autem pro tempore finito, *praesenti*, vel *praeterito* esse positum.

14. Jam rem aggreditur, et Jobi praecipuum, firmamentum, quo ille nitebatur, evertit, quod ille se innocentem et justum diceret. Ut nimios Jobi spiritus reprimeret, ad oraculum recurrit, quod supra 4, 17. 18. produxerat. *Quid est homo*, inquit, *ut purus sit et justus natus muliere*, ex re infirma, et tantis aerumnis ac molestiis exposita et obnoxia? Nam emphatice mulieris meminit, ut et supra 14, 1.

15. הֵן בִּקְדֹשָׁיו לֹא יַאֲמִין *Ecce sanctis suis non credit*, i. e. de eorum perfectione diffidit, si summo jure cum illis agat, et eos ad normam juris exigere velit. Pro בִּקְדֹשָׁיו supra 4, 18. בְּמַלְאָכָיו *angelis suis*. וְשָׁמַיִם לֹא־זַכּוּ בְעֵינָיו *Et coeli non sunt puri in oculis ejus*, ei impuri apparent. *Coelis* vel *coelites* seu *angelos* intellige, ut respondeant τοῖς ἁγίοις in priori hemistichio, vel corpora ipsa coelestia, a faece et corruptione horum inferiorum alienos et immunes.

16. אַף כִּי Vel: *Quanto minus* sc. justus sit homo abominandus et foetidus? Vel: *quanto magis* sc. נִתְעָב וְנִאְלָח *abominandus et foetidus* est (cf. Ps. 14, 3.), אִישׁ־שֹׁתֶה כַמַּיִם עָוְלָה *vir*, homo, *bibens velut aquam perversitatem*, qui totus vitiis est imbutus, et pravitatem imbibit, ut aquam sitiens? Talis qui justus esse posset coram Deo?

17. אֲחַוְךָ — וַאֲסַפֵּרָה *Indicabo tibi*, ostendam, sc. verum esse quod dixi supra 4, 7. sqq. solos impios a Deo exscindi; modo *ausculta mihi*, *etenim hoc* quod sequitur *vidi et narrabo*. Hucusque hoc egit disputator, ut Jobum vanitatis, superbiae, contumaciaeque in Deum ferocis reum perageret. Hinc jam arrepto impetu tonare adversus caput innocens incipit, et continua declamatione ei ante oculos proponere, quid cum sodalibus improbitatis et merito nunc patiatur, et ulterius exspectandum habeat. Prae-

Digitized by Google

mittitur exordium tribus Vss. comprehensum, in quo nihil aliud se prolaturum ait, quam quod ex propria experientia habeat compertum, et in auctoritate veterum sapientum sit fundatum.

18. מֵאֲבוֹתָם in fine Versus non referendum ad proximum, וְלֹא כִחֲדוּ, sed ad אֲשֶׁר חֲכָמִים יַגִּידוּ *quae sapientes indicarunt a patribus suis* sc. accepta, *nec celarunt*, quae quum a majoribus suis accepissent, posteros ea non celarunt, sed accepta candide communicarunt.

19. לָהֶם לְבַדָּם נִתְּנָה הָאָרֶץ *Quibus solis tradita est terra*, sc. ad gubernandum et res gerendas, ut supra 9, 24. וְלֹא־עָבַר זָר בְּתוֹכָם *Nec transiit externus in medium illorum*, ut illis suam auctoritatem et dominationem adimeret. Quod affertur ad amplificandam auctoritatem horum sapientum, a quibus se hoc accepisse dicit. Quasi dicat: hi tales sane et tanti fuerunt, atque ita sapientiae suae nomine clari et celebres, ut ipsis solis rerum et regionum gubernacula sint commissa, nemine illis molesto ea in re, aut interturbante eorum imperium et administrationem. זָר *Peregrinus*, h. l. idem qui *hostis*, ut Jes. 1, 7. CICERO *de Officiis* I. I. non longe a principio: *Hostis*, inquit, *apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Ceterum Eliphasus fugillat simul Jobum, in cujus ditionem irruperant Chaldaei et Sabaei, et contraria dicit illis, quae Jobus supra 9, 14. dixerat de impiorum dominio in pios. Forsan et hoc spectavit, ut suam integram florentemque fortunam cum afflicta atque aerumnosa Jobi componeret, ut inde ipse appareret sapientior et justior, quum eorum nihil passus esset ab hoste vicino, neque duram in se divinam manum esset expertus. Jam sequitur, quod annunciarunt sapientes illi et insignes viri.

20. Hinc ad finem Capitis impiorum conditionem infelicem et exitium describit, ut in perpetuo dolore et cruciatu versentur, etiam dum maxime florere videntur et summa pace frui, quia semper suae felicitati diffidant, et metuant ne cadant, quod autem timent, illis tandem accidit; ubi autem accidit, in desperationem conjiciuntur, despondent animum, nec evadendi spem concipiunt, conscientia oppressi. Haec autem eo consilio affert, ut hinc efficiat, tum, improbos omnes in hac vita Deum ultorem criminum experiri, per publica judicia; tum, Jobum huic gregi haud dubie propterea accensendum. כָּל־יְמֵי רָשָׁע הוּא מִתְחוֹלֵל *Omnibus diebus impii ipse cruciatur*, toto vitae suae tempore dolet et vehementer torquetur, non secus ac mulier parturiens. Nam מִתְחוֹלֵל a חִיל deducitur, quod de torminibus parientium proprie dicitur, vid. Ps. 48, 7. Hieronymus pro מִתְחוֹלֵל legit מִתְהוֹלֵל, quum *superbit* verterit. וּמִסְפַּר שָׁנִים נִצְפָּנוּ לָעָרִיץ *Et numerum annorum* quod attinet, qui *absconditi sunt violento*, intellige et repete, הוּא מִתְחוֹלֵל *ipse cruciatur.* נִצְפָּנוּ *Absconditi sunt*, i. e. occulto Dei decreto definiti, quod hominibus ignotum est, quanto

Digitized by Google

hic tempore quisque sit victurus. עָרִיץ h. l. sensu malo, *violentum*, qui potentia sua, qua omnes opprimit, terrori est, significat, ut respondeat רָשָׁע, in priori hemistichio. Et tyrannus, qui omnibus sua potentia formidandus est, cruciatur, et in anxietate versatur, toto tempore, quod ei coelitus constitutum est Dei consilio. Alio sensu Hieronymus hoc hemistichium vertit: *et numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.*

21. קוֹל־פְּחָדִים בְּאָזְנָיו *Vox pavorum* est *in auribus ejus*, perpetuo ejus auribus insonant voces terrificae, quasi in momenta singula sit ei superventurum exitium, et numquam non hostis immineat aut periculum. Nam omnia impii et tyranni, etiam tuta, timent. פְּחָדִים *pavorum* dixit numero plurali, ut significet multiplices pavores, agmina quasi terrorum. בַּשָּׁלוֹם שׁוֹדֵד יְבוֹאֶנּוּ *In pace vastator veniet illi*, tum maxime, quum altissima pace gaudebit, nec opinatum ei veniet exitium, exitii timor. Bene Hieronymus: *cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* יְבוֹאֶנּוּ pro יָבוֹא בּוֹ, vel יָבוֹא עָלָיו, ut Ps. 5, 5. יָגוּר pro יָגוּר עִמָּךְ *habitabit tecum.*

22. לֹא־יַאֲמִין שׁוּב מִנִּי־חֹשֶׁךְ *Non securus est redire* (ante שׁוּב subaud. לְ, Hieronymus: *quod redire possit*) *e tenebris*, s. effugere tenebras scil. miseriarum. Nullam spem fiduciamque fovet, se non hoc vel illo modo male periturum; numquam securus, numquam sui compos, omnia tuta timet, et ubique exitium sibi imminens tremiscit, metu suo id ipsum anticipans. וְצָפוּי הוּא אֲלֵי־חָרֶב *Prospectatus ipse ad gladium*, caedi et internecione destinatus. Ita jam Symmachus: προσεκοπεύθη γὰρ εἰς μάχειραν. Nec alio sensu haec verba cepisse videtur Alexandrinus: ἐντέταχται γὰρ ἤδη εἰς χεῖρας σιδήρου. Hieronymus: *circumspectans undique gladium*, et Syrus: *spectans ad gladium*, i. e. eum exspectans et suspicans semper est, collatis, pro significatione Participii *Paul* activa in verbis intransitivis, זָכוּר *recordatus*, Ps. 103, 14., שָׁכוּן *habitans*, Jud. 8, 11., בָּטוּחַ *confisus*, Jes. 26, 3. Sed prius illud praeferendum.

23. Quae metuebat, jam ei vere accidunt. נֹדֵד הוּא לַלָּחֶם אַיֵּה *Vagus est*, oberrat *ad panem*, s. ob cibum, ut victum quaeritet, *ubi* inveniendus ille sit? Ad eam inopiam redigitur, qui ad summum opum fastigium pervenerat, ut ejectus ex fortunis sedibusque, tanquam mendicabulum oberret panem quaerens, nec inveniens. Pro אַיֵּה Alexandrinus legit אַיָּה, avis nomen, quod infra 28, 7. occurrit; vertit enim ita: κατατέταχται δὲ εἰς σῖτα γυψίν, i. e. paratus est, et veluti constitutus, ut sit cibo vulturibus. יָדַע כִּי־נָכוֹן בְּיָדוֹ יוֹם חֹשֶׁךְ *Novit paratum esse in manu sua*, i. e. in propinquo *diem tenebrarum*, i. e. tam certo sibi persuasum habet, mox affuturum diem horrendarum calamitatum, quam si jam prae manibus teneret. בְּיָדוֹ *In manu sua*, i. e. coram ipso, in praesentia, in conspectu, quomodo 1 Sam. 21, 13. בְּיָדָיו

Digitized by Google

in manibus eorum, pro *coram ipsis;* et Arabibus בֵּין יְדֵי מְלוֹנִי *inter manus alicujus*, quod in versione Pentateuchi arabica ab Erpenio edita saepissime pro Hebraico לִפְנֵי ponitur. Sensus ergo hic erit: sentit jam perniciei plane se addictum, ita ut exitium non amplius effugere aut avertere queat.

24. יְבַעֲתֻהוּ — צַר *Terrent eum angustia et coarctatio praevalebit ei* angustia *sicut rex paratus ad proelium.* כִּידוֹר explicandum est ex arabico כדר *turbidus fuit*, incommodis et adversae fortunae *casibus conturbata fuit vita*, unde כִּדְרָה *perturbatio*, *conturbatio.* Hoc loco denotatur *tumultus bellici conturbatio;* dicit enim Eliphasus, fore, ut impio praevaleant angustiae, ut hostibus praevalet rex paratus et instructus ad tumultum bellicum, formidolosi bellatoris more, copiis suis stipati, et ad pugnam parati. De *tumultu bellico* s. *proelio* nomen כִּידוֹר intellexit etiam Hieronymus, sed מָלָךְ accepit ut in Accusativo positum, unde sic interpretatus est: *terrebit eum tribulatio, et angustia vallabit eum, sicut regem, qui praeparatur ad proelium*, quem numerosa circumdat militum multitudo.

25. יִתְגַּבַּר — כִּי־נָטָה *Quoniam extendit ad*, contra *Deum manum suam, et ad*, contra *Omnipotentem ferociter sese effert.* Quod impium undique obsideant et urgeant terrores, supplicium est, illius audaciae et temeritati debitum, quod omnibus modis Deo resistebat, studia omnia sua et conatus eo conferens, ut homines opprimeret, qua ratione Deo veluti bellum indicebat, se eo robustiorem fore sua potentia sperans.

26. יָרוּץ אֵלָיו בְּצַוָּאר *Currit in eum cum cervice*, scil. erecta, i. e. fastuose, summa cum insolentia, cf. not. ad Ps. 75, 6. Qui enim erecto collo certamen aggreditur, strenuum se et acrem fatua confidentia vendidat, quique nihili faciat adversarium suum. CICERO in *Verrem* III, 59. *Qui tantis essent cervicibus.* בַּעֲבִי גַּבֵּי מָגִנָּיו *Cum densitate dorsorum clypeorum suorum*, suis scutis densis in Deum summo impetu ferebatur; quasi armorum suorum robore se eum vincere posse putaret. *Dorsa scutorum* sunt prominentiae in medio eorum, reliquis partibus densiores. Apposite cum nostra formula A. Schultens contulit arabicum adagium: *obvertit ei dorsum clypei*, i. e. contumacissimum se gessit adversarium. Armis autem istis h. l. significantur opes, potentia, et omnia praesidia, quibus nituntur impii, quasi iis freti et fulti numquam sint dejiciendi.

27. Jam summa penuria et fame adfligitur, כִּי־כִסָּה פָנָיו חֶלְבֹּו *Quia texit faciem suam adipe suo*, vitam securam, lascivam, ventri et voluptatibus deditam egit, Dei cura et metu omni posthabitis. Iisdem paene verbis hominis nimia fortunae indulgentia bene saginati turgidique fastus pingitur Ps. 73, 7., ad quem loc. cf. not. וַיִּעְשׂ פִּימָה עֲלֵי־חֵלֶב *Et fecit pinguedinem super*

Digitized by Google

lumbo, quod bene Hieronymus ita expressit: *et de lateribus ejus arvina dependet.* פִּימָהּ (a radice arab. סים pro סאם *adipe plenum fuit in camelis scapularum interstitium*) i. q. graecum *πιμελὴ adeps*, quo h. l. Symmachus est usus, et כֶּסֶל proprie *lumbus*, deinde vicinae ei partes, latera. Cf. BOCHARTUS in *Hieroz.* P. I. L. II. C. 45. p. 573. sqq. edit. Lips., et J. D. MICHAELIS *Supplemm.* p. 2007.

28. וַיִּשְׁכֹּן עָרִים נְכָחָדוֹת *Et habitat urbes excisas.* Impius et tyrannus, qui magnifica palatia sibi exstruxerat, ab ultore Deo redigetur eo angustiae, ut ejectus a suis aedibus ad solitudinem se recipiat et latebras, quae ex eversis urbibus relinqui solent. בָּתִּים לֹא־יֵשְׁבוּ לָמוֹ *Domos* sc. inhabitabit, quas *non habitabunt*, incolere amplius possunt *sibi* impii, inhabitatas. Similis poenae denunciatio Amos 5, 11.: *domos politis lapidibus aedificabitis, sed eas non habitabitis.* אֲשֶׁר־הִתְעַתְּדוּ לְגַלִּים *Quae paratae sunt ad acervos*, quae devotae sunt, ut fiant acervi ruinarum numquam reaedificandae. Profugus et ex hominum coetu propulsus, loca inculta et ruinosa quaeret.

29. Non erunt stabiles ejus fortunae; sed post brevem felicitatis usuram vel opulentissimae opes ad summam inopiam recident. לֹא־יֶעְשַׁר וְלֹא־יָקוּם חֵילוֹ *Non ditescet, nec stabit robur ejus*, non stabiles erunt ejus opes. חַיִל pro *opibus* saepe sumi, notum, veluti infra 20, 15. 18. Deut. 8, 17. Latine *copias* potes vertere, quo nomine et *exercitus* et *opes* significantur. וְלֹא־יִטֶּה לָאָרֶץ מְנָלָם *Neque extendet sese in terram possessio*, s. *prosperitas eorum*, numerum mutat, ut saepe, et mox infra Vs. 35. בִּטְנָם *venter eorum.* Nam quod de uno impio dicitur, id intelligitur ad omnes pertinere. יִטֶּה intransitive sumitur, pro יִנָּטֶה *extendetur*, extendet se, ab arbore ductâ metaphorâ, radices suas in terram latius diffundente, cui et mox Versus seq. comparabitur, et supra 8, 16. a Bildado comparatus est impius, q. d. in terram, super terram non propagabitur *perfectio eorum*, i. e. expletio eorum, quae coeperant; ea, quae ad summum perducere volebant, et confecta reddere, infecta remanebunt, nec per terram agnoscetur complementum eorum. מְנָלָם a נָלָה *perfecit, absolvit*, Jes. 33, 1. (ad quem loc. not. cf.), in Singulari מְנָלָת, ejusdem formae cum מְקָנָה, מְשָׁנָה. Hieronymus *perfectione* s. *consummatione* intellexit justum radicum incrementum et robur. Nam sic vertit: *nec mittet in terram radicem suam.*

30. לֹא־יָסוּר מִנִּי־חֹשֶׁךְ *Non recedet a tenebris*, quod Alexandrinus vertit: οὐδὲ μὴ ἐκφύγῃ σκότος, *non effugiet tenebras*, i. e. exitium. Alii *tenebras calamitatum* putant intelligendas, ex quibus non sit recessurus improbus, quomodo propria miserentur figuratis, quum *tenebrae*, moerorem et miserias

Digitized by Google

denotantes non conveniant arbori, sed homini. יוֹנַקְתּוֹ *Surculum s. propaginem ejus*, i. e. non liberos solum, sed omnem ejus splendorem, opes, et quaecunque habet, omnes ejus conatus, studia et praesidia, quibus fidit, et in quibus robur collocat, תְּיַבֵּשׁ שַׁלְהֶבֶת *exsiccabit*, arefaciet *flamma* vel *venti urentis*, ut Alexandrinus (τὸν βλαστὸν αὐτοῦ μαράναι ἄνεμος), vel *fulminis*, quae Tragicis absolute φλὸξ, pro *fulmine* vox hebraea usurpatur quoque Ez. 21, 3. Cant. 8, 6. וְיָסוּר בְּרוּחַ פִּיו *Discedet*, recte Hieronymus *auferetur* (ut Exod. 25, 15.) *spiritu*, i. e. halitu, flatu *oris ejus*, sc. *Dei*, adversus quem sese impius superbe extulit, Vs. 25. *Tempestas divinitus immissa* oris divini halitu depingitur etiam supra 4, 9. Ps. 18, 16. Jes. 11, 4. Alii affixum in פִּיו capiunt pro reciproco, ut dicatur improbus vel halitu suo ipsius periturus, quasi superbi isti spiritus, quos adversus Deum emisit, convertantur in turbinem, qui ipsum rapiat. Quod tamen argutius videtur. Sed de flatu divinitus immisso intellexit quoque Chaldaeus: וְיֶעְדֵי בְּזַעֲפָא דְפוּמֵיהּ דֶּאֱלָהָא *et auferetur per spiritum oris Dei.*

31. אַל־יַאֲמֵן בַּשָּׁוְא נִתְעָה *Ne fiduciam ponat in vanitate*, i. e. rebus vanis, in quibus spem et fiduciam collocat, qui *deceptus est*, propter dulcis fortunae ebrietatem extra viam palans et erro. Ante נִתְעָה est אֲשֶׁר subaudiendum: non est enim Participium, quod נִתְעֶה esset, sed Praeteritum. כִּי־שָׁוְא תִּהְיֶה תְּמוּרָתוֹ *Nam vanitas erit commutatio*, vicissitudo *ejus*, in vanitatem et nihilum permutatur ac redigitur totus ille prosper status, in quo erat. Nomen שָׁוְא *vanitas* repetitum diverso sensu sumitur; priore loco res vanas significat, quibus fidebat impius, opes et gloriam, et hujusmodi fluxa praesidia, posteriore loco vanitatem, in quam haec omnia redigenda sint, dum ex his decidens plane miser fiet ac calamitosus.

32. בְּלֹא־יוֹמוֹ תִּמָּלֵא *In non-die suo implebitur*, sc. כִּפָּתוֹ *ramus ejus*, matura, exsucca et caduca erit, i. e. morte immatura interibit. Res dicitur מָלֵא *impleri*, s. *impleta esse*, quando ad suam plenitudinem et finem pervenit, quando absolvitur jus tempus, et ejus finis ac consumtio advenit, similitudine desumta a frugibus, quae matura et plene cocta decidunt. Ita Nahum. 1, 10. קַשׁ יָבֵשׁ מָלֵא *stipula arida plena*, exsiccata, et ad flammam matura. Sunt, qui ad תִּמָּלֵא subaudiant חַיָּתוֹ, *vita ejus* implebitur, antequam terminus natura constitutus adsit, sed melius ex altero hemistichio repetitur כִּפָּה *ramus*. בְּלֹא־יוֹמוֹ ut לֹא־עֵת *ante tempus*, infra 22, 16. Cohel. 7, 17. וְכִפָּתוֹ לֹא רַעֲנָנָה *Et ramus ejus non virescet*, ejus frondes exarescent, virore solito destitutae. Perstat in metaphora arboris. כִּפָּה *Ramus* major, ab incurvatione sic appellatur, quod volae manus, quae כַּף Hebraeis dicitur, in arbore speciem habeat, et velut fornicem aut arcum faciat, unde Hieronymus vertit,

Digitized by Google

minus tamen proprie: *et manus ejus arescent.* Doctius Alexandrinus: ὁ ῥάδαμνος αὐτοῦ οὐ μὴ πυκάσῃ, *ramos ejus non condensabitur*, pro quo Symmachus: οὐκ εὐθαλήσει, *non florebit.*

33. יַחְמֹס כַּגֶּפֶן בִּסְרוֹ *Rapiet*, veluti auferet ac extrudet a se, *tanquam vitis omphacem suum*, uvam adhuc immaturam, quum vixdum primum florem est egressa, abjiciet, ut omnis spes vindemiae tollatur. Sunt, qui יַחְמֹס ad Deum referant: *abripiet* Deus *ut vitis omphacem ipsius.* Alexandrinus impersonaliter: τρυγηθείη δὲ ὡς ὄμφαξ πρὸ ὥρας, *vindemietur sicut uva acerba ante horam.* Hieronymus: *laedetur quasi in vinea in primo flore botrus ejus*, ut aut excussus a turbine, aut exustus a glacie ante tempus defluat. וְיַשֵּׁל כַּזַּיִת נִצּוֹ *Et projiciet sicut oliva florem suum;* ut si oliva germen suum abjiciat, aut vitis primum omphacem, perit omnis agricolae spes, ita et impio accidet, ut quum magnam sui spem hominibus praebet, fore ut ejus res et conatus ad summum perveniant, et perpetuo durent ac stabiles sint, in ipso flore pereat, et omnibus suis conatibus ac studiis excidat.

34. כִּי־עֲדַת חָנֵף גַּלְמוּד *Coetus enim impii erit solitarius*, etsi magno comitatu septus fuerit, multos habuerit sibi comites et asseclas, amplam familiam et clientelam, haec omnia in solitudinem redigentur, pereunte ipso cum toto comitatu. Sunt ex Hebraeis, qui גַּלְמוּד substantivum exponant, quasi לְגַלְמוּד *in solitudinem* scil. תְּהִיֶּה *erit.* Sed quum גַּלְמוּד ceteris, quibus occurrit, locis manifeste sit adjectivum, nec h. l. aliter capiendum. Convenit autem masculini generis adjectivum h. l. non, ut plerumque fieri solet, cum nomine regente (עֲדַת), sed cum nomine recto (חָנֵף), utpote propinquiore, ut Jer. 10, 22. קוֹל בָּא *vox famae ecce* est *adventans*, pro בָּאָה. Vid. et Gen. 4, 10. Exod. 15, 4. Lev. 13, 9. וְאֵשׁ אָכְלָה אָהֳלֵי־שֹׁחַד *Et ignis devorabit tabernacula muneris*, i. e. tabernacula muneribus et corruptela ex quaestu illicito constructa, eorum, qui avaritia et rapacitate rem suam auxerunt. Hieronymus: *ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*, iisque se corrumpi patiuntur. Jobum notat, cujus splendida illa et ampla familia, liberi et pueri periissent, quibusdam etiam igni coelesti absumtis, 1, 16.

35. הָרֹה עָמָל וְיָלַד אָוֶן *Concipiunt laborem*, molestiam, quam aliis exhibeant, *et pariunt vanitatem.* Infinitivi הָרֹה et יָלֹד pro Praesentibus, ut saepe, veluti Levit. 6, 7. Jud. 7, 19. 2 Reg. 4, 43. Ps. 35, 16., ad quem loc. not. vid. (p. 239.). Nomina עָמָל *aerumna* et אָוֶן *vanitas*, crimen simul et poenam complectuntur, potissimumque notant *malum in caput auctoris revolutum*, ut Ps. 7, 15., qui locus cum nostro plane est consonus. Sensus est: nil mirum, si quum vanitatem conceperint

Digitized by Google

ac molestiam, quam aliis facesserent, vanitatem pariant, metaphora a parturiente muliere ducta, quae si ventum conceperit, ventum sit paritura, propterea in metaphora persistens mox dicit בִּטְנָם *venter eorum.* Hoc studuerunt, ut injurii aliis essent ac molesti, ita et tandem sibi ipsi molestiam creant, et exitium accersunt, et ut vana fuerunt eorum studia, et conatus iniqui et molesti aliis, sic in vanitatem abeunt, et in nihilum rediguntur. וּבִטְנָם תָּכִין מִרְמָה *Et venter eorum disponit*, parat, *fraudem*, dolum, quem bifariam intellige, et dolum, quem aliis struere pararant, et dolum, qui in ipsos recidat, fraudem, qua ipsi in perniciem conjiciuntur, ut שֶׁקֶר loco parallelo Ps. 7, 15. *Venter eorum*, i. e. cor et animus eorum. Mens eorum dolum concinnat in alios, et sibi ipsis etiam, quia quod cogitarunt alios fraudare, id illis tandem fraudi est, eos ipsos decipit, quod animo proposuerant, quin votis suis et spe frustrantur.

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 16. 17.

Amarulentus admodum fuerat Eliphasus hoc secundo congressu, nec quicquam prorsus consolationis attulerat, ut supra in primo, ubi Jobum hortatus fuerat, ut ad Deum rediret, pollicens ei amplissima; at nunc, velut ei omnem spem praecidens, de exitio tantum improborum egerat multis verbis. Quare Jobus nunc acriter invehitur in Eliphasum et socios, eosque tum reprehendit, quod vana attulissent et futilia ad se consolandum; tum inanis verbositatis eos taxat, quod eadem saepius ab illis audierit, et quod eadem posset ipse in illos afferre, si ipsi eo loco essent, quo sit ipse. Deinde converso ad Deum sermone conqueritur de amicorum in se injuria, qui, quum sibi bene sit ipse conscius, in tanta vi mali sibi tamen illudant, et acerbius tanquam in pium insectentur, conquisitis etiam et affectatis in se verbis et convitiis, quodque praeterea ab ipso Deo hostilem in modum prostratus confractusque jaceret, quantumvis eundem innocentiae suae testem citare posset. In votum deinde erumpit ardentissimum (16, 20. 21. 22.), ut lites tandem hasce, qui unus possit, decernat, injusteque oppresso et damnato, se vindicem quantocyus praebeat ante, quam miserum spiritum sub iniquissima calamitate et calumnia cogeretur exhalare. Tandem Cap. 17. denuo ad acerbissimam sortis suae complorationem redit, nihilque, nisi mortem, omnium malorum finem, sibi reliquam esse confirmat, quam optet, imo expetat.

CAP. 16, 2. שָׁמַעְתִּי כָאֵלֶּה רַבּוֹת *Audivi talia*, istiusmodi, *multa*, de improborum exitu, quae affertis, vel ex aliis, vel ex vobis ipsis, qui moleste saepe eadem inculcatis. רַבּוֹת potest quoque pro פְּעָמִים רַבּוֹת *multis vicibus* (Ps. 106, 43.), frequenter, sumi. Ita Hieronymus: *audivi frequenter talia.* מְנַחֲמֵי עָמָל כֻּלְּכֶם *Consolatores molestiae*, molesti, *vos omnes*, dum illa, quae et ipse scio, et vera esse fateor, inepte et cum injuria adversus me adplicatis. Cf. supra 13, 4.

3. הֲקֵץ לְדִבְרֵי־רוּחַ *Num finis* est s. erit *verbis venti?* i. e. ventosis, inanibus, futilibus. Retorquetur, quod Eliphasus *Jobus.*

Digitized by Google

supra 15, 2. 3. in Jobum emiserat, telum. אוֹ מַה־יַּמְרִיצָךְ *Aut quid aegre tibi facit?* Hieronymus: *quid molestum tibi est?* quid te exasperavit ita in sermonibus meis? Verbum מָרַץ h. l. alio significatu capiendum, quam supra 6, 25. (ubi pro מָלַץ usurpatum), videlicet ut arab. מרץ *aegrotus fuit*, *male se habuit.* כִּי תַעֲנֶה *Quod*, s. ut *respondeas*, sc. tam duris verbis.

4. גַּם אֲנִי כָּכֶם אֲדַבֵּרָה *Etiam ego sicut vos loquar*, loquerer, loqui possem talia, qualia mihi dicitis, כוּ־יֵשׁ נַפְשְׁכֶם תַּחַת נַפְשִׁי *si esset anima vestra pro anima mea*, si eo loco essetis, quo ego sum, et in eadem miseria versaremini, in qua ego nunc versor. לוּ aliqui h. l. *utinam!* vertunt, ut supra 6, 1. Ita Hieronymus: *atque utinam esset!* Sed praestat, pro *si* capere, ut Jud. 8, 19. 13, 23. Mich. 2, 11., et לַו apud Arabes. נַפְשְׁכֶם *Anima vestra*, i. e. vos ipsi; *anima* pro toto homine, et quasi Pronomen, ut arabicum נַפְשׁ ponitur, ut supra 6, 7. 7, 15. Ps. 57, 5. al. אַחְבִּירָה עֲלֵיכֶם בְּמִלִּים *Consociarem*, congererem, concinnarem *adversus vos verbis*, congestis contra vos verbis vos impugnarem. Alexandrinus: εἶτ' ἐνελοῦμαι ὑμῖν λόγοις, *insultarem vobis verbis.* Sed Hieronymus: *consolarer vos verbis.* Uterque sensum expressit. וְאָנִיעָה עֲלֵיכֶם בְּמוֹ רֹאשִׁי *Et motitarem*, motum irrisorium facerem, *supra vobis capite meo* vos ridens, vobisque illudens. Ridentes caput motitant in eum, quem rident. De gestu irridendi haec phrasis usurpatur et Jes. 37, 22. Jer. 18, 16. infra 19, 18. Sir. 12, 18. Matth. 27, 39. In בְּמוֹ syllaba מוֹ redundat, forsan metri legibus requirentibus addita. Ceterum haec non ita sunt capienda, quod talia se facturum comminetur Jobus, si illi idem paterentur, quasi vindictae cupidus; sed quod sese dicat eadem posse facere, si eodem loco essent, quo ipse est, etsi facere nolit. Monet eos sui officii.

5. Idem ego sane non facerem, quod vos nunc, sed אַאַמֵּצְכֶם בְּמוֹ־פִי *roborarem vos ore meo*, roborarem jacentem animum, et ad perferendam constanter inflictam a Deo plagam confirmarem. וְנִיד שִׂפְתַי יַחְשׂךְ *Et motio labiorum meorum prohiberet* subaudi כְּאֵבְכֶם *dolorem vestrum*, coll. Versu proximo, ubi plena phrasis. Saltem sermonibus meis dolorem vestrum compescere ac lenire conarer. Alii נִיד pro *consolatione* aut *condolentia* accipiunt, ut supra 2, 11. לָנוּד־לוֹ וּלְנַחֲמוֹ *ad condolendum ei et ad solandum*, ut sit: consolatio labiorum meorum vestrum dolorem averteret. Sensus eodem redit. SCHNURRERUS in *Animadverss.* ad h. l. (*Dissertatt.* p. 251.) hoc Versu Jobum existimat perstringere amicos, atque innuere, quae ab ipsis ad animum amici erigendum corroborandumque prolata fuerint, verba tantum esse, non argumenta ex interiore animi sensu firmaque persuasione profecta. Versum integrum sic reddit: *roborare vos possem dictis, et labiorum miseratio haud defutura esset;* ad verbum: *et labiarum miseratio non recusaretur.* Videlicet in posteriore

Digitized by Google

hemistichio pro יַחְשֹׂךְ legendum putat יַחְשָׂךְ, et ante hoc verbum inserendam negandi particulam לֹא, ex Alexandrina et Syriaca versione. Audacior tamen haec recepta lectionis mutatio videtur, nec eorum, qui adhuc inspecti sunt, codicum ullo firmatur. Ad sensum vero quod attinet, quem Schnurrerus huic Versui inesse censet, ego eum hac de causa dubito verum esse, quod tam longe aberant socii, ut erigere Jobum et consolari studerent, vel meris verbis, ut potius suspicionibus et reprehensionibus iniquis dolorem ejus acuerent et augerent. Nec magis probare possumus A. Schultensii interpretationem, quam Dathius sequutus est: *praevalere possem vobis ore meo, ita ut comploratio labiorum meorum cohiberetur.* In qua versione primum illud reprehendendum est, quod אֲאַמִּיצְכֶם *praevalere possem vobis* redditur, contra constantem et perpetuum usum verbi, quod, ubi transitivum est, ut hic, significare solet *firmavit, roboravit* aliquem, vid. e. c. supra 4, 4. Deut. 3, 28. Ps. 89, 22. 2 Paral. 11, 17. Dathii conjecturae, legendum esse in Cal אֶאֱמָצְכֶם, nemo facile quioquam tribuat. Jam vero quum prioris hemistichii sensus unice verus esse debeat hic: *confirmarem vos ore meo;* omnino repugnaret ei posterius hemistichium, si vertatur: *comploratio labiorum meorum cohiberetur*, nisi pro mero lubitu inserta negandi particula textum mutare velis. Ex ea vero, quam superius attulimus, interpretatione hemistichia optime inter se conspirant.

6. Nunc autem eo res meae redierunt, ut nesciam, quo me vertam, aut quid agam. Nam nec loquendo, nec tacendo quicquam proficio, nec aut hoc, aut illo modo quicquam de meo dolore decedit. אִם־אֲדַבֵּרָה *Si loquar*, ut meam innocentiam tuear, לֹא־יֶחְשַׂךְ כְּאֵבִי *non prohibebitur dolor meus;* afflictiones meas mihi objicitis, quae meam impietatem arguant: sin taceam, id mihi fraudi erit, quasi me sontem agnoscam. וְאִם־ pro וְאִם־אֶחְדָּלָה, אֶחְדָּלָה, repetita, ut saepe, particula conditionali, *si desinam loqui* intellige; i. e. si autem taceam, מַה־מִּנִּי יֵהָלֵךְ *quid ad me abibit?* quid de dolore meo propterea abscedet? ne tantillum quidem. Optime Hieronymus hunc Versum reddidit: *Sed quid agam? Si loquutus fuero, non quiescet dolor meus; et si tacuero, non recedet a me.*

7. Inde incipit excurrere ad describendam et amplificandam vehementiam doloris sui, ut tam Deum, quam socios ad misericordiam flectat, sed socios maxime, qui tanta in se asperitate uterentur et crudelitate, utque justum esse suum dolorem et querelam ostendat, se non immerito conqueri, quum tam atrocia et immania patiatur. אַךְ־עַתָּה הֲלָאָנִי *Verum nunc fatigavit me*, aerumnis oneravit ac prorsus delassavit *Deus* scilicet. Sed Aben-Esra כְּאֵבִי *dolor meus* subaudit, quod jam Hieronymus fecit, qui sic vertit: *nunc autem oppressit me dolor meus.* Alii: sermo vobiscum, o socii. Sic secundam personam, quae sequitur,

Digitized by Google

הֲשִׁמּוֹת כָּל־עֲדָתִי *desolasti totum coetum meum*, vel ad *dolorem*, vel ad *socium* referunt, ut sit apostrophe (imo et prosopopoeia, si ad *dolorem* vis cum Aben-Esra sermonem fieri), vel, *tu, o socie*, ut maxime ad Eliphasum, qui inter socios praecipuus erat, et velut ceteros in suam sententiam pertrahebat ac incitabat. Sed praestat, ad Deum dirigi sermonem, quem ubicunque facit calamitatum suarum auctorem. Ne te autem turbet subitus a persona tertia ad secundam transitus, iis familiaris, quos affectus abripit, ut saepius in Psalmis, et in hoc libro. *Desolasti*, o Deus, *totam meam congregationem*, i. e. familiam, liberos et pueros, et mea omnia turbasti ac perdidisti, quin et amicos a me abalienasti. Sunt, qui nomine עֲדָה h. l. *artuum corporis humani congregationem* et *compagem* significari putent, ut R. Levi, qui עֲדָתִי explicat אֲבָרַי *artus meos*. Quam interpretationem jam Hieronymus non solum novit, verum et in sua versione expressit, hoc modo: *omnes artus mei in nihilum redacti sunt*. Alii: *obstupefecisti* (quo significatu verbum שָׁמַם haud raro, veluti Jer. 2, 12. occurrit), attonitam reddidisti, o Deus, *totam familiam meam* et amicos, ob mala, quibus me afflixisti.

8. וַתִּקְמְטֵנִי לְעֵד הָיָה *Et* quod *constrinxisti me*. Verbum קָמַט Chaldaeis et Arabibus significat *constrinxit*, et Arabibus praesertim קמט dicitur de *captivo, qui quadrupes constringitur, pedibus manibusque inter se revinctis*, quo ipso significatu usurpatur ab interprete Chaldaeo Prov. 5, 22. חוֹבוֹי דִּרְשִׁיעָא קָמְטִין יָתֵהּ *peccata improbi constrictum eum tenent*. Videtur ut vox judicialis usurpari: *prehendere aliquem et in jus velut obtorto collo trahere*. Sunt igitur nostra verba sic explicanda: *quod me constrinxisti*, his veluti vinculis dolorum constrictum tenes (similis figura supra 11, 10. 12, 14. 13, 27. infra Vs. 11.), ne qua elabi queam, *est testimonio*, testimonium fert in me. Alexandrinus: *καὶ ἐπελάβου μου· εἰς μαρτύριον ἐγενήθη*. Cepit קָמַט *comprehendendi* notione. Accuratius verbi illius significationem expressit Symmachus: *κατέδησάς με ἀδιαλείπτως ἐν ζυγῷ*, *colligasti me assidue in jugo*. Pro לְעֵד legit לָעַד *in perpetuum*. וַיָּקָם בִּי כַּחְשִׁי בְּפָנַי יַעֲנֶה *Surgitque in me macies mea et in faciem meam* s. *mihi respondet*, palam mihi quasi contradicit, ac testatur, me a Deo irato ob scelera graviter puniri. כַּחַשׁ, alias *mendacium*, h. l. *maciem* significat, sicuti et verbum כָּחַשׁ pro *attenuari*, et *macilentum esse* reperitur Ps. 109, 24., ad quem loc. not. cf. Et Chaldaeus interpres Jonathan Gen. 41, 27. hebraea הַפָּרוֹת הָרַקּוֹת *vaccas macilentas*, reddidit הוֹרְתָא כְּחִישָׁתָא. Verbum עָנָה *profatus est*, cum ב constructum significat *testari contra*, ut Deut. 19, 16. Ruth. 1, 21. Jes. 3, 9. Non sine emphasi dicit בָּפָנַי (pro simplici בִּי) *in faciem* quasi palam contra me testatur.

9. אַפּוֹ טָרַף *Ira ejus discerpsit*, non Eliphasi, aut uniusquisque sociorum, ut quidam volunt, sed Dei (ad quem verba

Digitized by Google

הֶלְאָנִי, הֲשִׁמּוֹתָ, תִּקְמְטֵנִי Vs. 7. 8. pertinent, et mox infra Vs. 11. diserte *Dei*, auctoris suarum calamitatum meminit), quem leoni aut alii saevae ferae comparat, quod in afflictos saevire videtur, et illis adversarius esse. Sic et Hos. 6, 1. dicitur: *redeamus ad Jovam*, כִּי הוּא טָרַף *nam ille discerpit*, *verum et sanat nos.* Similes descriptiones saevitiae et irae affligentis Dei vid. Thr. 1, 12. 13. 2, 4. 5. חָרַק עָלַי בְּשִׁנָּיו *Frendet coram me dentibus suis*, ita nocendi et adversandi mihi studium declarans. צָרִי יִלְטוֹשׁ עֵינָיו לִי *Hostis mei* instar *exacuit*, expolit et velut detergit *oculos suos mihi*, in me, i. e. oculos suos, ut recte Hebraei exponunt, יַבְרִיק *fulgurare facit* et micare, aciem oculorum in me vibrat. Hieronymus: *terribilibus oculis me intuitus est.* לָטַשׁ proprie *gladium detergere* et polire significat, ut micet et splendeat ad terrorem, ut Ps. 7, 13. Simili figura Deum ut *adversarium* suum describit Jobus supra 13, 24. et infra 19, 11.

10. Amicis meis utitur ministris, per quos suam in me exsequatur iram. פָּעֲרוּ עָלַי בְּפִיהֶם *Rictum faciunt contra me ore suo*, veluti rictu suo ferarum more hiant ad me devorandum. בְּחֶרְפָּה הִכּוּ לְחָיָי *Cum probro percusserunt maxillas meas*, proverbialis dicendi modus, quo contumelia significatur gravissima, quocunque modo ea imponatur alicui. Cf. Mich. 4, 14. Ps. 3, 8. Hoc loco dicitur de convitiis, in se jactatis, quae eum non minore pudore suffuderunt, quam si facies impacto sibi colapho foedata esset. יַחַד עָלַי יִתְמַלָּאוּן *Una*, ad unum omnes et unanimi sententia (ut supra 6, 2. Ps. 41, 8.) *contra me pleno numero sese congregant*, quod apte in socios quadrat, qui unanimiter eum oppugnabant illudentes et pro impio habentes. Verbum יִתְמַלָּאוּן quidam vertunt *explentur*, i. e. satiantur malis meis. Ita Hieronymus: *satiati sunt poenis meis.* Sed optima et simplicissima explicatio ex Arabica dialecto est repetenda, in qua verbum consonum *plenus fuit*, in Conjugat. 6., quae conjugationi Hithpael respondet, de *pleno consensu impetuque conspirantium* dicitur. Cf. Jes. 31, 4. Jerem. 51, 11. 1 Sam. 18, 27., ubi יִתְמַלֵּא significat *pleno numero congregari.*

11. Cum acerbo in se animo impetuque amicorum connectit acerbitatem, quam a reliqua turba malevolorum et improborum hominum experiebatur, qui ejus casui illudebant et insultabant. יַסְגִּירֵנִי אֵל אֶל עֲוִיל *Conclusit*, aut veluti vinctum et captivum *tradidit me Deus iniquo*, perverso, i. e. potestati iniquorum me permisit: amicos simul pangit, qui se, Jobum, illudendo, criminandoque, turbae perversorum et improborum sociasse videbantur. Verbum הִסְגִּיר (de quo cf. not. ad Ps. 31, 9.), quod alias vel cum Accusativo, ut 1 Sam. 23, 20. 24, 19. Thren. 2, 8., vel cum לְ construi solet, ut Amos. 1, 6. Ps. 78, 48. 50. 62., h. l. cum אֶל construitur, ut Deut. 23, 16. עֲוִיל i. q. עַוָּל infra 18, 21. 27, 7. 29, 17., *iniquus*, unde עַוְלָה *iniquitas*, *perversitas*, ab עִוֵּל *inique*

Digitized by Google

egit, Jes. 26, 10. Ps. 71, 4., coll. arab. عول *declinavit*, *justum modum excessit*. Alia significatione infra 19, 18. 21, 11. pluralis עֲוָלִים occurrit, *infantes* significans, unde et aliqui h. l. vertunt: *Deus in potestatem* ac ludibrium *infantium me tradidit*, ut nec ab eorum petulantia immunis sim. Male; nam *iniquitatis* notionem h. l. poscit hemistichiorum parallelismus, quum in sequenti hemistichio רְשָׁעִים positum sit. וְעַל־יְדֵי רְשָׁעִים יְהַטֵּנִי *Et in manus impiorum dejecit*, praecipitem dedit *me*. יְהַטֵּנִי pro יְרַטֵּנִי prima radicali per syncopen elisa, a verbo יָרַט, arab. ورط *in exitium conjecit*, *praecipitavit*. Alii referunt ad radicem רָטָה *projecit*.

12. Miserationem movet a priori statu, quod cum antea summa felicitate frueretur, et rerum omnium successu, nunc fortunis omnibus sit eversus, et res suae accisae. Quis talis hominis vicem non doleat? quem illius non misereat? שַׁלְוָ הָיִיתִי *Tranquillus eram*, quietus, felix, cf. supra 3, 26. infra 20, 20. 21, 23. וַיְפָרְפְּרֵנִי *Sed contrivit me* Deus, coll. arab. فَرْفَر *confregit*, *conscidit*que *rem*, nec non *commovit*, *conturbavit*, unde Jes. 24, 19. הִתְפּוֹרְרָה אֶרֶץ *commota*, agitata *est terra*. Hieronymus: *ego ille quondam opulentus*, *repente contritus sum*. וַיֹּאחֶז בְּעָרְפִּי וַיְפַצְפְּצֵנִי *Apprehenditque cervicem meam et me confregit*, comminuit quasi in fragmenta, ut Jer. 23, 29. וּכְפַטִּישׁ יְפֹצֵץ סָלַע *et sicut malleus diffringit petram*, ut in fragmenta dissiliat, coll. arab. فصّ *diffregit dissipavitque*. Ut si quis potens et robustus imbecillum quempiam cervice et capillis prehensum humi collidat, ita secum actum dicit. וַיְקִימֵנִי לוֹ לְמַטָּרָה *Et erexit me sibi*, ac statuit, proposuit, *scopum*, in quem sagittas ejacularetur et tela omnia, in quem collimaret. *Scopus* a *speculando*, *observando* (arab. نَظَر, unde مِنْظَرَة *specula*) hebraice appellatur, ut Graecorum σκοπὸς a σκέπτομαι, quod eum in finem observent sagittarii, ut eo colliment et dirigant sua jacula. Eodem modo Jeremias expressit suum dolorem Thren. 3, 12. *Tetendit arcum suum*, וַיִּדְרְכֵנִי כַּמַּטָּרָא לַחֵץ *et posuit me quasi scopum sagittae*.

13. Quod de ipso Deo dixerat, jam dicit de ejus ministris, ab eo suscitatis, quibus ille ad Jobum affligendum utatur. יָסֹבּוּ עָלַי רַבָּיו *Circumdant contra me*, me undiquaque oppugnantes circumvallant et cingunt (quomodo verbum סָבַב cum עַל constructum et Jud. 20, 5. 2 Par. 18, 31. dicitur) *jaculatores* s. sagittarii *ejus*, ut undiquaque me jaculis petant in medio eorum positum. רַבִּים veteres omnes *jacula*, *sagittas*, interpretati sunt, sed aptius videtur *jaculatores*, *sagittarios* intelligere, a רָבַב, quod Gen. 49, 23., ut רָבָה Gen. 21, 20. *jaculari* denotat. Ortum forsan ex רָמָה, consueta literarum ב et מ permutatione. יִפַּלַּח כִּלְיוֹתַי וְלֹא יַחְמֹל *Diffindit jaculis*, vel Deus, sagittariis illis tanquam ministris suis usus vel unusquisque eorum, *renes meos*, *nec parcit*, nullam Dei in me misericordiam, sed omnigenam

Digitized by Google

saevitiam experior. Significat autem, ad intima usque penetrare dolorem. וישפך לארץ מררתי *Effundit in terram fel meum*, fellis vasculum disrupit, proscindente sagitta, ut nihil mihi ad vitam reliquum sit visceribus effusis. מְרֹרָה idem quod arabicum مرارة *folliculum bilis, quod hepati adhaeret.* Similiter Jeremias Thren. 2, 11. נִשְׁפַּךְ לָאָרֶץ כְּבֵדִי *effusum est in terram hepar meum*, i. e. mortifero vulnere jaceo confixus, absque ulla spe restitutionis. Eadem figura Graecis solennis, observante A. Schultens, qui ex Aeschyli Agamemnone Vs. 801. adfert: *ὀῖγμα λύπης ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται, morsus doloris ad jecur pertingit.* Hieronymus pro *felli* posuit *viscera*, ut sit synecdoche, pars pro toto, quae et Grotii est sententia.

14. Nova figura suas calamitates exaggerat. Arcis instar mole belli circumsessae, tormentis validissimis oppugnari se dicit. יפרצני פרץ על־פני פרץ *Perrumpit me ruptura super ruptura*, i. e. rupturis assiduis et se invicem continenter excipientibus. De *murorum ruptura* tam verbum פָּרַץ 2 Reg. 14, 13. Jes. 5, 5. Ps. 80, 13. Neh. 4, 7., quam nomen פֶּרֶץ 1 Reg. 11, 27. Neh. 6, 1. Jes. 30, 13. Hieronymus: *concidit me vulnere super vulnere.* ירץ עלי כגבור *Currit contra me*, s. ut recte Hieronymus: *irruit in me ut fortis*, ut strenuus quispiam bellator, cui repugnare inferior viribus hostis nec audet nec potest.

15. Luctui ac moerori perpetuo me video damnatum, eoque plagis hisce coelestibus redactum, ut numquam iterum caput erigere possim, sed in cinere, sacco, squalore publico mihi sit emoriendum. שַׂק תָּפַרְתִּי עָלַי גִּלְּדִי *Saccum*, cilicium, vilissimum lugencium habitum (Gen. 37, 34. 2 Sam. 3, 31. Jes. 3, 24.) *consui super cutem meam.* ועלתי בעפר קרני *Et immisi in pulverem cornu meum*, quo alii, ut inter veteres Syrus, *caput* intelligunt, ut pulvere conspersisse se caput significet, alii vero, quod et nos malimus, dignitatem et splendorem omnem pristinum, quem nunc in abjectionem et contemtum converterit, ac veluti pulvere et cinere, in quo sedebat, adsperserit ac foedaverit. Metaphora a bobus et ejusmodi cornutis animantibus, quibus in cornibus robur est positum, sumta, *cornu* pro robore, dignitate, gloria et splendore sumitur. Cf. Deut. 33, 17. Ps. 75, 5. et ad eum loc. not. Ita h. l. Alexandrinus: *τὸ δὲ σθένος μου εἰς γῆν ἐσβέσθη.* Et Chaldaeus: *conspersi pulvere gloriam meam.* עלתי *Indidi*, coll. arab. علّ *inimisit, indidit* rem rei, *ingressus est*, quae usitata Aramaeis significatio, vid. Dan. 2, 16. Sic victi et superati prostrati et *abditi in pulvere* dicuntur infra 40, 13. cf. Jes. 2, 10. Thren. 3, 29.

16. פָּנַי חָמַרְמְרוּ מִנִּי־בְכִי *Facies meae valde rubuerunt a fletu*, adusta quasi tumidaque reddita est facies mea prae nimio fletu. חָמַרְמְרוּ Aben-Esra ex arabico حمر *rubuit* recte explicavit: בִּלְשׁוֹן קֵדָר הִתְאַדְּמוּ מֵרוֹב הַתּוֹם *in lingua Arabica, ru-*

Digitized by Google

bescunt ex nimio aestu. Forma est duplicata ad augendam significationem. Sensum bene expressit Hieronymus: *facies mea intumuit a fletu.* Quod Thren. 2, 11. exstat חֲמַרְמְרָה *fermentandi, aestuandi* notionem habet, convenitque cum arabico حمر, cf. not. ad Ps. 46, 4. Est autem duplex h. l. lectio: tertia feminini scribitur חֲמַרְמֶרֶת, sed quia nomen פָּנִים *facies* plurale est, ideo judicarunt extrinsecus ad marginem legendum חֲמַרְמְרוּ, ac quum literas non mutarent in contextu, per Kibbuz ibi scripserunt חֲמַרְמֶרֶת, habentes rationem lectionis חֲמַרְמְרוּ ad marginem notatae. וְעַל עַפְעַפַּי צַלְמָוֶת *Et super palpebris meis est umbra mortis*, multa ac diuturna lachrymarum profusione, densissima caligo obducta est oculis meis, obtenebrescit oculorum lumen et acies. Similes prorsus querelas vid. Ps. 6, 8. 38, 11. Thr. 5, 17.

17. Haec atrocia perfero עַל לֹא־חָמָס בְּכַפָּי *super non injuria in manibus meis*, i. e. non obstante liquidissima mea innocentia. עַל לֹא *Quamvis non*, ut Jes. 53, 9. לֹא־חָמָס עָשָׂה *quamvis non injuriam fecerat.* Cf. supra 10, 7. וּתְפִלָּתִי זַכָּה *Et oratio mea* est *pura* sc. ab hypocrisi, cujus me subinde accusatis, cf. 8, 6. 11, 4. Haec patior, cum pius sim, in Deum et homines officio functus. Posterioribus verbis forsan occurrere voluit illi, quod Eliphasus objecerat supra 15, 4., quod tolleret preces ad Deum.

18. אֶרֶץ אַל־תְּכַסִּי דָמִי *O terra, ne tegas sanguinem meum*, ut quasi auferatur a conspectu Dei (coll. Gen. 4, 10. 11. 37, 26. 1 Sam. 26, 20. Jes. 26, 21.), i. e. utinam dolores, quibus excrucior, Deo hominibusque patefiant. Optat, ne sanguinem suum terra tegat prius, quam ipsius innocentiam in Versu praeced. adsertam, detexisset. וְאַל־יְהִי מָקוֹם לְזַעֲקָתִי *Nec sit locus clamori meo*, ubi scilicet lateat, sed recta in coelum feratur. Optime Hieronymus: *neque inveniat in te* (terra) *locum latendi clamor meus.*

19. גַּם־עַתָּה — בַּמְּרוֹמִים *Etiam nunc ecce! in coelo* est *testis meus, et conscius meus in excelsis.* Nec ego sane frustra meam innocentiam vendito, aut immerito tribuo; est et mihi in coelis testis Deus. שָׂהֵד A. Schultens nimis subtiliter ex arabico شاهد *testem oculatum*, qui quod praesens *vidit*, non solum quod *audivit*, attestetur, significare putat. Sed idem valet quod עֵד in priori hemistichio; cf. cognatum substantivum Gen. 31, 47.

20. Ideo vero divinum judicium ac testimonium imploro, quia מְלִיצַי רֵעָי *illusores mei* ipsi *socii mei*, quorum erat, dolorem meum consolatione lenire, meque a calumniis aliorum defendere. מְלִיץ a verbo לוּץ (de quo cf. not. ad Ps. 1, 1.) *irrisor*, ut Ps. 119, 51. Prov. 3, 14. 19, 28. 29. Hieronymus: *verbosi amici mei.* Cepit מְלִיץ pro *eloquente*, quod apud seriores Hebraeos מְלִיצוּת est *eloquentia, facundia*, a מְלִיצָה *interpretatio, explicatio* (Prov. 1, 6. Hab. 2, 6. et מֵלִיץ *interpres* Gen. 42, 23.),

Digitized by Google

cum obscurius et concisum dictum uberiore sermone explanatur. Idem Chaldaeus spectasse videtur, qui פְּרַקְלִיטַי *consolatores mei* vertit, quia consolatores selectis verbis et disertis ad consolandum uti oportet. Sed plane incongrua huic loco sententia: *consolatores mei amici mei.* אֶל־אֱלוֹהַּ דָּלְפָה עֵינִי *Ad Deum stillat oculus meus*, ab amicis destitutus ad amicum et consolatorem certiorem confugiendum mihi est.

21. וְיוֹכַח לְגֶבֶר עִם־אֱלוֹהַּ וּבֶן־אָדָם לְרֵעֵהוּ *Utinam disceptare possit vir cum Deo, ut homo arguit socium suum*, utinam liceret homini perinde cum Deo disputationem instituere, et aeque ac cum altero homine disputat. Sperarem me causam meam apud illum evicturum, ac probaturum innocentiam meam. Cf. supra 13, 3. וְיוֹכַח לְגֶבֶר concise dictum pro וּמִי־יִתֵּן לְגֶבֶר שֶׁיּוֹכַח *et quis det*, i. e. utinam concedatur, *viro, et disceptet* etc. Praefixum וּ ante posterioris hemistichii vocem priorem בֶּן־אָדָם h. l. *adaequationis* significatu capiendum, pro כְּ, ut supra 5, 7. Constructio est sic concipienda: וְיוֹכַח בֶּן־אָדָם לְרֵעֵהוּ *sicut arguit homo socium suum;* verbum יָכַח construi solet cum ל, ut hoc nomini ejus, qui est convincendus, aut quocum disceptatur, praeponatur, vid. Jes. 2, 4. 11, 1. Mich. 4, 3. Prov. 9, 7. Positum igitur est pro עִם, ut עִם־אֱלוֹהַּ in priori hemistichio.

22. כִּי־שְׁנוֹת מִסְפָּר יֶאֱתָיוּ *Nam anni numeri*, i. e. pauci, qui definiti mihi sunt ad vivendum, *venient* scil. ad terminum, brevi appetet tempus mortis, sive, uti vult Pareau in Commentat. *de immortalitatis notitiis* p. 143. not., יֶאֱתָיוּ ponitur, per frequentem in Jobi libro ellipsin, pro יֶאֱתוּנִי sive יֶאֱתִיוּ אֵלַי *venient mihi;* וְאֹרַח לֹא־אָשׁוּב אֲהַלֵּךְ *et viam* qua *non sum rediturus, ibo.* Propterea priusquam hinc migrem, tantisper dum vivo, optarim cum Deo contendere, ut ante mortem jus causae meae intelligam, et causae meae bonitatem ac justitiam aperiam. שְׁנוֹת מִסְפָּר *Anni numeri*, i. e. breves ac pauci, ut Gen. 34, 30. מְתֵי מִסְפָּר *viri numeri*, i. e. pauci. Nam quae pauca sunt facile numerantur. Cf. not. ad Ps. 105, 12. *Semitam, qua non sit rediturus*, mortem intelligit, ex qua in hanc vitam nullus datur regressus. Cf. supra 20, 21.

Cap. 17, 1. רוּחִי חָבֵלָה *Spiritus meus corruptus*, perditus, *est*, spiritus scilicet vitalis, et omnes animae meae facultates vitales, quibus haec vita continetur, exhaustae et consumtae. Alii referunt ad halitum putidum eorum, qui elephantiasi laborant. יָמַי נִזְעָכוּ *Dies mei exstincti sunt*, i. e. exstincta jam paene est vita mea. Hieronymus: *breviabuntur.* נִזְעָכוּ pro נִדְעָכוּ, permutatione literarum ז et ד frequentissima; ut pro hebraeo זָהָב Chaldaei dicunt דְּהַב; pro זָכָר *mas*, דְּכַר; pro זָבַח, דְּבַח, et id genus alia. קְבָרִים לִי *Sepulchra mihi* scil. עֲתִידִים s. מוּכָנִים

Digitized by Google

parata sunt; nihil mihi superest, nisi ut in aliquo sepulchrorum condar. קְבָרִים *Sepulchra*, quibus in meo jungendus sum. Alii: unum aliquod ex *sepulchris*, ut Jud. 12, 7. *Sepultus est Jephta* בְּעָרֵי גִּלְעָד *in urbibus Gilead*, i. e. in aliqua terrae Gileatidicae urbe.

2. אִם־לֹא הֲתַלִּים עִמָּדִי *Annon illusiones mecum?* nonne mihi constanter a sociis illuditur? Dictionem אִם־לֹא aliqui sic capiunt: *si non* sunt, sc. *ita mihi faciat Deus!* ut sit aposiopesis, s. formula jurandi, ut supra 1, 11. Jos. 4, 19. Quod tamen durius h. l. videtur. Simplicius est, *annon* interpretari, ut infra 30, 25. וּבַהַמְרוֹתָם תָּלַן עֵינִי Et nonne *in adversando eorum pernoctat*, commoratur, *oculus meus?* assidue in id oculos et mentis aciem intentam habeo, quod illi sese mihi assidue acriterque opponunt; in eo defixae sunt omnes meae cogitationes. תָּלַן *Pernoctat* sunt qui exponant proprie, quod insomnes noctes ducat, et pervigilem oculum habeat ob eorum oppositiones, ut noctu cogitaret, quid illis responderet. Sed mentis oculum intelligere praestat, quod nihil aliud animo versat. בַּהַמְרוֹתָם Infinitivus Hiphil (Dagesch in מ est euphonicum) nominascens cum suffixo activo, ad verbum: *et in adversari eorum*, i. e. in eo, quod mihi contentiose adversantur, et acerbe me exagitant. Verbum מָרָה convenit cum harmonico arabico *contumaciter alicui resistere, contendere disputando;* et in Conjug. 3. *cum illo disputavit, contendit, litigavit.* Pareau אִם־לֹא initio Versus elliptice positum capit pro אִם־לֹא הָיְתָה כֵּן *si non esset ita*, et totum Vs. sic reddit: *Sin minus, ludibria me manerent diutius istorumque petulantiae me longius expositum viderem.*

3. Sermonem jam converti ad Deum, non, ut quidam volunt, ad Eliphasum, arguit Versus proximus. Prosequitur autem Jobus votum, quo optabat (supra 16, 31.), cum Deo sibi licere contendere; et eo provehitur, ut optet, velit Deus pro se ipso spondere quasi, se potentia et majestate sua non oppressurum esse innocentiam Jobi, sed justissimae causae victoriam esse daturum, vel contra semet ipsum. Provocatio non minus audax supra 13, 18. 19. Ad שִׂימָה־נָּא *ponas quaeso*, subaudiendum est עֲרֻבוֹן *pignus* (ἀρραβών), ex verbo, quod proxime sequitur, עָרְבֵנִי. Eodem modo Arabes utuntur suo وَضَعَ *posuit* (hebraeo שׂוּם prorsus synonymo), pro eo quod plene esset *posuit*, deposuit, *pignus*, praesertim in Conjug. 3. وَاضَعَ *deposuit pignus, deposito pignore certavit.* עָרְבֵנִי עִמָּךְ *Fidejube mihi*, oppignera mihi, *tecum*, pro temet ipso, pignore deposito pro te spondeas, te staturum iis, quae judicata fuerint in hac contentione, quae mihi tecum intercedit, ut te non tanquam judicem geras, tua utens majestate, sed tanquam litigatorem. מִי־הוּא לִידִי יִתְקָע Sed *quis* est, qui (subaudiendum relativum, ut 3, 3. 15. 16. 16, 22. et saepissime) *manui meae complodetur*, s. *manui meae infixa sua manu obli-*

Digitized by Google

getur, i. e. qui mihi stipulabitur, et paciscendo manibus invicem complosis pro te spondeat? sit fidejussor pro te? In stipulationibus et sponsionibus frequentata semper fuit manuum complosio, unde Prov. 6, 1. 11, 15. 17, 18. 22, 26. ea phrasis pro *pacisci*, stipulari, spondere aut fidejubere sumitur. Audacius aequo Jobus cum Deo agit, quantumvis alioqui jure causae suae fretus, ut, quem judicem revereri debuerit, eum in certamen provocet. Sed huc eum importunitas adversariorum adigit, ut pro innocentia sua tuenda nihil non moliatur, et quia sibi nolunt credere socii, ad Deum provocet, quem sibi persuadeat ita iniquum sibi non fore, ut erant adversarii, sed jus suum sibi servaturum.

4. Rationem reddit audaciae, qua Deum ipsum sponsione lacessiverat; nempe, quod alias numquam haec lis decidi posset, amicis in hac controversia plane caecutientibus, et omnia susque deque miscentibus. כִּי־לִבָּם צָפַנְתָּ מִשָּׂכֶל *Nam cor eorum abscondisti ab intelligentia*, mentem illis obturasti, et praepedisti, ne quid intelligere queant, עַל־כֵּן לֹא תְרוֹמֵם *itaque non extolles, illos* scilicet, λιτότης, quasi diceret: non declarabis eos in hac lite victores, imo vero eos redargues et punies, coll. Vs. seq.

5. לְחֶלֶק יַגִּיד רֵעִים *In praedam* qui *annunciat socios*, i. e. qui miserorum calamitatibus insultando, eos veluti spolium, aut praedam publicam praebet diripiendos, omnibusque modis lacerandos. חֵלֶק *Praedae portio* Gen. 14, 14. 1 Sam. 30, 24. יַגִּיד *Annunciat*, i. e. prodit, manifestat, publice exponit. Dicit autem רֵעִים, non in singulari רֵעַ, se ipsum innuens, quod generalis est sententia, in qua numerus pluralis omnino requirebatur. Innuit, socios esse tam infideles amicis suis, ut eos prodere, et vel hostibus praedam facere haud erubescant. Quod facinus iis ideo imputat, quod causam ipsius prodebant et deserebant, ut etiam contra ipsum steterint, et causam inimicorum susceperint. וְעֵינֵי בָנָיו תִּכְלֶינָה *Et oculi filiorum esurescent*, non invenient, quod exspectabant, sed spes suas evanescere et concidere videbunt; id enim significare כָּלְיוֹן עֵינַיִם, vidimus supra ad 11, 20. In priori hemistichio חֵלֶק quidam pro *blandimento* accipiunt, quomodo et Prov. 7, 21. usurpatur, praefixo ל autem *modum agendi* (ut Jes. 32, 1.), i. e. *per blandimentum*, per modum assentationis agendo, significari putant. Unde Versum sic interpretantur: *qui adulando socios prodit, ejus filiorum oculi contabescent.* Adulabantur enim socii Deo, ejus personae rationem habentes, id quod illis supra 13, 8. 9. 10. exprobrarat.

6. Ad querelas redit de doloris qui aerumnarumque magnitudine. וְיֹתְנֵנִי מְמָשָׁל עַמִּים *Constituit me in proverbium populorum*, ad verbum: *in proverbium facere populorum*, nam מְמָשָׁל est infinitum, i. e. ita me afflixit, ut sim vulgi fabula; ut מָשָׁל et dicitur Deut. 28, 37. Jerem. 24, 9. Ps. 44, 15. 69, 12. וְתֹפֶת לְפָנִים אֶהְיֶה *Et res exspuenda in faciem sum*

Digitized by Google

factus; abominationi publicae sum expositus, detestantur me omnes. תֹּפֶת explicandum est ex arabico תפף *detestatus est exspuendo et dicendo* تُفْ *phy!* Solent enim Arabes cum turpe quid vident vel audiunt ab alio pronunciantes quasi illud *tuffa*, i. e. *phy!* exspuere, et fronte contracta diras ei fovere. Convenit igitur significatio vocis hebraicae et arabicae cum aramaeo רֻקָּא, ῥακά, Matth. 5, 22., quod a verbo רקק *spuit, conspuit*, proprie *sputatilicum*, καταπτυστὸν, denotat. Fuerunt, qui nostrum תֹּפֶת idem notare quod תֹּף *tympanum* existimarent, verterentque: *et tympanum faciebus*, i. e. hominum conspectui, palam omnibus, *sum*, q. d. publicum ostentum, ludibrium publicum, sicut supra 12, 4. dixerat, שְׂחֹק לְרֵעֵהוּ אֶהְיֶה *risus amico ejus sum.* Quomodo et gallico proverbio dici solet *Je suis mené au tambourin*, quum quis significat se ludibrio esse. In qua interpretatione tamen molestum est vox לְפָנִים, quod pro *palam, publice* nusquam alias dicitur, egregie vero convenit priori explicationi: *abominatio despuenda in faciem*, sicut Num. 12, 14. וְאָבִיהָ יָרֹק יָרַק בְּפָנֶיהָ *si pater ejus in faciem ei spuit;* et Deut. 25, 9. וְיָרְקָה בְּפָנָיו *et spuat in faciem ejus.*

7. וַתֶּכַהּ מִכַּעַשׂ עֵינִי *Caligat prae indignatione oculus meus*, ut moribundis, vel animi deliquium patientibus, quibus visus frangitur. Cf. Ps. 6, 8. 31, 10. כָּהוּת *Hebescere*, de oculis senis fessis 1 Sam. 3, 2. legitur. Item פִּשְׁתָּה כֵּהָה *ellychnium hebescens*, cujus vigor elanguescit et exspirat, et רוּחַ כֵּהָה *spiritus hebetatus*, cujus vigor fractus et exspirans quasi. De oculis hebescentibus et caligantibus dicitur quoque Gen. 27, 1. Deut. 32, 7. 1 Sam. 3, 2. כַּעַשׂ vero, *indignatio*, h. l. animi moestitiam indicat, ut supra 6, 2. A. Schultens mallet עַיִן de *externa specie corporis* et *adspectu ejus* intelligere, ut et Arabes item nomen et Graeci ὄμμα solent usurpare (cf. not. nostr. ad Ps. 6, 8.), unde vertit: *hebescit, obscuratur adspectus meus; factus sum* ὄμμα τυφλὸν, *evanidum quoddam spectrum*, umbra pallida, lurida, exsanguis potius, quam homo vivus. וְיִצְרֵי כַּצֵּל כֻּלָּם *Et formata*, i. e. membra *mea sicut umbra omnia illa*, ita consumti et emaciati sunt omnes artus mei, ut cum tenui umbra comparari queant. Ita et Livius L. XXI. 40. *Effigies, imo umbrae hominum; fame, frigore, illuvie, squalore enecti, contusi, debilitati inter saxa rupesque.* Similiter *Οἰδίπου σκιὰν, Oedipi umbram venerandam* vocat Aeschylus in *VII. ad Theb.* Vs. 984. ipsum Oedipoda, quod, monente Scholiaste, τυφλωθεὶς, εἴδωλον εἶναι ἐδόκει, καὶ οὐ τέλειος ἄνθρωπος. יְצִירִים ἅπαξ λεγόμενον, propr. *formata*, esse formas figurasque corporis per omnia sua membra, a verbo יָצַר *finxit, formavit*, docet contextus.

8. יִשֹּׁמּוּ יְשָׁרִים עַל־זֹאת *Obstupescent recti super hoc*, propter hoc, quod ita scilicet ego, quum sit innocens, affligar atrociter. Et hoc quidem, quod piis saepe gravissimae plagae

Digitized by Google

infliguntur, dum improbis omnia prospere cedunt, istius aetatis homines fere attonitos reddidit, ut auctorem Psalmi 73, Jeremiam, 12, 1. sqq., Habacucum, initio suae prophetiae, et alios. וְנָקִי עַל־חָנֵף יִתְעָרֶר *Sed innocens adversus impium sese excitabit*, scilicet ad causam probitatis et virtutis adversus improbitatem strenue defendendam. Quamvis bonus et innocens rideatur ab impio, quod quantumvis strenuus Dei et virtutis cultor, tamen affligatur, quum illi interim bene sit; haud tamen propterea desiderio ducetur ejus sequenti, et ei se adjungendi; quin potius in malis et aerumnis sese excitabit innocentia sua fretus, ut ejus sententiam impugnet, et ei firmiter resistat. Verbum הִתְעָרֶר significat *excitationem sui ipsius ad strenuitatem et vigorem*, ut Jes. 51, 17. 64, 6. חָנֵף non tam *hypocritam*, ut vulgo h. l. vertunt, quam *improbum* significat, vid. ad Ps. 35, 16. Alii exponunt עַל־חָנֵף *super*, i. e. propter *impium*, quod prosperetur, ut in priori hemistichio עַל־זֹאת; sed rectius sumitur: *adversus impium*, ut ei resistat, dum propter mala inflicta fidem pii et probi vult labefactare, quasi non esset ita afflictus, si impius esset. Quem sensum arguit Versus proximus.

9. וְיֹאחֵז צַדִּיק דַּרְכּוֹ *Et tenebit justus viam quam*, haud propterea desinet via recta insistere, in sua pergere innocentia, sese adversus improborum sectam obfirmans et armans fide ac spe in Deum, et sua fretus innocentia. Sic Psaltes 73, 2. *gressus suos tantum non effusos* dicit, quod est oppositum nostrae loquutioni, sed tandem ad se rediisse viresque collegisse. וְטָהֳר־יָדַיִם יוֹסִיף אֹמֶץ *Et purus manuum*, integer vitae scelerisque purus (cf. Ps. 24, 4.), *addet robur*, velut novas subinde vires colliget, ut innocentiae studeat, quanto magis affligitur, aut se risui esse videt malis.

10. וְאוּלָם — תָּשֻׁבוּ *Verum quantum ad universitatem eorum*, sociorum meorum, attinet, s. *quotquot estis*, mutatis personis, *revertimini*, iterum adeste, *et accedite* modo ad me oppugnandum, *neque* enim *inveniam inter vos sapientem*. Nam felicia quaevis mihi promittitis, modo a sceleribus, quorum me reum peragitis, desisterem. Sed vana est haec vestra consolatio, quum vitae meae tempus ad finem vergat, ut in iis quae sequuntur dicit.

11. יָמַי עָבְרוּ זִמּוֹתַי נִתָּקוּ *Dies mei praeterierunt*, jam senex sum omnibusque viribus exhaustus, *cogitationes meae* de longa et felici vita, quas ante haec fata mea conceperam, *abruptae sunt*, מוֹרָשֵׁי לִבִּי *possessiones cordis mei*, i. e. cogitationes, ut dixerat, sc. נִתָּקוּ *abruptae sunt;* q. d. ea, quae maxime mihi cordi erant, spes meae carissimae, quas velut possessiones hereditarias fovebat cor meum, plane sunt abruptae.

12. לַיְלָה לְיוֹם יָשִׂימוּ *Noctem in diem ponunt*, i. e. ponitur, ut saepe alias verba tertiae personae masculina, tam singularia,

Digitized by Google

quam pluralia, impersonaliter ponuntur, veluti Prov. 9, 11. וְיוֹסִיפוּ שְׁנוֹת חַיִּים *addent tibi annos vitae*, i. e. anni addentur. Dicit igitur, noctem in diem sibi esse versam, noctem doloribus insomnem sibi vice diei esse. אוֹר קָרוֹב מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ *Lux propinqua est a facie tenebrarum*, quod quidam ita explicant: parum abest a facie tenebrarum, adeo vicina est et affinis tenebris, ut faciem, vultum, speciem tenebrarum habere videatur. Sed מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ est pro simplici מֵחֹשֶׁךְ dictum, quum nihil frequentius sit redundantia vocis פָּנִים; קָרוֹב autem cum seq. מ vel מן constructum, de eo dicitur, quod *prope abest ab aliquo*, i. e. ei propinquum est. Sensus igitur: *lux propinqua tenebris*, vixdum ortus est sol, cum statim iterum ingruunt tenebrae. Nox, inquit, est mihi tanquam dies, quia ob dolores et curas insomnem transigo, dies vero et lux brevissima et nulla fere mihi prae tenebris malorum.

13. אִם־אֲקַוֶּה שְׁאוֹל בֵּיתִי *Si*, etiamsi ex vestro *suasu exspectabo*, s. exspectare vellem sc. lucem, i. e. restitutionem vitamque feliciorem, tamen *orcus* erit *domus mea*. בַּחֹשֶׁךְ רִפַּדְתִּי יְצוּעָי *In tenebris fulcivi strata mea*, mox in sepulchro quiescam, quod erit mihi loco strati et lecti mollis. חֹשֶׁךְ i. q. in priori hemistichio שְׁאוֹל *orcus*, quem et supra 10, 21. אֶרֶץ־חֹשֶׁךְ וְצַלְמָוֶת vocavit. Idem dicit hoc Versu, quod supra Vs. 1. קְבָרִים לִי.

14. לַשַּׁחַת קָרָאתִי אָבִי אַתָּה *Putredini acclamo: tu es pater meus*, putredinem appello patrem. שַׁחַת alii h. l. *foveam*, i. e. sepulchrum, ut supra 9, 31. Ps. 16, 10., interpretantur. Praestat tamen pro *corruptione*, s. putredine capere, ut accuratius conveniat cum altero hemistichio, אִמִּי וַאֲחוֹתִי לָרִמָּה *mater mea et soror mea* sc. tu es! acclamo *vermi*, vermibus, quibus cadaver corroditur. Mox, inquit, adhaesurum est cadaver meum vermibus, ut viventes adhaerent parentibus et consanguineis; et putredinem ob arctissimam conjunctionem vere liceat patrem appellare. Cf. *tenebras* mortuo *familiares* Ps. 88, 19., et metaphoricum *fratris* infra 30, 29. et *sororis* usum Prov. 7, 4. *Matrem* autem vocat vermem et *sororem* potius, quam patrem et fratrem, quod רִמָּה in hebraeo est femininum.

15. וְאַיֵּה אִפּוֹ תִקְוָתִי *Ubi ergo* jam erit *spes mea*, nihil mihi spei reliquum est; sola mors mihi est exspectanda. וְתִקְוָתִי מִי יְשׁוּרֶנָּה *Et ad spem meam* quod attinet, *quis videbit eam?* scilicet complementum ejus, ut supra 6, 8.

16. בַּדֵּי שְׁאוֹל תֵּרַדְנָה *Ad solitudines orci descendent* scil. spes meae, verbum plurale, תֵּרַדְנָה, pendet a תִקְוָתִי collective accipiendo, ut saepius constructio fit ad rem et sensum, ut Exod. 1, 10. כִּי תִקְרָאנָה מִלְחָמָה *quando accident bellum*, i. e. bella; vid. et 1 Reg. 5, 3. Hagg. 2, 7. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 800. בַּדֵּי שְׁאוֹל bona interpretum pars *vectes inferni* reddit, quibus alii latera, parietes, intima orci intelligunt, plures tamen *vectes*

Digitized by Google

pro *portis* dictos esse statuunt, ac phrasin בַּדֵּי שְׁאוֹל eandem vim habere cum altera illa magis usitata שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל, seu שַׁעֲרֵי מָוֶת Jes. 38, 10. Ps. 9, 14. 107, 18. Job. 38, 17. Sed recte monuit SCHNURRERUS in *Dissertatt.* p. 252., quum nomen בַּדִּים nonnisi *vectes ad portandum* quid denotet, et nusquam usurpatum sit de *pessulis*, qui hebraice dicuntur בְּרִיחִים; praestare, בַּדֵּי שְׁאוֹל interpretari *solitudines* (ut בַּד *solus* Ex. 30, 34., unde לְבַד *seorsim*, cf. MICHAELIS *Supplemm.* p. 150.) *inferni*, quandoquidem orcus, etiam incolarum multitudine frequens, concipitur ut locus perpetuae quietis altissimique silentii, vid. Ps. 94, 27. 115, 17. add. supra 3, 17. 18. Ante בַּדֵּי subaudiendum אֶל, ut Hos. 7, 11. Prov. 5, 5. Addit: אִם־יַחַד עַל־עָפָר נָחַת *si*, i. e. quum, quando (ut supra 7, 4. 9, 23.) *simul*, una, omnibus, *super pulvere quies* erit, i. e. in sepulchrum una mecum omnes hae spes descendent, quando mihi, ut omnibus, est humi in sepulchro quies futura; quum omnes eo sint venturi et ibi condendi. נָחַת (a נוּחַ *residere*) *quies*, ut Coh. 4, 6. 6, 5. Vel possit נָחַת esse tertia feminina persona, ad תִּקְוָתִי Vs. 15. spectans, pro נָחָה ad formam Chaldaicam, ut וְשָׁבַת *et revertetur*, Ez. 46, 17., אֲזָלַת pro אֲזָלָת Deut. 32, 36. Dictio autem נוּחַ עַל־עָפָר sensu non erit diversa a שָׁכַב לֶעָפָר, supra 7, 21. עָפָר *Pulvis* de *sepulchro* usurpatur, ut Ps. 22, 29, ad quem loc. not. vid.

Digitized by Google

BILDADUS.

Cap. 18.

Secundus sociorum Jobi secundo eum aggreditur. Is ubi initio Jobum arrogantiae accusasset, et quod ab eo tanquam stupidi plane et hebetes haberentur (Vs. 2. 3.), deinceps toto sermone statum describit, et spem, quam de suis rebus habere potest impius; cujus descriptionis summa est, nullo loco ac tempore hominem impium censeri posse fortunatum, quum nec in vita sua securum habeat otium, neque mortuus sperare possit gratam aut diuturnam in posterorum opinione memoriam. Nihil aliud fere hoc loco dicit, quam quod supra Cap. 8. dixerat, nisi quod merita impiorum supplicia vividioribus coloribus depicta ob oculos ponat. Imo vero observa, eum nihil hoc loco de bonis proborum, et praemiis repetere, aut adhortationem ad Jobum, ut resipiscat, ut plane agnoscas, directe haec omnia, quae de improborum interitu disserit, in Jobum quasi talem contorqueri; id quod nunc ostendant ejus tam atroces afflictationes, quales Deus non soleat nisi scelestis et perversis immittere.

2. עַד־אָנָה תְּשִׂימוּן קִנְצֵי לְמִלִּין *Quousque*, quando tandem *fines ponetis verbis?* קִנְצֵי pro קִצֵּי (Pluralis nominis קֵץ *finis*), *Dagesch* more Chaldaico in *Nun* resoluto, ut אַנְבֵּהּ pro אַבֵּהּ Dan. 4, 9., מְנַדֵּהּ pro מַדֵּהּ Esr. 4, 13. 20., חְנַטִין pro חִטִּין Esr. 6, 9. Nec est, quod quis obvertat, esse hanc compensationem Dagesch fortis soli Chaldaicae linguae peculiarem, Hebraeis insolentiorem. Nonne et מִלִּין, huic ipsi nomini h. l. junctum, terminationem pluralis Chaldaicam habet? Nonne tota, quae hic usurpatur, dicendi formula, qua status constructus (קִנְצֵי) sequente praefixo *Lamed* ponitur (ut Hos. 9, 6. 1 Paral. 23, 28. al. et cf. Gesenii *Lehrg.* p. 679.), redolet Aramaeismum? vid. J. D. Michaelis *Grammaticam Syriacam* §. 128. In plurali autem dixit קִנְצֵי *fines*, quod usus est verbis תְּשִׂימוּן et תְּבִינוּ in plurali. Et *finis* significatione ceperunt nostrum nomen duo antiquissimi interpretes, Alexandrinus et Vulgatus: Ille enim: *μέχρις οὗ οὐ παύσῃ;* hic: *usque ad quem finem verba jactabitis?* reddidit. Ceterum Jobum alloquitur in secunda Pluralis persona, quasi ei

Digitized by Google

sibi similes jungens, callidos videlicet, ex Bildadi sententia, pietatis simulatores, animo impios, in quarum conditione misera describenda tota haec sua oratio versatur. Horum inanem loquacitatem, qua sese purgare student, et criminum suspiciones a se amoliri, vix esse ferendam dicit. Quando tandem loquendi finem facietis? Reponit hoc ad illud Jobi supra 16, 3. הֲקֵץ לְדִבְרֵי־רוּחַ. Addit: תָּבִינוּ *intelligentes sitis*, i. e. intelligentem te praebeas. Monet Jobum, ut ad se redeat ab importunis istis in Deum querelis, quasi sibi immerenti tanta mala infligantur (supra 16, 17. sqq.); sed intelligat tandem, se a justissimo numine non immerito plecti. Acrem enim justitiae divinae vindicem egit Bildadus jam prima sua oratione, supra Cap. 8., et acriorem multo nunc agit. וְאַחַר נְדַבֵּר *Et postea loquemur*, sc. talia, quae ad tui consolationem faciant, qualia Jobus requirebat in sociorum sermonibus supra 13, 4. 16, 2. Loquitur Bildadus de se in prima Pluralis persona per *ἀνακοίνωσιν* s. *communicationem*.

3. מַדּוּעַ נֶחְשַׁבְנוּ כַבְּהֵמָה *Quare reputamur* a Jobo *tanquam bestia?* Bestiis comparamur, ita illi stupidi sumus, et hebetes ac mente vacui. Eo spectat, quod Jobus supra 12, 7. adversarios ad bestias amiserat, שְׁאַל־נָא בְהֵמוֹת וְתוֹרֶךָ. Et insipientiam eorum taxaverat supra 17, 4. 10. 13, 12. נִטְמִינוּ בְּעֵינֵיכֶם *Polluti sumus in oculis vestris*, i. e. sordidi et vilissimi habemur a vobis, i. e. a te et tui similibus. נטמינו a radice טָמֵא, mutato *Zere* in *Chirek*, ut רִפְּאתִי 2 Reg. 2, 21., et רִפְּאנוּ Jer. 51, 9., et collato נִטְמֵתֶם, Lev. 11, 43., ubi tertia radicalis prorsus exspiravit.

4. Jam disertius ad Jobum, eumque solum, convertit sermonem. טֹרֵף נַפְשׁוֹ בְּאַפּוֹ *O discerpens animam suam in ira sua!* i. e. heus, tu, qui teipsum prae ira et impatientia velut dilanias et dilaceras! Respicere videtur ad Jobi effata supra 13, 14. 16, 9. Alexandrinus: *κέχρηταί σοι ὀργή*, *ira dominium in te exercet.* Vocativo autem in tertia persona utitur pro secunda, pro more linguae, ut Obad. Vs. 3. 4. שֹׁכְנִי בְחַגְוֵי־סֶלַע *o* illa, quae *habitat in fissuris petrarum*, et mox, אֹמֵר בְּלִבּוֹ *quae dicit in corde suo* etc., אִם־תַּגְבִּיהַּ כַּנֶּשֶׁר *si extuleris te, ut aquila.* Cf. Hab. 2, 15. 16. et supra 17, 10. כֻּלָּם *omnes illi*, pro כֻּלְּכֶם *omnes vos.* Cujus rei ratio repetenda est inde, quod Participium טֹרֵף Pronomen relativum אֲשֶׁר ita includit, ut per illud et Verbum finitum resolvi commode queat. Cf. SCHROEDERI *Synt.* Reg. XLIII. Arabibus familiaris est hic loquendi modus, vid. A. SCHULTENSII Nott. ad *Haririi Consess.* I. p. 15. הַלְמַעַנְךָ תֵּעָזֵב אָרֶץ *Num propter te*, tua causa, te cadente, *ἐὰν σὺ ἀποθάνῃς*, *si tu mortuus fueris*, uti recte Alexandrini, *relinquetur*, deseretur, *terra?* ut Deus propter tuum clamorem, quod te innocentem dicas, et injuste ac praeter modum affligi, desinat justitiam suam solitam exercere, et ea terram moderari consueto ordine, bonis bene, malis male faciens. Redolent verba Bildadi aliquid proverbiale, cujus-

Digitized by Google

modi, ex observatione Th. Huntii ad *Lowthii* Praelect. XXXIV. *de s. Hebraeorum Poësi* p. 449. edit. Oxon., p. 390. edit. Lips., est et in quibusdam Arabum formulis, quibus illi, cum superbi alicujus arrogantiam retundere volunt, in memoriam eum jubent revocare, quam parvi aut nullius potius momenti sit illius, vel alius cujuslibet mortalis, in rerum natura existentia, ut cum dicunt: *non deficiet rerum natura illius ergo*, itemque: *mundus non subsistit propter unum aliquem.* Porro eadem, quae hic habetur, phrasis in usu est apud Arabes, qui dicunt עזבת אלארץ *destituta incolis*, prosperis miserisve, viduata fuit *terra*, vid. Golii *Lex.* p. 1570. וְיֵעְתֵּק צוּר מִמְּקוֹמוֹ *Aut num transferetur rupes e loco suo?* fixo alioqui et immobili? Aequumne censes, supremum mundi moderatorem, ut tibi morem gerat, tuisque cupiditatibus obsequatur, a ratis providentiae suae legibus et consueto cursu deflectere? Suntne omnia in tui unius gratiam susque deque vertenda? *Rupium avulsio*, et *terrae solitudo* ab incolis desertae (quo sensu dictio *terra deseritur* Lev. 26, 43. Jes. 6, 12. 7, 16. al. dicitur) partes cunt unius ejusdemque tropi, quo rerum omnium conturbatio depingitur, qualis praesertim in terrae motibus contingit, cum dehiscente terra, montes ipsos contremiscere videas, velut a radicibus convulsos, rupes diffindi, aedificiorum moles corruere, urbes populosissimas everti, non sine foeda incolarum strage, lateque per circumjacentes regiones solitudine inducta. Verba צוּר יֵעְתֵּק מִמְּקוֹמוֹ Jobus supra 14, 18. usurpaverat, sed alio sensu. Eo tamen nunc videtur Bildadus allusisse.

5. Nunc affert ordinem consuetum, quo Deus moderari terram solet, quod scilicet impios et viventes variis infortuniis exerceat, misere tandem consumat, et male perdat, ut in morte etiam affligantur, et post mortem nulla supersit eorum memoria. In haec enim tria capita, quae de impiis dicit, sunt distribuenda גַּם אוֹר רְשָׁעִים יִדְעָךְ *Etiam lux impiorum exstinguitur.* גַּם h. l. *certe, profecto* valet, ut Gen. 27, 33. וְאֲבָרְכֵהוּ גַּם־בָּרוּךְ יִהְיֶה *et benedixi ei, certe benedictus erit.* Vid. et 1 Reg. 21, 19. Prov. 17, 15. *Lux impiorum*, i. e. totus eorum splendor, opes, potentia, gloria et quicquid illis erat, quo celebres erant, et in ore hominum versabantur. יִדְעָךְ in *Cal* est intransitivum, propr. *extinguet se*, fatiscet et marcescet, ut carbones marcescentes dicimus, vel lucernam, cum per se extinguitur. וְלֹא־יָגַהּ שְׁבִיב אִשּׁוֹ *Neque splendescet flamma ignis ejus*, solito splendore privabitur, ex luce felicitatis et opum in tenebras aerumnarum et inopiae conjectus. שְׁבִיב non est *scintilla*, sed *flamma*, ut recte Hieronymus vertit, docente verbo consono arabico, quod non solum *accendit, suscitavit ignem*, verum et intransitive *exarsit* denotat. Hinc שְׁבִיבָא דִי נוּרָא *flamma ignis*, Dan. 3, 22., et in plurali שְׁבִבִין דִי נוּר 7, 9., et שְׁבָבִים Hos. 8, 6. — אִשּׁוֹ *Ignis ejus*, i. e. cujusvis eorum, nam praecessit Pluralis רְשָׁעִים.

Digitized by Google

Idem dicit Versu proximo verbis commutatis, et figuris dicendi variatis.

6. אוֹר חָשַׁךְ בְּאָהֳלוֹ *Lux obtenebratur*, in tenebras vertitur, *in ejus tabernaculo*, ut in tota ejus domo jam nulla lux, sed merae sint tenebrae aerumnarum et calamitatum. וְנֵרוֹ עָלָיו יִדְעָךְ *Et lucerna super eo extinguetur.* נֵר *Lucerna*, ut antea אוֹר, felicitatem indicat, et omnia, quibus ea continebatur et alebatur. Notat A. Schultens solennem Arabum formulam, *mala fortuna extinxit meam lucernam*, pro *spes opesque delevit.* עָלָיו non est vertendum *propter eum*, nec *una cum ipso*, ut עַל Gen. 32, 12. Ex. 12, 8. 9. sumitur, sed, ut recte Hieronymus reddidit, *quae super eum est;* concipienda enim est lucerna pendula, quae sedentis in tabernaculo capiti imminebat, qua extincta subito merae sunt tenebrae. Cf. infra 29, 3. בְּהַחְתִּי נֵרוֹ עָלַי רֹאשִׁי *dum splendescere fecit lucernam suam super capite meo.* Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. No. 755. p. 348.

7. יֵצְרוּ צַעֲדֵי אוֹנוֹ *Arcti erunt* (a יָצַר, quod idem est cum צוּר *coarctatus est*, ut infra 20, 22. Gen. 32, 8.) *gressus roboris ejus*, i. e. gressus ante robusti et firmi, ita angusti erunt, sic angusta ei via erit, ut hac illac ire non possit. In angustias redigetur, quicquid suscipiat et agat, robore et potentia solita destitutus. *Coarctatus gressus*, cum angusta est aut implexa vepretis semita, aut interrupta salebris, ita ut non liceat incedere sine metu aut ingredi velociter. Ita et Prov. 4, 12. promittitur ei, qui in via ambulabit, *in ingressu tuo* לֹא־יֵצַר צַעֲדֶךָ *non arctabitur gressus tuus.* Cf. et Thr. 4, 18. צַעֲדֵי אוֹן *Gressus roboris* sunt illi, qui incitati sunt, et quos nulla moratur difficultas. Tritissimam esse et Arabibus figuram *gressuum* ad *vitae statum* signandum, *gressusque amplos laxosque* pro fortunis amplissimis, et contra *gressus arctos* pro angustiis vitae, miseriisque ineluctabilibus dici, observavit A. Schultens, qui et plura poetarum Arabicorum loca in medium attulit. Sic *Ibn-Doreid* Vs. 164. edit. Scheid.: *Qui non inter virium terminos se continet, ejus amplissimi gressus coarctabuntur.* וְתַשְׁלִיכֵהוּ עֲצָתוֹ *Et projiciet*, sive, ut recte Hieronymus, *praecipitabit*, *eum consilium ejus*, in ruinam adducet proprium consilium; proprio consilio sibi exitium accerset.

8. Rationem adfert, cur arctati forent gressus impiorum, metaphora petita a venatione, et a praeda, quam auceps, aut venator, captat, quae si se in laqueos inducere contingat, inde se extricare non potest, et quo eluctatur magis ut inde se eximat, arctius constringitur. כִּי שֻׁלַּח בְּרֶשֶׁת בְּרַגְלָיו *Quia immissus est*, s. *immittitur in rete pedibus suis*, i. e. se ipse in rete suis pedibus conjiciet, eo tendens ipse propriis pedibus, ubi sit reti capiendus. Sic Ps. 9, 16., etsi eo loco inquit, ipso reti, quod aliis tetenderant, capi impios, hic imprudentes in exitium suum ruere,

Digitized by Google

et illic capi ac perdi, ubi non putassent. בְּרַגְלָיו *Pedibus suis* instrumentum significat, quod propriis pedibus ierit in locum, ubi sit reti comprehensus. וְעַל־שְׂבָכָה יִתְהַלָּךְ *Et super reticulo ambulat*, versatur perpetuo in perplexitate, in opere reticulato, ubi implicandus sit, perpetuo ei periculum impendet. שְׂבָכָה Aben-Esra recte observat esse בִּלְשׁוֹן קֶדֶר כְּמוֹ רֶשֶׁת *in lingua Arabica idem quod rete.* Nempe verbum שבך *permiscuit, immisit rem unam alteri*, et in 2. Conjugatione, *invicem immisit, plexuit, cancellatim struxit et reticulato opere*, unde שבכה *rete*, quod et de *velo retiformi* dicitur, sicut et hebraeum שְׂבָכָה *opus reticulatum* 1 Reg. 7, 17., et *cancellos* notat 2 Reg. 1, 2. Hieronymus: *et in maculis ejus* (retis) *ambulat.* Sunt autem *maculae* illae plagulae, seu foramina, quae rete, sive piscatorium, sive venatorium, distinguunt. Varro *de Re rustica* L. III. C. 12. *Septum*, inquit, *totum rete grandibus maculis integitur, ne eo involare aquila possit, neve ex ea evolare anas.*

9. יֹאחֵז בְּעָקֵב פַּח *Apprehendet calcaneo laqueum*, ipsemet impius calce laqueum apprehendere dicitur, et calcando sibi induere. יַחֲזֵק עָלָיו צַמִּים *Tenet eum*, calcaneum, *constrictum*, nodus, sc. funis, tendiculae. Vocem צַמִּים plures, h. l. eundem significatum obtinere putant, quem supra 5, 5. obtinet, ut igitur vel *praedonem*, vel *sitientem* denotet. Unde alii vertunt: *invalescet in eum praedo*; alii, יַחֲזֵק ad Deum relato: *roboravit praedonem adversus eum.* Altera, *siti* di notione, sumsit Hieronymus, qui vertit: *et exc[illegible] contra eum sitis.* Videtur autem *siti* intellexisse *sitibundos*, i. e. eos, qui sanguinem sitiunt, qui avide illaqueatam consectantur feram. Sed requirit et res ipsa et membrorum parallelismus aliam h. l. nominis צַמִּים notionem, פַּח שְׁ in priori hemistichio magis congruam. Atque talem offert tam arabicum טמם *plexuit*, quam צמם *ligavit.* Unde צַמִּים (non *substantivum plurale*, sed *adjectivum*, formae צַדִּיק) propr. *nodatum, implexumque* designet, vel *funem*, vel *nexum* tendiculae. Verbum חָזַק cum עַל constructum proprie *firmare* sc. manum *super* aliqua re, i. e. eam firmiter tenere.

10. טָמוּן בָּאָרֶץ חַבְלוֹ *Absconditum est in terra rete ejus*, quo scilicet capietur, avium more, ad quas capiendas funis humi tenditur. טָמוּן *Absconditum* est, ut videri et vitari nequeat. בָּאָרֶץ *In terra*, per quam scilicet ambulat, Jarchi: *sub pedibus ejus.* חֶבֶל *Funis*, h. l. de *laqueo* intelligendus, ad capiendum impium posito. Et Arabibus חَبْل de *reti* dicitur, et verbum חَبَل denotat *retia tetendit.* וּמִלְכֻדְתּוֹ עָלֵי נָתִיב *Et decipula ejus*, i. e. qua capiatur, *super semitam*, qua graditur, in qua ejusmodi quid non suspicatur; ex improviso obruet eum exitium.

11. סְבִיב בִּעֲתֻהוּ בַלָּהוֹת *Undiquaque terrent eum terrores.* De nomine בַּלָּהוֹת vid. not. ad Ps. 73, 19. Verba quae sequuntur,

Digitized by Google

וְהִפְצָהוּ לְרַגְלָיו, aliqui vertunt: *et dispergent eum in pedes suos*, i. e. fugabunt huc illuc, ut in pedes se conjiciat, huc illuc vagus et errabundus prae metu, cum nullo loco possit subsistere, ubique obversante ei et objecto terrore, quo inde pellatur. A. Schultens: *dissipant eum*, *ad pedes ejus objecti*, nempe *terrores*, ut sit idem conspectus *formidinum formidolosissimorum*, qui Jes. 8, 14. Alii: *dissipant eum secundum pedes ejus*, i. e. quocunque iverit, quacunque pedem movet (cf. לְרַגֶּל Gen. 33, 14. et 30, 30), exagitant eum, ita ut ad singula vestigia titubet. Recte Dathius: *a tergo fugant eum*. Rationes interpretationis non addidit quidem, nec tamen illae facile obscurae esse possunt. Videlicet הָפַץ non solum simpliciter *dispergere* significat, verum et *fugandi*, *expellendi*, *exagitandique* notionem conjunctam habet. Ita Ezech. 34, 21. הֲפִיצוֹתֶם אוֹתָנָה אֶל־הַחוּצָה *dispersistis* et expulistis *eas foras*. Hab. 3, 14. יִסְעֲרוּ לַהֲפִיצֵנִי *irruunt procellae instar ad me fugandum*. Jer. 18, 17. אֲפִיצֵם לִפְנֵי אוֹיֵב *dispergam* et fugabo *eos ante faciem hostis*. לְרַגְלַיִם vero, propr. *ad pedes*, designat *pone*, *post*, ut 1 Sam. 25, 42. נַעֲרֹתֶיהָ תֵּהַלַּכְנָה לְרַגְלָהּ *puellae ejus euntes post eam*. Et Hab. 3, 5. רֶשֶׁף opponitur לְרַגְלָיו. Idem ergo quod בְּרַגְלָיו *in pedibus ejus*, Ex. 11, 8. 2 Sam. 15, 18. Similiter noster infra 30, 15. בַּלָּהוֹת *terrores* ait *persequi* (תִּרְדֹּף) animam suam.

12. יְהִי רָעֵב אֹנוֹ *Erit famelicum*, inediâ exhaustum ac enervatum, *robur ejus*. Bene Hieronymus: *fame attenuabitur robur ejus*. Poetice *robori* tribuit, quod ipsimet impio erat tribuendum: fame conficietur, ex qua fiet, ut ejus robur debilitetur. Alii figurate *robore* intelligendas volunt omnes impii opes et facultates, quo sensu אוֹן et Hos. 12, 9. dicitur, ut sensus sit: opes ejus exedentur, et quasi fame contabescent. וְאֵיד נָכוֹן לְצַלְעוֹ *Et calamitas parata est lateri ejus*, ei imminet ac praesto adest, perinde ac si ei ad latus esset, undique calamitati expositus est. אֵיד explicandum ex arabico אוד *durus validusque evasit*, unde מְאוּד non tantum *res magna* et *gravis*, verum et *res adversa*, *malum*, *infortunium*; et אֵיד *gravis*, *molestus*. Et *infortunii insignis* et *gravioris* significatu אֵיד recurrit infra 21, 17., et reperitur quoque Deut. 32, 35. Jerem. 18, 17. Hebraei subtilius morbum intelligunt, quo latus ejus afficiatur, et Hieronymus *inediam*, qua extenuentur latera, juxta primum hemistichium, quo *famelici* mentio facta. Praeterea haec omnia ad finem Capitis *optative* intellexit, et nostrum Versum sic vertit: *attenuetur fame robur ejus, et inedia invadat costas ejus*. Sed praestat calamitatem quamvis, quacunque de causa tandem illa sit, intelligere, et enunciative omnia, quae sequuntur, exponere, non secus ac praecedentia.

13. יֹאכַל בַּדֵּי עוֹרוֹ *Comedet*, consumet, *membra cutis*, i. e. corporis *sui* sc. *primogenitus mortis*, qui Nominativus, ad finem

Digitized by Google

versiculi positus, ad initium ejus pertinet. Quanquam intelligi possit prius hemistichium seorsim: comedet prae dolore morbi, vel prae fame sua membra. Hebraeorum aliqui בַּדִּים *ramos* exponunt, intelliguntque liberos, quemadmodum Moses, Lev. 26, 29. esum proprium liberorum prae fame minatur. Sed בַּדִּים sunt *membra*, *artus*, ut supra 17, 16., עוֹר vero pro *toto corpore*, vid. not. ad 2, 4. Ad exaggerandam orationem pertinet repetitio illa, יֹאכַל בַּדָּיו בְּכוֹר־מָוֶת *comedet membra ejus primogenitus mortis*, i. e. dirissimum morbi genus, mortem certissime attrahens, quod prae aliis morbis, tanquam fratribus, in caecando potissimam vim habet. Eodem modo *Superlativus*, qui dicitur, exprimitur Jes. 14, 30., ubi בְּכוֹרֵי דַלִּים *primogeniti pauperum*, sunt *pauperrimi*. Similiter Arabibus *filiae fati*, i. e. mortis sunt febres mortiferae. Hieronymus vertit *primogenita mors*, qua forsan *praecocem* intellexit et praematuram.

14. יִנָּתֵק מֵאָהֳלוֹ מִבְטַחוֹ *Avelletur a tabernaculo ejus fiducia ipsius*, omnia ea, quibus confidebat, robur et valetudo corporis, opes, potentia, honores, auferentur de tabernaculo ejus, in quo sibi mansionem firmam et constantem promittebat. Alii: *abripietur* impius *e tabernaculo suo*, quod erat *fiducia ipsius*. A. Schultens *fiduciam* intelligit *securam*, et superbam imaginationem, quae solet improbis florentibus insidere, de felicitate domus et familiae perpetuum duratura, et ad seram quoque posteritatem propaganda (qualis describitur Ps. 49, 8.): eam *fiduciam revelli e tentorio improbi*, quum spes simul opesque fundatissimae radicitus exstirpantur, atque familia ante florentissima sub ruinis suis subito sepelitur, et cum dedecore exstinguitur. Cf. Ps. 52, 7. 9. וַתַּצְעִדֵהוּ לְמֶלֶךְ בַּלָּהוֹת *Et deducet eum* sc. זֹאת *hoc* (nam neutrius loco utuntur femineo), quod scilicet rebus, quibus fidebat, et omnibus suis praesidiis, in quibus spem omnem ac fiduciam collocarat, sit destitutus. Alii subaudiunt מִבְטַחוֹ, ut ex מִבְטַחוֹ, quod proxime praecesserat, repetatur nomen femininum. Alia plane ratione A. Schultens: *et invadent eum instar regis terrores*, ut infra 27, 20. תַּשִּׂיגֻהוּ כַמַּיִם בַּלָּהוֹת *arripient eum*, *instar aquarum*, *terrores*. Praefixo לְ ante מֶלֶךְ tribuit vim comparandi (propr. *ad modum regis*), ut infra 39, 19. (al. 16.). Eodem fere modo Hieronymus: *et calcet super eum*, *quasi rex*, *interitus*. Sensus minime ineptus, cui tamen obstare videtur, quod verbum תַּצְעִיד in Conjugatione Hiphil est positum, quae, ut notum est, plerumque significationem transitivam habet. Eandem expressit quoque Chaldaeus: וְתוֹבְלִנֵּיהּ לְמַלְכָּא רְגוּשְׁתָא *et deferet eum ad regem terrorum*. Fingitur regni mortuorum s. inferni rex, ut Pluto orci princeps, qui apud VIRGILIUM *Aeneid.* VI. 106. *Inferni rex*, et apud OVIDIUM *Metamorph.* V. 359. *Tenebrosa sede tyrannus* dicitur. SOPHOCLI in *Oedipo Colon.* Vs. 1553. audit ἐνναίων ἄναξ, *tenebrarum rex*.

Digitized by Google

15. תִּשְׁכֹּן בְּאָהֳלוֹ מִבְלִי־לוֹ *Habitabit* terror *in tentorio ejus eo quod non sit ei*, i. e. e quo deturbabitur, ut jam ipsius non sit. Ad verbum femininum תִּשְׁכֹּן aliqui subaudiunt נַפְשׁוֹ, ut Ps. 16, 2. (ad quem loc. cf. not.), 1 Sam. 24, 11. (al. 10.) וַתָּחֹס עֲלֶיךָ *pepercit tibi* sc. נַפְשִׁי *anima mea*, et 2 Sam. 13, 39. (al. 14, 2.) וַתִּכַל דָּוִד *deperiit* scil. נֶפֶשׁ *anima Davidis*, quod dicendum fuerat simpliciter וַיִּכַל דָּוִד. Magis placet, בַּלָּהָה *terrorem*, ex בַּלָּהוֹת, quod Versu proximo praecesserat, subaudire. מִבְלִי־לוֹ *Absque quod ei*, i. e. quod non est ei, ut Jes. 5, 13. עַמִּי מִבְלִי דָעַת *populus meus absque*, sine *scientia*. Cf. supra 6, 6. Ez. 34, 5. infra 24, 7. 8. Alii: eo quod nullus ei sit superfuturus, ejectis, vel terrore vel morte, omnibus domesticis ejus. יְזֹרֶה עַל־נְוֵהוּ גָּפְרִית *Spargetur super habitaculum ejus sulphur*, igni et sulphure coelitus demisso comburetur, ut Sodomis et Gomorrhae accidit. Vid. Gen. 19, 24. Cf. Deut. 29, 27. Ps. 11, 6. *Sulphuris* voce *fulmen* intelligi, recte Grotius monuit, adjecto PLINII loco ex *Hist. Nat.* Lib. XXXV. Cap. 15. *Fulmina ac fulgura quoque sulphuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulphurea est.* Addit A. Schultens illud PERSII *Sat.* II, 24. 25. *Jovemne ignovisse putas, quia, cum tonat, ocyus ilex sulfure discutitur sacro, quam tuque, domusque?* Videtur Bildadus eo respicere, quod facultatum Jobi pars igni coelitus delapso consumta fuisset.

16. מִתַּחַת שָׁרָשָׁיו יִבָּשׁוּ *Ab inferiori* parte, inferne, deorsum, *radices ejus arescent.* Jam impium arbori comparat (ut et supra 8, 11. sqq. plantae idem Bildadus compararat), cujus si radix inferne aruerit succo destituta, superne statim marcescentes rami deficient, atque ita de ea actum fuerit: sic impium significat omnibus modis a Deo consumendum et omni ex parte, ut primum ejus opes et potentia, quae velut radices ei erant, exhauriantur et evertantur, deinceps ex illis quaecunque ei praesidia, tanquam rami, enata fuerant, deficiant et pereant. וּמִמַּעַל יִמַּל קְצִירוֹ *Et a superiori* parte, superne, *marcet ramus ejus.* Hebraei per radicum ipsius desiccationem, mortem ipsiusmet intelligunt, per ramorum excisionem, filiorum interitum. Sed videtur totus impius cum omni suo splendore, potentia et gloria, arbori comparari. יִמַּל 3. Fut. Kal verbi נָמַל i. q. נָבַל vel אָמַל *elanguit, marcuit;* vel, ut alii volunt, verbi מָלַל i. q. אָמַל, Futurum Cal in A terminatum, more Chaldaico, ut יִדַּל Jes. 17, 4. Jud. 6, 6. יִשַּׁת Jes. 2, 9. 5, 15. et alia hujusmodi. Cf. not. ad Ps. 37, 2.

17. Postquam de impiorum vita et morte dixisset, nunc subjicit, qualis sit eorum post mortem conditio. Quum variis calamitatibus per totam vitam et periculis objecti fuerint et expositi, et misere perierint, post mortem etiam eorum memoria delebitur. זִכְרוֹ־אָבַד מִנִּי־אֶרֶץ *Memoria ejus perit e terra.* וְלֹא־שֵׁם לוֹ *Nec nomen* erit *ei*, i. e. ut recte Hieronymus: *non*

Digitized by Google

celebrabitur. Aliis לֹא־שֵׁם est *non-nomen*, per ὑφὲν, i. e. nil minus, quam nomen, dedecus, ignominia. Similes dictiones, לֹא־אֵל *non-Deus*, לֹא־אִישׁ *non-Vir*, לֹא־אוֹר *non-lux*, supra 12, 25. עַל־פְּנֵי־חוּץ *Super faciem plateae*, i. e. per plateas, foris, palam, ubi homines solent convenire, ut Jes. 42, 2. Argutius ab aliis hoc relatum ad *terram externam* et peregrinam, quae opponatur τῷ אֶרֶץ *terrae patriae*. Sed recte A. Schultens: „quum alicujus *memoria e terra* dicitur *periisse*, nemo *sedem patriam* tantum intellexerit. Ergo אֶרֶץ et פְּנֵי־חוּץ hic *orbem terrae* ex aequo amplectuntur, nisi quod posterius novam adhuc gratiam et emphasin ferat, quatenus in *plateis*, *forisque*, inest significatio *celebritatis* et *gloriae publicae*, quae in publicam infamiam dicitur desitura."

18. יֶהְדְּפֻהוּ *Propellent eum* sc. *propellentes*, i. e. propellitur, impersonalis dicendi modus, de quo cf. not. supra ad 4, 19. et Ps. 63, 11. Sic et Luc. 12, 20. Τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ, *animam tuam exigent a te*, i. e. anima tua exigetur a te. מֵאוֹר *E luce*, intelligunt alii lucem felicitatis et gaudii, ut supra 12, 25., alii lucem vitae, ut superius 3, 16. 20. Nos utrumque comprehendi existimamus, ut *lucis* nomine splendorem illum significet, in quo, dum viveret, versabatur, quo amisso ac densissimis calamitatum tenebris involutus etiam post mortem obscurus erit, et in tenebris jacebit, e mentibus et ore hominum obliteratus. Et hoc statim declarat, dum addit: וּמִתֵּבֵל יְנִדֻּהוּ *et ex orbe fugabunt eum*, i. e. fugabitur. Ex orbe et hominum memoria plane exterminabitur. Apertius etiamnum idem sequenti versiculo explanat; nam his tribus aut quatuor versiculis idem verbis commutatis dicitur.

19. לֹא נִין לוֹ וְלֹא־נֶכֶד בְּעַמּוֹ *Non* erit *proles ei nec soboles in populo ejus*. Nullus in sedibus, quas antea tenuit, erit superstes, qui avitae patriaeve gloriae ac potentiae vel nomen vel umbram retineret. בְּעַמּוֹ *In populo ejus*, non tam de *populo civitatis*, quam de *populo familiae* (et Latinis *gentem* dictae), i. e. numerosa cognatione et prosapia, intelligendum. וְאֵין שָׂרִיד בִּמְגוּרָיו *Nec residuus*, superstes erit *in commorationibus ejus*, ubicunque commoratus fuerit. מָגוּר *commorandi locus*, vid. Gen. 17, 8. 28, 4. 36, 7. 37, 1. 47, 9. Exod. 6, 4. Ezech. 20, 38. Ps. 55, 16., a גּוּר, quod Arabibus in tertia Conjug. *commoratus est cum aliquo in loco aliquo* significat.

20. עַל־יוֹמוֹ נָשַׁמּוּ אַחֲרֹנִים *Super diem ejus obstupescent posteriores*, qui post eum vivent. יוֹם *Dies* sc. fatalis et exitialis, ut infra 24, 1. יָמָיו *dies ejus* pro *suppliciis* et *calamitatibus*. Cf. Ps. 37, 13. 137, 1. וְקַדְמֹנִים אָחֲזוּ שָׂעַר *Et priores apprehendent horrorem*, horrescent cum erunt memores. *Posterioribus* et *anterioribus* quidam *Occidentales* et *Orientales* intelligunt, ut Joel. 2, 20. Zach. 14, 8. ex trito usu אָחוֹר *post*, et קָדֶם *ante*,

Digitized by Google

pro *Occidente* et *Oriente*. Cf. C. B. MICHAELIS Dissertat. *de locorum differentia ratione anticae, posticae, dextrae, sinistrae*, Halae 1735., repetita in *Sylloge Commentatt. Theoll.* a D. J. POTT edita, Vol. V. p. 80. sqq. Sed magis congruum videtur, h. l. *posterioribus* intelligere posteros impii, qui eum sequuntur, et post eum vivent, qui obstupescent, cum audierint, ita misere illum interiisse; *prioribus* vero, posteris oppositos, et his priores, i. e. qui impii tempore vivebant, et horrendum ejus exitium ipsi viderunt. אָחֲזוּ שַׁעַר *Apprehendent horrorem*, hypallage, pro *horror eos corripiet*, ut infra 21, 3. Jes. 13, 8. יֹאחֵזוּן חֲבָלִים *dolores apprehendent*, i. e. apprehendet eos dolor.

21. אַךְ־אֵלֶּה מִשְׁכְּנוֹת עַוָּל *Sane haec*, talia sunt, *habitacula perversi*, talem tandem sortientur finem. Epiphonema ad praecedentia, ut infra 20, 29. En, quo redigatur impius, quantumvis firmum et stabilem se credidisset. וְזֶה מְקוֹם לֹא־יָדַע אֵל *Et hic* est *locus* ejus qui *non novit Deum*. Circa מִשְׁכְּנוֹת et מָקוֹם ambigitur, sitne *mansio*, *sedes*, proprie, an conditio, improprie sumtis vocibus. Utrumque jungendum est, ut et *locus* designetur impii, plane obliteratus ille et extinctus, et *conditio*, in qua redactus est. Eundem usum arabici مكان *locus*, et منزلة *mansio*, observavit A. Schultens ad h. l. Nomen מָקוֹם in statu constructo positum arguit subaudiendum ante לֹא־יָדַע pronomen relativum אֲשֶׁר, ut Ps. 104, 8., ubi cf. not. Eo, qui לֹא־יָדַע אֵל *Deum ignorat*, non significatur, qui nullam Dei habet notitiam, sed qui Dei leges et praecepta plane non curat, qui ita vivit, ac si Deum non cognosceret, cujus legi vitam attemperaret. Ita 1 Sam. 2, 12. de filiis Eli, לֹא־יָדְעוּ אֶת־יְהוָה *ignorarunt Jovam*, i. e. non curarunt eum.

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 19.

Importunis declamationibus atque aculeatis reprehensionibus sociorum fatigatus Jobus, principio hujus sermonis vehementer queritur de illorum inclementia atque acerbitate, per quam sine ullo commiserationis sensu dolores, in se atrocissimos, immane quantum irritabant, et plane intolerandos reddebant, Vss. 2—5. Deinde rursus contendit, causam malorum suorum non esse occulta crimina, sed agere Deum secum modo extraordinario, quum innocens tantis affligatur aerumnis, in quibus describendis multus est, Vss. 6—20. Tum iterum ad socios conversus, eos hortatur, ut desisterent ab iniquis accusationibus et criminationibus, Vss. 21—24. Duplicem denique spem testatur, alteram de favore Dei, sibi una cum meliori vita restituendo, alteram de vindicta Dei in censores iniquos aliquando post suam mortem exercenda, Vss. 25—29.

2. עַד־אָנָה תְּגִיזוּן נַפְשִׁי *Usque quo affligetis animam meam?* Respicit quasi per retorsionem ad istud Bildadi 18, 2. תְּגִיזוּן *Molestia afficietis*, Futur. Hiphil verbi יָגָה, cf. Jes. 51, 23. Thren. 1, 12. 3, 32., unde nomen יָגוֹן *molestia*, Ps. 13, 3. — וּתְדַכְּאוּנַנִי בְמִלִּים *Et contundetis me verbis?* sermonibus iniquis? Metaphora depromta vel a contusione granorum in mortario, vel a saxo, a malleorum ictibus itentidem et incessanter repetitis, contrito. Verbum hebraeum Aramaeam prorsus punctationem habet, Nun paragogico inserto per Dagesch in Nun epentheticum ante suffixum נִי, et affixo accedente per Pathach, pro תְּדַכְּאוּנְנִי, ut רְמָצְאוּנִי, Prov. 1, 28., יְשַׂבְּחוּנְךָ Ps. 63, 4. et alia. In quibusdam tamen codd. Dagesch illud in Nun priori non est expressum. In Bibliis Athianis (Amstelod. 1661. 8.) inditum reperitur רפ Nun posteriori. Alias varietates minus momentosas in hujus verbi punctatione indicavit J. H. Michaelis in Nott. Critt. ad Biblia Halensia.

3. זֶה עֶשֶׂר פְּעָמִים תַּכְלִימוּנִי *His decem vicibus ignominia me afficitis*, i. e. pluries. Numerus finitus denarius pro infinito,

Digitized by Google

ut Gen. 31, 7. Lev. 26, 26. Num. 14, 22. Neh. 4, 6. Zach. 8, 23. לֹא־תֻבְשׁוּ תַּהְבִּירוּ־לִי *Non erubescitis*, non pudet vos, quod *stuporem incutitis mihi.* תַּהְבִּירוּ Futur. Hiphil verbi הָבַר *obstupuit*, quem significatum consonum verbum arab. obtinet. Non vos pudet, inquit, *stuporem mihi impingere*, i. e. me tanquam stupidum tractare, et ut talem ignominia me afficere. Ceterum nota, תַּהְבִּירוּ esse pro תַּהְבִּירוּ, ad normam Chaldaicam, ut וַיִּדְרְכוּ *et intendunt*, Jerem. 9, 3., et וַיִּדְבְּקוּ *et assequuti sunt*, 1 Sam. 31, 2.

4. וְאַף־אֲמְנָם שָׁגִיתִי אִתִּי תָּלִין מִשְׁוּגָתִי *Et quamvis vere erraverim*, esto, erraverim, si ita est, *mecum pernoctabit*, manebit, *error meus*, ejusque poena, q. d. ego erro, sinite me luere poenas erroris mei, ego sum, qui ob eum punior, non vos. Quia illi nihil rectum et solidum afferebant, quod ad ipsum consolandum aut confutandum attineret, ideo per concessionem illis dicit: esto, erraverim, etsi id pernegem; sed etsi erraverim, nihil ad vos, quum nihil me solidum doceatis; ego, non vos, poenas luo; desinite me ita convitiis et maledictis proscindere. Hoc ergo dicit illorum asperitatem et vanitatem verborum taxans, huc adactus, ut levius sibi putet, mala, quae patitur, perferre, quam eorum contumelias et illusiones audire. מִשְׁוּגָתִי *Error meus*, per metonymiam causae h. l. *erroris poenam* indicat, ut עָוֹן *peccatum*, saepe notare *peccati poenam* constat. Deducitur illud nomen a radice inusitata שׁוּג, ejusdem significationis cum שָׁגָה et שָׁגַג *erravit.* Alii posteriorem Versus partem, אִתִּי תָּלִין מִשְׁוּגָתִי, non habent pro apodosi, quam Versu demum 5. contineri volunt; sed asyndeton hoc Versu statuunt, sic intelligendum: *erraverim; pernoctet* quin imo *error meus mecum.* Ita A. Schultens, qui illud שָׁגִיתִי *erraverim* sic interpretatur: aliquid impatientius ex ore vi dolorum emiserim, meamque justitiam nimis animose defenderim; an inde legitima vobis causa nata, ad amicum vestrum, pro improbo et perditissimo, omnibus diris et execrationibus onerandum? Sed ut Versum proximum pro apodosi habeamus, vix admittat illud אִם־אֲמְנָם, initio illius.

5. אִם־אֲמְנָם עָלַי תַּגְדִּילוּ *Sane vere adversus me magnificatis* sc. פִּיכֶם *os vestrum* (quod subaudiendum esse docent loca Ez. 25, 13. Obad. 12.), i. e. insolentibus et atrocibus convitiis me insectamini. וְתוֹכִיחוּ עָלַי חֶרְפָּתִי *Et arguitis adversus me ignominiam meam.* Sensum bene expressit Hieronymus: *et arguitis me opprobriis meis*, i. e. me ex mea calamitate impium colligitis, quod mihi probro sit; cui sententiae apte subjunctus reperitur Versus proximus. In חֶרְפָּתִי suffixum est *patientis*, ut Gen. 30, 23. 1 Sam. 25, 39. 2 Sam. 13, 13. al. Ad sensum cf. supra 16, 10. Alii priori hemistichio volunt protasin, posteriori apodosin contineri, hoc modo: *si revera vos vultis contra me efferre, at vos probate, et demonstratum date contra me pro-*

Digitized by Google

brum meum; evincite me esse revera improbitatis reum. Minus commode tamen illud: *si revera vos vultis contra me efferre*, capitur pro: *si jure*, non injuste, *vos me convitiis insectari vultis.* Nec magis placet A. Schultensii interpretatio, hunc Vers. a superiore pendere existimantis, hoc sensu: (erraverim, mecumque maneat error meus, Vs. 4.), *an revera contra me efferetis vos, et argutabimini super me opprobrium meum?* quod sic explicat: an humane a vobis factum, quod omni nisu evincere moliamini, me esse caput improborum, meritissimas luens poenas, aeternoque opprobrio obrui dignissimum? Qui quidem sensus ex verbis illis, prout a Schultensio sunt translata, quomodo recte exsculpatur, ego non satis perspectam habeo.

6. דְּעוּ־אֵפוֹ *Scitote jam*, quomodo particula אֵפוֹ et supra 17, 15. vertenda erat, alias expletiva particula est. Verba כִּי־אֱלוֹהַּ עִוְּתָנִי *quod Deus pervertit me*, bifariam intelligunt, vel, pervertit rerum mearum statum (quo sensu verbum עִוָּה Ps. 119, 78. 146, 9. Thren. 3, 9. Coh. 7, 13. usurpatur), et me fortunis evertit, ac rationes meas turbavit, ut Alexandrinus vertit: *κύριός ἐστιν ὁ ταράξας*, q. d. Deo, non mihi, hoc tribuite, Deum, non me, accusate, qui mecum extraordinarie agit, et me praeter modum affligit; hujus igitur insolitae, qua opprimor a Deo, afflictionis vos, amici, rationem habere oportebat, et mei misereri, non vero dolores meos iniquis vestris objurgationibus augere. Vel *pervertit me* intelligi potest: jus meum pervertit (ut Hieronymus reddidit), non aequo jure mecum agit. Ita Thr. 3, 36. לְעַוֵּת אָדָם בְּרִיבוֹ *curvare hominem in lite suo*, pro *jus ejus pervertere.* Adde Amos 8, 6. Job. 8, 3. 34, 12., ubi contra Jobum acriter negatur, *Deum curvare*, s. pervertere *judicium.* Eodem collineat Versus proximus, quo se clamare injuriam, nec tamen audiri, queritur. Sic hujus Versus sensus hic erit: agnoscite, quaeso, Deum pro imperscrutabili sua voluntate et potestate, per quam probi simul improbique unum ei sunt, me, meumque statum sic subvertisse. Equidem verbo hebraeo utrumque includi puto, ut sensus sit hic: quum sim innocens, me tanquam impium Deus affligit, idque praeter modum; non quod Deum injustitiae arguat, sed quod habita ratione innocentiae suae, quam adversus socios tuetur, et calamitatum suarum atrocium, gravius se affligi dicat, quam ferret suae vitae ratio. Videtur autem poeta Jobi ori de industria ejusmodi verbum indidisse, quod ab adversariis facile captari, et sinistre accipi possit, quod nova nasceretur disceptationis, ejusque acrioris, materia. וּמְצוּדוֹ עָלַי הִקִּיף *Et rete suum adversus me cinxit*, i. e. reti suo me circumvallavit, irretitum tenens afflictionibus, ne elabi queam. De verbo נָקַף cf. not. ad Ps. 22, 17. Et eodem, quo h. l., modo construitur 2 Reg. 6, 14. Ps. 17, 9. 88, 18. Cf. quoad imaginem Hos. 7, 12. Respicit ad ea quae Bildadus supra 18, 7—10. dixerat, ubi impiorum sortem

Digitized by Google

eadem imagine depingit. Fatetur igitur iis sese malis afflictum, qualia alias perditissimis tantum infligere solet divina vindicta, sed negat se ea malefactis promeruisse, pati se ista ex mero summi numinis arbitrio.

7. הֵן אֲצַעֵק חָמָס וְלֹא אֵעָנֶה *Ecce clamo violentiam*, injuriam mihi fieri, quum innocens sic affligar, et insuper illudar; vel, ob injuriam, quae mihi infertur, et vim, qua opprimor his doloribus, *nec exaudior*, s. responsum fero; אֲשַׁוַּע וְאֵין מִשְׁפָּט *clamo*, nec est *judicium*, nec mihi jus redditur. Cf. infra 27, 2.

8. אָרְחִי גָדַר וְלֹא אֶעֱבוֹר *Semitam meam sepsit, nec transeo*, transire possum, ita circumsepsit me velut malorum sepe circumvallatum, ut non pateat via, qua hinc elabar. Eandem querelam vid. supra 3, 23. Thren. 3, 7. 9. וְעַל־נְתִיבוֹתַי חָשֵׁךְ יָשִׂים *Et super calles meos tenebras ponit*, tenebras viis meis offundit, ne ullam hinc evadendi rationem ineam, aut viam cernam, qua effugiam.

9. כְּבוֹדִי מֵעָלַי הִפְשִׁיט *Gloriam meam a me detraxit*, me gloria mea exuit, quum ante in honore essem et pretio, nunc obscurus jaceo et contemptus. Quidam opes, per quam quis honoratur, vel prudentiam et sapientiam, quae homines celebrat et gloriosos reddit, intelligunt; sed generaliter existimatio, splendor, opes, et quicquid erat, quo ante celebris fuerat, indicari videtur. Idem dicitur altero hemistichio: וַיָּסַר עֲטֶרֶת רֹאשִׁי *abstulit coronam capitis mei*, abstulit id, quod mihi ornamento erat, et velut corona me condecorabat. Quidam Hebraeorum per *coronam* filios intelligendos putant, ex Prov. 17, 6. עֲטֶרֶת זְקֵנִים בְּנֵי בָנִים *corona senum filii filiorum.* Sed *coronae* imagine figuratur omne, quod homini, vel rei alicui est ornamento et dignitati, vid. Ezech. 16, 12. 21, 31. Prov. 4, 9. Thren. 5, 16.

10. יִתְּצֵנִי *Destruit me*, omnia mea funditus labefacta et convulsa sunt. Verbum נָתַץ, quod proprie de *subversionibus aedium* et *urbium* dicitur, eundem in sensum, quo h. l., usurpatur Ps. 52, 7., ad quem loc. not. vid. Similes querelas similibus imaginibus expressas vid. supra 17, 11. 12. 16. סָבִיב *Circumquaque*, ab omnibus lateribus, indicat nihil non imis sedibus emotum, et susque deque motum. וְאֵלֵךְ *Et abeo*, sine spe reditus, pereo, ut supra 10, 21. 14, 20. Ps. 39, 14. וַיִּסַּע כָּעֵץ תִּקְוָתִי *Et revulsit tanquam arborem spem meam*, ut spes arbori evulsae perit, ne deinceps germinet (quamdiu enim evulsa non est, superest spes), sic ita evulsus videor ac perditus, ut nulla mihi jam supersit spes; actum est de me. נָסַע convenit cum arabico نشع *violenter amovit* et *evulsit*, quo ipso significatu nostrum verbum et supra 4, 21. aderat, et reperitur Jud. 16, 3. Jes. 33, 20. 38, 12.

11. וַיִּחַר עָלַי אַפּוֹ *Et accendit contra me iram suam.* Hiphil verbi חָרָה praeter hunc loc. nonnisi semel, Nehem. 3, 20.

Digitized by Google

legitur, ubi וַיַּחְשְׁבֵנִי לוֹ חֻחֲרָה *accendit* sc. se ipsum denotat. כְּצָרָיו *Et reputat me* tractatque *tanquam adversarios suos*, ut unum adversariorum suorum, ita me dure et inclementer tractat. Idem questus est supra 13, 24. 16, 9., cf. 7, 7.

12. יַחַד יָבֹאוּ גְדוּדָיו *Simul veniunt* in me scil. impressione facta *turmae ejus*, unanimiter me aggrediuntur. *Turmis* intelligenda malorum multitudo veluti turmatim irruentium. Cf. supra 10, 17. Hieronymus: *simul venerunt latrones ejus;* non intellexit, ut quidam putant, turmas praedatrices Chaldaeorum et Sabaeorum, de quibus supra 1, 15. 17.; sed accepit *latronis* vox proprio ac vetusto usu, pro *milite*, quo apud Plautum saepe sumitur. Recte itaque expressit hebraei גְּדוּדִים significationem, *militum cuneos* notantis, vid. Gen. 49, 9. 2 Sam. 3, 22. 4, 2. al. אָהֳלוֹ *turbae ejus*, dictione Graeca reddidit Chaldaeus. וַיָּסֹלּוּ עָלַי דַּרְכָּם *Et sternunt*, muniunt, *adversus me viam suam*, exercitus more, qui urbem aliquam obsessurus omnia invia pervia reddit, et sibi ad eam facilius expugnandam undiquaque viam munit. Potest et עָלַי *super me* exponi, ut sit sensus: velut viam tritam reddiderunt super me, ut sim illis velut via frequens ambulantium itione trita. Quod forsan Hieronymus voluit, dum vertit: *et fecerunt sibi viam per me.* וַיִּחֲנוּ סָבִיב לְאָהֳלִי *Castrametatae sunt circa tabernaculum meum*, ut qui urbem aliquam obsident, q. d. domum meam, i. e. me, qui illis ut domus, aut ut urbs quaepiam sim, undique obsederunt, veluti castris in circuitu positis, ne illis elabar.

13. אַחַי מֵעָלַי הִרְחִיק *Fratres meos*, quos mihi fraternitatis officia ita praesertim nunc afflicto exhibere oportuerat, *a me elongavit*, sc. Deus, dum me talem reddidit, a quo isti abhorreant, ut nullum ab istis sentiam auxilium. מֵעָלַי ad verbum sonat: *a juxta me*, q. d. a latere meo. וְיֹדְעַי אַךְ־זָרוּ מִמֶּנִּי *Et cognoscentes me tantummodo alieni* s. alienati *sunt a me*, qui mei antea curam habebant, et jure cognationis opem ferebant, nunc nihil aliud faciunt, quam ut alienos sese in me gerant, ac si numquam me cognovissent.

14. חָדְלוּ קְרוֹבָי *Desierunt propinqui mei*, nulli mihi amplius sunt, desierunt esse propinqui, ita se gerunt, ac si propinqui non essent. וּמְיֻדָּעַי שְׁכֵחוּנִי *Et noti mei*, quos ego benefaciendo agnoveram, *obliti sunt mei.*

15. גָּרֵי בֵיתִי *Habitatores domus meae*, qui in mea domo versantur, domestici mei, et mecum conviventes. Hieronymus: *inquilini domus meae.* De verbi גּוּר significatione vid. not. ad 18, 19. Alexandrinus γείτονες, *vicinos*, reddidit; concinit arabicum גור, quod praeter alia *vicinum* notat. וְאַמְהֹתַי *Et* ipsae quoque *ancillae meae.* Chaldaeus: לְחֵינָתַי *concubinae meae.* Verbum femineum תַּחְשְׁבֵנִי *reputant me*, convenit cum nomine posteriori, אַמְהֹתַי, juxta Hebraeorum morem, ubi duo Nominativi

Digitized by Google

verbum praecedunt diversorum generum, ut verbum cum posteriori, non cum priori, conveniat; per zeugma autem repetendum ante גָּרֵי בֵיתִי verbum וַתִּשְׁבּוּנִי, masculinum. Cf. Ez. 35, 10. Jer. 7, 20. נָכְרִי הָיִיתִי בְּעֵינֵיהֶם *Peregrinus factus sum in oculis* eorum, ita se erga me gerunt, quasi non essem paterfamilias seu herus eorum.

16. Accedit ad alios domesticos. לְעַבְדִּי קָרָאתִי וְלֹא יַעֲנֶה *Servum meum vocavi, nec respondet* mihi scilicet; servum voco, qui alias statim ad jussum meum vocatus praesto adesse solebat, at is respondere hero dedignatur. בְּמוֹ־פִי אֶתְחַנֶּן־לוֹ *Ore meo* (est enim מוֹ syllabica adjectio, ut supra 16, 5.) *supplex sum illi*, etsi eum deprecer velut illi supplex, ut mihi aegrotanti aliquid praestet obsequii, ne rogatus quidem id facit. Tantum abest, ut ad imperium meum pro herili jure quicquam faciat mea causa, ut ne precibus quidem quicquam ab eo obtineam.

17. רוּחִי זָרָה לְאִשְׁתִּי bene vertit Hieronymus: *halitum meum exhorruit uxor mea*, ad verbum: *fastidio est uxori meae*, nam זָרָה est a זוּר, arab. ذور *fastidivit, abhorruit.* Abhorret et refugit meum halitum ob foetorem ulcerum meorum, et oris mei. Cf. not. ad 17, 1. Syrus: *alienus factus sum uxori meae.* Accepit verbum זוּר *abalienandi* significatu, unde זָר *alienus*, vid. antea Vs. 13. 15.; רוּחִי vero, pro אֲנִי, more arabico, quo روح, ut Hebraeis נֶפֶשׁ, pro pronomine reciproco saepe usurpatur. Sequitur, וְחַנּוֹתִי לִבְנֵי בִטְנִי *Et gratificari meum* sc. fastidio est, *filiis ventris mei*, i. e. quod eorum gratiam mihi conciliare blandiloquentia studeo, respuunt. Quum eorum esset, mihi obedire, et meum, *illis* pro jure paterno imperare, contra ab illis gratiam inire et eos deprecari cogor, si quid ab illis impetrare velim; et vel sic petentem rejiciunt et indigne tractant. חַנּוֹתִי Exod. 33, 19. est prima Praeteriti Cal verbi חָנַן *gratiam fecit*, hic vero nomini רוּחִי, quod praecedit, melius respondebit, si pro Infinitivo nominascente, ut Ps. 77, 10. capimus. Similes anomalae Infinitivorum formae, a quiescentibus tertia radicali ה mutuatae, sunt שַׁמּוֹת *desolare*, a שָׁמַם, Ez. 36, 3., et חֲלוֹתִי *vulnerari meum*, Ps. 77, 11. a חָלַל. Sensum utcunque expressit Hieronymus: *et orabam filios uteri mei.* Alii verba sic interpretantur: *miseret me filiorum uteri mei*, i. e. miserans lugeo filios, simul omnes tristi ruina occisos; miser ego liberis omnibus privatus sum, et pro solatio luctum ex illis habeo. Potest haec interpretatio firmari arabico حنن, quod non solum *misericors fuit, amore* τῆς στοργῆς *affectus fuit*, denotat, verum etiam *questus est, prae desiderio ingemuit.* Haec autem significatio si adsciscatur, aptius possit sic transferri: *gemitus mei alieni sunt liberis meis.* Sed oritur hic difficultas, quomodo *liberorum* mentionem faciat, quum filius amisisset, ruina domos oppressos (1, 18.)? STUHLMANN quidem (in Nott. versioni suae teutonicae hujus libri subjectis) rem censet hoc modo expediendam, ut בְּנֵי בִטְנִי non sint putandi *liberi*, sed

Digitized by Google

eadem secum matre nati, fratres sororesque, quum supra 3, 10. Jobus *utero suo* non suum, sed *matris* uterum, ex qua ipse sit in lucem productus, intelligat. Verum sicut *fructus uteri alicujus* (פְּרִי בִטְנוֹ) denotat *proprios liberos*, vid. Deut. 7, 13. 28, 4. 11. 18. 53. 30, 9. Mich. 6, 7. Ps. 127, 3. 132, 11.; ita vix dubitari potest, eosdem *filiis uteri alicujus* significari. Itaque intelligendi videntur *filii sibi ex concubinis nati*. Ita Alexandrinus, qui sic vertit: *προσεκαλούμην δὲ κολακεύων υἱοὺς παλλακίδων μου*, *invocabam vero blanditiis filios concubinarum mearum*. Solebant illis temporibus patres familias servabus suis pro pellicibus aut concubinis uti, quod ex historia Abrahami et Jacobi constat.

18. גַּם־עֲוִילִים מָאֲסוּ בִי *Etiam pueri aversantur* et despiciunt *me*, infantes mihi illudunt. עֲוִילִים alii *perversos* exponunt (ut supra 16, 11.), quasi nebulonibus et hominibus nequaquam se contemtum esse dicat. Ita Syrus: *impii*. Sed h. l. *parvulos*, proprie *lactentes*, *sugentes*, videtur significare, ut idem sit quod עוֹלֵל, Jes. 49, 15. 65, 20. Certe infra 21, 11. עֹוְלָיהֶם iidem sunt, qui statim יַלְדֵיהֶם vocantur. Sic Chaldaeus: *parvuli quoque despiciunt verba mea*. Hieronymus: *stulti quoque despiciebant me*. Videtur עֲוִילִים pro אֱוִילִים (Ps. 107, 17. et supra 5, 2. 3.) cepisse. Alii *domesticos*, *famulamque turbam* intelligunt, collato arabico عيال *domesticus*, *qui sustentatur aliturque*. Verbum מָאַס h. l. sequente ב construitur, ut Num. 14, 31. Jes. 7, 15. 16. Jer. 4, 30. אֶקְוֹמָה וַיְדַבְּרוּ־בִי Quando (subaudiendum בִי) *surgo* ad dehortandum eos a petulantia, *loquuntur in* s. *contra me* probra et convicia. דִּבֶּר בּוֹ in malam partem dicitur, pro *contra aliquem loqui*, dictis eum insectari, ut Num. 12, 1. Ps. 50, 20. 78, 19.

19. תִּעֲבוּנִי כָּל־מְתֵי סוֹדִי *Aversantur me omnes viri familiaritatis meae*, quibuscum intima mihi ac maxime familiaris consuetudo erat, id enim significare סוֹד ostendimus in not. ad Ps. 25, 14. Hieronymus: *quondam consiliarii mei*, et Syrus: *omnes consulentes consilium meum*, Chaldaeus: *omnes viri secreti mei*, i. e. qui mihi ante a secretis erant, et a consiliis, quibuscum arcana communicabam, et consilia mea. In altero hemistichio זֶה est pluraliter capiendum (*hi* quos amavi), ut supra Vs. 3., Gen. 31, 38. 1 Sam. 29, 3., et subaudiendum relativum, ut supra 15, 17. Ps. 74, 2. נֶהְפְּכוּ בִי *Conversi sunt in me*, i. e. contra me; qui mihi prius erant amicissimi, mihi nunc inimici sunt, odio me habent et insectantur; quod propter socios dicit, qui ex praecipuis ejus amicis erant, ut supra 2, 11. dictum est. Bene Syrus vertit: *et etium amantes me conversi sunt contra me*.

20. בְּעוֹרִי וּבִבְשָׂרִי דָּבְקָה עַצְמִי *Cuti meae et carni meae adhaeret os meum*, ossa prae macie cuti et carni, quae undiquaque exaruit, succo destituta adhaerent, ut ossa extra cutem exstent et promineant; *μαρασμὸν* id morbi genus appellant Graeci, quum

Digitized by Google

toto corpore succo exhausto ossa cuti agglutinata cernuntur, vel cutis adhaerens ossibus prae siccitate. Recte Hieronymus: *pelli meae consumptis carnibus adhaesit os meum.* Sed Alexandrinus: *ἐν δέρματί μου ἐσάπησαν αἱ σάρκες μου, in cute mea putruerunt carnes meae.* Pro דֶּבֶקָה legit רֶקָבָה. Sed receptum דֶּבֶקָה praeter Alexandrinum, referunt interpretes antiqui ceteri omnes. Similes extremae maciei descriptiones vid. infra 33, 21. Thr. 4, 8. Cum lectione et interpretatione recepta bene concinit alterum hemistichium: וָאֶתְמַלְּטָה בְּעוֹר שִׁנָּי *et eripui me*, s. evasi, *cum cute dentium meorum*, nihil toto corpore sanum aut integrum remansit, praeter eam cutem, quae est circum dentes, cutem gingivarum. Hieronymus: *et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.*

21. חָנֵּנִי חָנֵּנִי אַתֶּם רֵעָי *Miseremini mei, miseremini mei, vos amici mei.* Geminatio ad *πάθος* pertinet, item pronomen: *vos!* o socii mei. Postquam a ceteris sum derelictus, vos saltem, qui mihi jam olim socii fuistis et amici, nunc me non deseratis in maximis aerumnis; nunc vos vere amicos exhibete. Omnia superiora dixerat, ut eos ad sui miserendum flecteret, et nunc eo ipsos invitat. Addit rationem: כִּי יַד־אֱלוֹהַּ נָגְעָה בִּי *quia manus Dei tetigit*, percussit et adflixit *me;* sine singulari crimine meo; itaque satis vobis sit, quod a Deo tam vehementer affligor. De phrasi *tangere aliquem*, pro damno eum adficere, cf. not. supra ad 1, 11.

22. לָמָּה תִרְדְּפֻנִי כָּמוֹ־אֵל *Quare persequimini me, ut Deus* me velut hostem (Vs. 11.) persequitur. Nonne sufficit vobis, aut ad commiserationem movendam satis est, me a Deo tantopere premi? Cf. 16, 11. וּמִבְּשָׂרִי לֹא תִשְׂבָּעוּ *Et carne mea non satiamini?* Hoc plurimi de calumniis sociorum intelligunt, ut detractores et calumniatores ad Ps. 27, 2. vidimus comparari iis, qui alterius carnes comedant. Ita sensus erit: cur non exsaturamini me convitiis proscindentes? Hebraei tamen, quod magis sequerer, *carne mea* exponunt: afflictione et plaga carnis meae, i. e. corporis. An non sat vobis est, quod ita corpus meum ulceribus et doloribus excruciatur, emaciatur et conficitur, ut insuper me ita ludibrio habeatis, et convitiis proscindatis? Hieronymus, omissa negatione: *et carnibus meis saturamini;* ubi sensus constat juxta priorem expositionem. Alexandrinus autem negationem expressit: *ἀπὸ δὲ σαρκῶν μου οὐκ ἐμπίπλασθε; et carne mea non explemini?* alterutro sensu, vel, velletis me totum devorare; vel: certe nondum vobis hae tantae corporis mei afflictiones, quibus tamen majores esse non possent, satis sunt; insuper me magis ac magis contumeliis oneratis et exagitatis.

23. Jam solenni declaratione inconcussae suae in Deo fiduciae sociorum calumnias, impietatis ipsum arguentium, a se depellere studet. Optat vero, ut ea, quae statim ad innocentiam

Digitized by Google

suam defendendam dicturus sit, monumentis traduntur perpetuo perennaturis. מִי־יִתֵּן אַפּוֹ וְיִכָּתְבוּן מִלָּי *Quis dabit nunc*, utinam quis mihi hoc concedat (cf. not. ad Deut. 5, 26.) *et*, ut, *scribantur sermones mei?* מִי־יִתֵּן בַּסֵּפֶר וְיֵחָקוּ *Quis*, inquam, *det in libro ut exarentur*, inversus ordo dictionum; recte Hieronymus: *quis mihi det, ut exarentur in libro?* Cf. Jes. 30, 8. Jer. 30, 2.

24. Utinam, inquam (subaudiendum enim est sub Versus initio מִי־יִתֵּן ex Versu superiori), *quis det* בְּעֵט־בַּרְזֶל וְעֹפֶרֶת לָעַד בַּצּוּר יֵחָצְבוּן *ut cum stylo ferreo et plumbo in perpetuum in saxo sculperentur*, intellige, מִלַּי *verba mea*, ex Vs. 23. De עֵט vid. not. ad Ps. 45, 1. Ante עֹפֶרֶת sunt, qui עֵט repetendum censeant, ut sit vertendum: *cum stylo ferri aut plumbi*, i. e. ferreo aut plumbeo. Cui sententiae obstat, quod plumbum mollius est, quam ut cum stylo plumbeo literae possint in petra insculpi. Alii subaudito ב ante עֹפֶרֶת vertunt: *aut in plumbo*, s. ut Hieronymus: *in plumbi lamina*, in quam stylo ferreo literae insculpantur. Sane moris antiquissimi fuit, *publica monumenta plumbeis voluminibus inscribi*, uti testatur Plinius *Hist. Nat.* Lib. XIII. Cap. 11. Et Pausanias Lib. IX. Cap. 31. haec de Boeotis, qui circa Heliconem domicilia habuerunt, refert: *Καὶ μοιμόλιβδόν μοι ἐδείκνυσαν ἔνθα ἡ πήγη, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένα, γέγραπται γὰρ αὐτῷ τὰ ἔργα. Monstrarunt mihi et plumbum juxta fontem, in quo scripta erant Hesiodi opera, magna ex parte vetustate vitiata.* Plura vid. in J. N. Funccii *de Scriptura Veterum Commentat.* Marburgi, 1743. 8. p. 44. sqq. Magis tamen placet, intelligere *plumbum infusum*, quo distinguantur literae marmori vel saxo insculptae. Ita Castellus quoque in *Lex. Heptagl.* coll. 2722. ad loci nostri illustrationem: *qui scribit super lapides, signat prius lapidem stylo et cavat, deinde plumbo replet vacua, ut perpetuo duret. Saxo* igitur verba sua incidi optat Jobus adhibito stylo ferreo, itemque liquato plumbo, ad ea oculis distinctius subjicienda. לָעַד *Ad perpetuum*, ut perpetuo duret. Sic Deut. 27, 2. 3. 8. Jos. 8, 32. res memoratu dignae lapidibus consignatae perennitatis causa leguntur. Alexandrinus *εἰς μαρτύριον* reddidit. Legit לָעֵד (supra 16, 8.) pro כָּעֵד, quod graviorem sensum infert.

25. Certissime sibi persuasum esse affirmat, quantumvis nunc a Deo gravissimis plagis, tanquam impius, affligatur, tamen tandem aliquando eundem illum Deum, pro ea, qua est, justitia, innocentiae suae assertorem et vindicem exstiturum. וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי *Ego novi vindicem meum viventem.* Idem quod supra 16, 6. dixerat, innocentiae suae testem se habere in coelis. גֹּאֵל proprie eum notat, qui consanguinitatis jure alicujus caedem vindicare tenebatur, Num. 35, 12. 19. 21. Deut. 19, 6. 12., et omnino post proximi mortem rerum suarum curam gerere, et jura vindicare

Digitized by Google

atque tueri, vid. Lev. 25, 25. 48. 49. Ruth 2, 20. 3, 9. 12. 4, 14. Sui igitur vindicem ait חַי *vivere*, i. e. sibi sua post fata superstitem mansurum, id quod altero hemistichio magis declarat: וְאַחֲרוֹן עַל־עָפָר יָקוּם *et postremum super pulvere staturum*, quod Jarchi sic explicat: *omnibus hominibus, qui terram habitant, consumtis, ipsum postremum* futurum et aeternum *perstaturum.* עָפָר cepit pro אֲדָמָה s. אֶרֶץ, ut supra 5, 6. 8, 19. infra 41, 24., ubi de Deo dicitur, אֵין־עַל־עָפָר מָשְׁלוֹ *nullum esse super pulvere*, i. e. in terra *ei similem.* יָקוּם *Stabit* interpres ille Hebraeus exponit יתקיים *subsistet*, permanebit, ut Jes. 40, 8. דְּבַר אֱלֹהֵינוּ יָקוּם לְעוֹלָם *verbum Dei nostri in aeternum perstabit.* Hanc Jarchii interpretationem et nos olim sumus sequuti. Jam vero nobis videtur scopo Jobi melius convenire, ut עָפָר intelligamus de pulvere, in quem brevi redactum se iri Jobus exspectabat; nam de mortuorum pulvere nomen illud saepius in hoc libro dicitur, uti supra 7, 21. 17, 16, infra 20, 11. 21, 26. Verbum קוּם vero h. l. cum עַל constructum eodem, quo Arabes et Syri hanc phrasin usurpant sensu, *adstare rei et curam ejus gerere*, sumendum arbitramur. Quomodo et Silv. de Sacy in literis ad H. G. L. Kosegarten datis et ab eo publicatis in *Commentat. exeget. crit. in loc. Job.* 19, 25 — 27. Gryphiae, 1815. p. 15. phrasin Jobaeam h. l. usurpatam comparat cum verbo arab. قام sequente على, significante *stare prope aliquem, apud illum consistere cum quadam auctoritate et inspiciendi causa.* Eodem, aut simili saltem sensu phrasis קוּם עַל usurpatur et Deut. 19, 15. 25, 6. 2 Sam. 12, 17. 2 Paral. 21, 4. Eandem interpretationem sequutus PAREAU in *Commentat. de immortalitatis notitiis* p. 163. hunc Versum ita reddidit: *Hoc nosse me* (velim ut in perenni monumento insculpatur), *meum vindicem mori non posse, ac fore, ut mihi semper superstes ad meas adstet reliquias.* Quae explicatio, ut in nota subjecta monet, et hinc commendatur, quod ex ea גֹּאֵל et עַל־עָפָר יָקוּם aeque ac חַי et אַחֲרוֹן sibi mutuo respondeat. Nam אַחֲרוֹן est: *qui omnium diutissime post me remanebit*, ut consona arabica vox in Corano saepius absolute dicitur de iis, qui post aliquem erunt ad extremas usque aetates, ut Sur. 26, 84. 37, 79. 109. 119. 129. In V. T. ipsum hoc אַחֲרוֹן Deo tribuitur Jes. 48, 12. notatque illum, qui vitae nullum habebit finem, uti nullum initium habuit. Longe praestantissimum igitur sui vindicem sibi fore dicit, Deum ipsum, qui quum aeternus sit, jus suum semper defendere poterit, etiam apud posteros. Directa autem sunt haec, et quae proxime sequuntur, adversus sociorum de ipso iniquas suspiciones et objurgationes, qui ipsum pro impio ex Dei flagellis pronunciabant, et pro Dei contemtore habebant, qui meritas impietatis suae poenas lueret, ut Bildadus in fine proximae orationis (18, 21.) suae dicebat, in eum haud dubie contorquens: זֶה מְקוֹם לֹא יָדַע־אֵל *hic est status Deum non curantis.* Quibus objurgationibus jam solennem fidei suae professionem

Digitized by Google

opponit: sane, quicquid vos mihi objiciatis, ego tam longe absum, ut Deum non curem, aut injustitiae eum arguam, ut potius firmiter mihi sit persuasum, illum mihi vel post fata bonae causae assertorem et vindicem exstiturum (cf. supra 13, 15. ex varia lectione: *si me vel interimeret, tamen in eum sperarem*). Et hoc unicum mihi restat solatium, quod vindicem meum immortalem esse novi et aeternum perstaturum, qui jus meum et adversus vos, et eos, qui post nascituri sunt, afferet et tuebitur. Hieronymus hunc Versum sic reddidit: *Scio enim, quod redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.* Sed videt nemo non hebraico vel mediocriter sciens, hebraea minime esse accurate expressa ab Hieronymo, cujus interpretatio laudanda foret, si hebraea ita sonarent: וּבְאַחֲרוֹן מֵעָפָר אָקוּם. Verum enimvero non tam singula verba, quam sensum loci, quem de corporis resurrectione ad ultimum judicium agere sibi persuasum habuit, exprimere voluit.

26. וְאַחַר עוֹרִי נִקְפוּ־זֹאת *Et* quamvis *post cutem meam* sc. consumtam et corrosam (q. d. אַחַר רָקְבוֹן עוֹרִי *post putredinem cutis meae*), *corroserint, consumserint*, sc. corrodentes, s. consumentes, i. e. consumtum sit et confractum quasi in fragmenta (impersonale loquendi genus, de quo vid. supra not. ad 4, 19. p. 64. 18, 18.), *hoc*, i. e. haec ossium meorum compages, corpus meum, quod non nominat, quia corporis nomen prae deformatione non merebatur; hoc, quod illis commonstrabat. Verbum נָקַף arabice denotat *perfregit caput ita ut excideret cerebrum*, unde נקיף *teredine exesus*, atque *ad medullam usque exhaustus*, ansa desumta ab *ossibus diffractis ad medullam exsugendam.* אַחַר עוֹרִי *Post cutem meam*, i. e. postquam corpus meum deposuero; similemque quodammodo usum habet בעד *post* interdum apud Arabes, ut in *Excerptis ex Hamasa* p. 344. בעדכם *post vos* est: *vobis relictis amissisque.* Alias, veterum potissimum, horum verborum interpretationes percensuit J. D. MICHAELIS in *Bibl. Orient.* (priori) P. VIII. p. 184—189., et in *Supplemm.* p. 1678. seq. Cum quo conferenda sunt, quae de nostro loco monuit EICHHORN in *Biblioth. Literat. bibl. univers.* P. I. p. 388. וּמִבְּשָׂרִי אֶחֱזֶה אֱלוֹהַּ *Tamen e carne mea*, i. e. e corpore meo redintegrato, *videbo Deum.* Plures interpretum מִבְּשָׂרִי interpretantur *exuta carne mea*, cum egressus fuero e corpore hoc mortali. Sed prior illa interpretatio et usui Particulae מִן, et rei, de qua agitur, magis accommodata videtur. Nam Versu qui proxime sequitur Jobus spem, quam fovebat, se oculis corporis sui instaurati adspecturum esse Deum, verbis clarissimis declarat. Negant quidem plures et nostrae et superioris aetatis interpretes, homines illo quo hic liber scriptus est tempore talem, quae ex interpretatione a nobis adscita Jobi verba exprimunt, spem aluisse, et falsse plures veteris ecclesiae doctores, qui, ubi de resurrectione

Digitized by Google

agunt, vel nostri loci nullam plane mentionem fecerint, vel illum interpretati sint de restitutione Jobi in pristinum felicem statum, docuit H. P. C. HENKE in *Narratione critica de interpretatione loci Job.* 19, 25—27. *antiqua ecclesia*, Helmstad. 1783. 4. Plura praeterea sententiae eorum, qui ad resurrectionem hunc locum referunt, opposuerunt DOEDERLEIN in *Auctario H. Grotii Annotatt. s. Scholiis in Libros poeticos V. T.* ad h. l. et J. HALLENBERG in *Disquisitione, qualis sit dogmatis de resurrectione corporum mortuorum origo, et num in libro Jobi ejusdem mentio facta sit?* Stockholmiae 1798., repetita in *Sylloge Commentatt. Theologicar. edita a* D. J. POTT, Vol. IV. p. 325. sqq. Verum non est, cur negemus Jobum spem illam, quam simplex verborum suorum sensus prodit, apud se aluisse, mortis suae somnum non aeternum fore, sed ab ipso Deo se aliquando expergefactum iri, et futurum esse, ut Deus mortuo ipsi advigilare non desinat, ipsum olim in vitam revocatum ut amicum amice recepturus. Cf. not. supra ad 14, 12. Recte monet Pareau l. l. p. 166., Jobum, morti, ut opinabatur, proximum, duplicem h. l. spem testari voluisse, alteram de vindicta Dei in censores iniquos aliquando post suam mortem exercenda, alteram de favore Dei, sibi una cum meliori vita restituendo. „Utrumque initio jungit, posteriorem deinde mox uberius explicat, ad priorem mox rediturus. Itaque imagine usus, quâ nulla gravior cogitari potest, nulla in summa brevitate locupletior, nulla denique, quae spem animo miseri Jobi comprehensum magis et conspectui totam simul subjiciat: Deum immortalem, ipsique per omnes hominum aetates sequuturus superstitem, collocat veluti juxta suas reliquias, sive ad sepulchrum, quo illae condendae essent. Ibi igitur fingit stare Deum, qui non tantum stricto gladio mortuum se custodiat, quo defendat ab aliorum contemtu ac vituperio, ac serius ocius saevis, quos vivus habuerat, amicis pro merito rependat, sed vero qui simul etiam pulveri suo advigilet, perpetuo ex eo novum iterum hominem formaturus. Enimvero hoc quoque noverat Jobus, se jamjam depositurum esse corpus hoc tabe vermibusque confectum, atque obsoletae vestis instar exuturam suam carnem, totamque adeo mortalitatem suam, numquam denuo induendam. Cumque ex sepulchro redivivus egrederetur, tum Deum sibi etiamnum adstantem visurus esset, qui ipsum mox benigne ad se reciperet, nec de pristina in ipsum inimicitia quidquam servasset.“ Sunt praeterea alia, quae nos admonent, ut ad celsiorem illum conspectum Jobum oculos attollere statuamus. Primum enim eximium quid et singulare esse, quod hic profitetur Jobus, prooemii illius, quo praefatur, evincit solennitas, optans, *ut sermones hi sui scriberentur et sculperentur in libro, et stylo ferreo in omnium aetatum memoriam in rupe inciderentur.* Restitutio autem fortunae et sanitatis non utique tanti momenti erat, ut illa ratione memoriam ejus ad posteros transferri optare debuisset. Deinde sublimiori illi spei, quae vitae hujus terminos excedit, connexio cum iis, quae praecedunt, egregie

Digitized by Google

favet. In eo enim erat Jobus, ut innocentiam suam adversus criminationes amicorum vindicaret, qui eum traduxerant ut iniquum, et talem, *qui Deum fortem non agnoscat*, 18, 21. Tantum itaque abest, inquit, ut talis sim, qualem me esse dicitis, ut contra spe piorum plenus et Deum noverim, et redemtorem meum, et majora ab ipso bona exspectem, quam quae vitae hujus ambitu contineantur. Accedit, quod huc plurimum momenti addit, Jobum tam longe a fortunae sanitatisque restituendae spe abfuisse, ut potius mortem a se ardenter exoptatam certissime exspectaverit, et nihil prorsus habuerit, quod huic vitae speraret. Id quod pluribus clarisque sermonum suorum locis, veluti 3, 20—26. 6, 8—12. 7, 13—16. 9, 21. 13, 15. 17, 13. sqq. 21, 25. 30, 23., evicit J. A. VOIGTLAENDER in *Isagoge ad interpretationem Jobi Cap.* 19, 23—27., Dresdae, 1809. in oct., quam sequuta est *Interpretatio* ipsa hujus loci ibid. 1810. in oct. Jam quum hoc de Goële oraculum spem certissimam et inconcussam fiduciam prae se ferat, inde sic arguitur: quando Jobus aerumnarum finem et requiem in his terris non exspectavit, et nihilominus spem omnimodae liberationis Goëlis ope fovit indubiam; eum oportet de venturo judicio, corporum resurrectione ultima, et rerum omnium instauratione cogitasse.

27. אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי *Quem*, Deum et vindicem meum (Vs, 26.), *ego videbo mihi*, in meum bonum, habebo non amplius adversarium, sed propitium, sed a partibus meis stantem, cum solennem in modum innocentiam meam declarabit. וְעֵינַי רָאוּ *Et oculi mei vident.* Praeteritum pro Futuro positum, nam praemisso Futuro, ejusdem potestatem plerumque sequitur, vid. e. c. supra 5, 16. 19. 20., et praesertim in votis vel asseverationibus per Praeteritum enunciatis indubitata rei certitudo denotatur, quae tam certo ventura sit, ac si jam evenisset. Cf. not. ad Ps. 22, 22. Addit, וְלֹא זָר *nec alius*, sc. Deum videbit, i. e. egomet ipse, non alius mei loco. זָר h. l. non *alienum*, *peregrinum*, sed simpliciter *alium* denotat, ut Prov. 27, 2. יְהַלֶּלְךָ זָר וְלֹא־פִיךָ *laudet te alius, non os tuum.* Alii in Accusativo vertunt, *non alienum* sc. Deum videbo, i. e. eum non inimicum mihi. כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי *Consumuntur renes mei in sinu meo*, prae vehementi Deum videndi desiderio. *Consumtione renum* alii doloris vehementiam, ad intima usque penetrantis, alii indignatione Jobi ob calumnias sociorum significari existimant. Atque ex his quidem sunt, qui haec verba connectant cum proximo Versu, hac ratione: *consumti sunt renes mei in sinu meo, quomodo dicitis: persequemur eum?* etc. i. e. indignor vobis et succenseo propter persequutionem vestram, qua me vexatis, adeo ut prae indignatione fere consumar. Citant tanquam dictionem sensu non diversam ex Ps. 73, 21. כִּלְיֹתַי אֶשְׁתּוֹנָן *renibus meis pungor*, quo doloris, aculeis quasi animum pungentis, concitationem significari, vix ex dubium. Sed nostro loco exstat verbum כָּלָה, quod saepius usurpatur de *vehementissimo desiderio*, quo

Digitized by Google

quis consumitur quasi et deficit. Ita Ps. 119, 81. כָּלְתָה נַפְשִׁי לִתְשׁוּעָתֶךָ *consumta est anima mea ad salutem tuam*, i. e. tanto ejus desiderio tenetur, ut fere deficiat. Sequitur altero hemistichio, יִחַלְתִּי *exspecto*. Item Ps. 84, 3. נִכְסְפָה וְגַם־כָּלְתָה נַפְשִׁי *desiderat, imo conficitur anima mea*. Cf. Ps. 119, 82. 123. 143, 7. Bene igitur Hieronymus verba nostra vertit: *reposita est haec spes in sinu meo*. Ad affectus vehementiam indicandam facit, quod addit בְּחֵקִי *in sinu meo*, ut ostenderet, quam arcte hanc spem complecteretur animo suo, et quanto eam haberet in pretio.

28. Postquam inconcussam suam in summi numinis justitia fiduciam ita testatus esset, ut dubitationi de sincera sua pietate nullus sit locus relictus; serio jam socios adhortatur, desinant tandem, ipsum tam acerbis et iniquis objurgationibus insectari. Cum proximo Versu hic ita cohaeret, ut illo demum sententia absolvatur. כִּי תֹאמְרוּ מַה־נִּרְדְּף־לוֹ *Quum* s. quod *dicitis: quam persequamur eum.* מַה h. l. est intendentis, ut Gen. 28, 16. Ps. 3, 2. 8, 2., quam fortiter, vehementer. Verbum רָדַף alias vel nudo Accusativo, vel cum אַחֲרֵי, vel cum אֶת construitur; cum לְ vero non nisi hoc loco jungitur. *Insectari ipsum* socios, dicit, quod communicato consilio ipsum impugnent, et impietatis convincere studeant. וְשֹׁרֶשׁ דָּבָר נִמְצָא־בוֹ *Et radicem causae in eo inveniamus. Radicem causae* h. l. esse *materiam litis*, criminationis, condemnationis, docet contextus. *Litis* notione nomen דָּבָר usurpatur et Deut. 17, 8. Alii sub שֹׁרֶשׁ דָּבָר *radice rei* s. *verbi* intelligunt hujus totius sermonis et disputationis causam et fundamentum, Versumque integrum hoc sensu capiunt: dicendum potius vobis esset: quid eum persequamur ita scilicet graviter afflictum a Deo, quum tamen in ipso fundamentum inveniatur horum omnium, quae inter nos tractantur; quum ipse sit, qui puniatur, qui poenas luat; coll. supra Vs. 4. Alii: quum si diligenter et ad radicem ac fundamentum usque res discutiatur, futurum sit, ut inveniatur ipse innocens, et citra ullam culpam suam tanti pati. In libris editis legitur נִמְצָא־בִי, quomodo נִמְצָא Participium Niphal erit, et sic vertendum: *et radix litis inventa in me*, quam personae mutationem A. Schultens defendit hoc nomine, quod בִּי hic loci multo sit signatius, quam בּוֹ, quum Jobus personam accusatoris in se ipsum velut transferat, sociorum nomine se taxans, *quum radix litis exstet in me.* Nec sic tamen durities vulgo receptae lectionis satis mollitur. Sed nihil opus est, artificiosis rationibus illam defendere, quum בּוֹ raro consensu veteres omnes exprimant, et id ipsum in compluribus codicibus manu scriptis a Kennicotto et de Rossio inspectis reperiatur. Commendat hanc lectionem, qua adscita נִמְצָא est prima Pluralis Praeteriti Cal persona, et hemistichiorum parallelismus. Ita enim bene sibi invicem respondent נִרְדְּף et נִמְצָא. Recte igitur DE ROSSI in *Varr. Lectt.* ad h. l.: „Ex recentioribus criticis lectioni huic adstipulantur Hubigantius, Michaelis, Doeder-

Digitized by Google

favet. In eo enim erat Jobus, ut innocentiam suam adversus criminationes amicorum vindicaret, qui eum traduxerant ut iniquum, et talem, *qui Deum fortem non agnoscat*, 18, 21. Tantum itaque abest, inquit, ut talis sim, qualem me esse dicitis, ut contra spe piorum plenus et Deum noverim, et redemtorem meum, et majora ab ipso bona exspectem, quam quae vitae hujus ambitu contineantur. Accedit, quod huc plurimum momenti addit, Jobum tam longe a fortunae sanitatisque restituendae spe abfuisse, ut potius mortem a se ardenter exoptatam certissime exspectaverit, et nihil prorsus habuerit, quod huic vitae speraret. Id quod pluribus clarisque sermonum suorum locis, veluti 3, 20—26. 6, 8—12. 7, 13—16. 9, 21. 13, 15. 17, 13. sqq. 21, 25. 30, 23., evicit J. A. VOIGTLAENDER in *Isagoge ad interpretationem Jobi Cap.* 19, 23—27., Dresdae, 1809. in oct., quam sequuta est *Interpretatio* ipsa hujus loci ibid. 1810. in oct. Jam quum hoc de Goële oraculum spem certissimam et inconcussam fiduciam prae se ferat, inde sic arguitur: quando Jobus aerumnarum finem et requiem in his terris non exspectavit, et nihilominus spem omnimodae liberationis Goëlis ope fovit indubiam; eum oportet de venturo judicio, corporum resurrectione ultima, et rerum omnium instauratione cogitasse.

27. אֲשֶׁר אֲנִי אֶחֱזֶה־לִּי *Quem*, Deum et vindicem meum (Vs, 26.), *ego videbo mihi*, in meum bonum, habebo non amplius adversarium, sed propitium, sed a partibus meis stantem, cum solennem in modum innocentiam meam declarabit. וְעֵינַי רָאוּ *Et oculi mei vident.* Praeteritum pro Futuro positum, nam praemisso Futuro, ejusdem potestatem plerumque sequitur, vid. e. c. supra 5, 16. 19. 20., et praesertim in votis vel asseverationibus per Praeteritum enunciatis indubitata rei certitudo denotatur, quae tam certo ventura sit, ac si jam evenisset. Cf. not. ad Ps. 22, 22. Addit, וְלֹא זָר *neo alius*, sc. Deum videbit, i. e. egomet ipse, non alius mei loco. זָר h. l. non *alienum*, *peregrinum*, sed simpliciter *alium* denotat, ut Prov. 27, 2. יְהַלֶּלְךָ זָר וְלֹא־פִיךָ *laudet te alius, non os tuum.* Alii in Accusativo vertunt, *non alienum* sc. Deum videbo, i. e. eum non inimicum mihi. כָּלוּ כִלְיֹתַי בְּחֵקִי *Consumuntur renes mei in sinu meo*, prae vehementi Deum videndi desiderio. *Consumtione renum* alii doloris vehementiam, ad intima usque penetrantis, alii indignatione Jobi ob calumnias sociorum significari existimant. Atque ex his quidem sunt, qui haec verba connectant cum proximo Versu, hac ratione: *consumti sunt renes mei in sinu meo, quomodo dicitis: persequemur eum?* etc. i. e. indignor vobis et succenseo propter persequutionem vestram, qua me vexatis, adeo ut prae indignatione fere consumar. Citant tanquam dictionem sensu non diversam ex Ps. 73, 21. כִּלְיֹתַי אֶשְׁתּוֹנָן *renibus meis pungor*, quo doloris, aculeis quasi animum pungentis, concitationem significari, vix ex dubium. Sed nostro loco exstat verbum כָּלָה, quod saepius usurpatur de *vehementissimo desiderio*, quo

Digitized by Google

quis consumitur quasi et deficit. Ita Ps. 119, 81. כָּלְתָה נַפְשִׁי לִתְשׁוּעָתֶךָ *consumta est anima mea ad salutem tuam*, i. e. tanto ejus desiderio tenetur, ut fere deficiat. Sequitur altero hemistichio, יִחַלְתִּי *exspecto*. Item Ps. 84, 3. כָּלְתָה נַפְשִׁי וְגַם־כָּסְפָה *desiderat, imo conficitur anima mea*. Cf. Ps. 119, 82. 123. 143, 7. Bene igitur Hieronymus verba nostra vertit: *reposita est haec spes in sinu meo*. Ad affectus vehementiam indicandam facit, quod addit בְּחֵקִי *in sinu meo*, ut ostenderet, quam arcte hanc spem complecteretur animo suo, et quanto eam haberet in pretio.

28. Postquam inconcussam suam in summi numinis justitia fiduciam ita testatus esset, ut dubitationi de sincera sua pietate nullus sit locus relictus; serio jam socios adhortatur, desinant tandem, ipsum tam acerbis et iniquis objurgationibus insectari. Cum proximo Versu hic ita cohaeret, ut illo demum sententia absolvatur. כִּי תֹאמְרוּ מַה־נִּרְדְּפֶנּוּ־לוֹ *Quum* s. quod *dicitis: quam persequamur eum.* מַה h. l. est intendentis, ut Gen. 28, 16. Ps. 3, 2. 8, 2., quam fortiter, vehementer. Verbum רָדַף alias vel nudo Accusativo, vel cum אַחֲרֵי, vel cum אֵת construitur; cum ל vero non nisi hoc loco jungitur. *Insectari ipsum* socios, dicit, quod communicato consilio ipsum impugnent, et impietatis convincere studeant. וְשֹׁרֶשׁ דָּבָר נִמְצָא־בוֹ *Et radicem causae in eo inveniamus. Radicem causae* h. l. esse *materiam litis*, criminationis, condemnationis, docet contextus. *Litis* notione nomen דָּבָר usurpatur et Deut. 17, 8. Alii sub שֹׁרֶשׁ דָּבָר *radice rei* s. *verbi* intelligunt hujus totius sermonis et disputationis causam et fundamentum, Versumque integrum hoc sensu capiunt: dicendum potius vobis esset: quid eum persequamur ita scilicet graviter afflictum a Deo, quum tamen in ipso fundamentum inveniatur horum omnium, quae inter nos tractantur; quum ipse sit, qui puniatur, qui poenas luat; coll. supra Vs. 4. Alii: quum si diligenter et ad radicem ac fundamentum usque res discutiatur, futurum sit, ut inveniatur ipse innocens, et citra ullam culpam suam tanti pati. In libris editis legitur נִמְצָא־בִי, quomodo נִמְצָא Participium Niphal erit, et sic vertendum: *et radix litis inventa in me*, quam personae mutationem A. Schultens defendit hoc nomine, quod בִּי hic loci multo sit signatius, quam בּוֹ, quum Jobus personam accusatoris in se ipsum velut transferat, sociorum nomine se taxans, *quum radix litis exstet in me.* Nec sic tamen durities vulgo receptae lectionis satis mollitur. Sed nihil opus est, artificiosis rationibus illam defendere, quum בּוֹ raro consensu veteres omnes exprimant, et id ipsum in compluribus codicibus manu scriptis a Kennicotto et de Rossio inspectis reperiatur. Commendat hanc lectionem, qua adscita נִמְצָא est prima Pluralis Praeteriti Cal persona, et hemistichiorum parallelismus. Ita enim bene sibi invicem respondent נִרְדְּפֶנּוּ et נִמְצָא, Recte igitur DE ROSSI in *Varr. Lectt.* ad h. l.: „Ex recentioribus criticis lectioni huic adstipulantur Hubigantius, Michaelis, Doeder-

Digitized by Google

lein, Moldenhaverus et Hufnagelius, quibus et nos subscribimus, tum ob auctoritatem codicum et versionum, tum ob analogiam contextus ac planiorem ejus sententiam.“

29. גּוּרוּ לָכֶם מִפְּנֵי־חָרֶב *Timete vobis a gladio*, scil. (ut recte Grotius) quo Deus ulcisci solet homines iniquos, ut sequitur. Quod tam crudeliter me insectamini, timete ultionem divinam, qui ita afflictum insuper cruciatis, et ei illuditis, cujus misereri oportebat. כִּי־חֲמַת עֲוֹנוֹת חָרֶב *Nam ira*, qua in me desaevitis, est ex *iniquitatibus gladii*, est talis iniquitas, quae meretur gladium, ultionem. Alii plurali עֲוֹנוֹת *magnam iniquitatem* indicari volunt, ut Prov. 9, 1. חָכְמוֹת בָּנְתָה *summa sapientia aedificavit.* Aliis חֲמַת est *ira Dei*, qui vel sic explicant: *nam ira* sc. Dei et ejus ultio est, et *iniquitatis gladii*, i. e. gladio dignae, sc. ista in me vestra peccata sunt. Vel: *nam ira* et poena divina *peccatis gladii* sc. obveniet, subaudito praefixo ל, ut Jes. 27, 4. (חֲמַת אֵין לִי). Magis apposite tamen, חֲמַת de saevo illo et irato impetu, quo in miserum invecti fuerant socii, intelligere. *Peccata* vero *gladii* sunt, quae gladium merentur, sicut עֲוֹן אֶרֶץ *pravitas finis*, quae finem adfert, et excidium meretur, Ez. 21, 30. 34. 35, 5. Hoc, inquit, dico, לְמַעַן תֵּדְעוּן שָׁדִין *ut sciatis quod judicium*, i. e. Deum ulturum graves injurias, quibus me afficitis. Similiter supra 13, 8. 9. amicis denunciata fuit Dei justa vindicta, si vel causam Dei nimis fervide et inconsiderate defenderent. שָׁדִין Jarchi explicat: שׁוֹד פְּרָעוֹת *vastationem ultionum*, i. e. ultionis divinae, quasi esset pluralis cum Chaldaica terminatione. Sed praestat cum veteribus omnibus שׁ pro servili, pro אֲשֶׁר *quod* habere, quod cum Pathach hic praefigitur, ut Jud. 5, 7. (שַׁקַּמְתִּי), Cant. 1, 7. (שַׁלָּמָה); ut דִּין sit nomen notissimum, *judicium* denotans, pro quo in margine דּוּן legitur, quod eodem recidit, nam דּוּן, formae בּוּז *contemtus* (propr. Infinitivus, τὸ *judicare*, s. nomen verbale, ut Hebraei vocant), idem erit quod דִּין *judicium*. Pareau *Commentat.* p. 165. not. verba כִּי־חֲמַת עֲוֹנוֹת חָרֶב reddit ita: *profecto iniquitatum ultor est gladius.* Pro חֲמַת legendum arbitratur חֲמַת in statu constructo, quod etiamnum in uno cod. apud Kennicottum habetur, et olim quoque in alio adfuit. Syrus praeterea ejusque interpres Arabs, ut et Vulgatus, statum constructum exprimunt: חֲמַת *expandescentiam* h. l. severam vindictam denotare existimat, ut infra 21, 20. וּמֵחֲמַת שַׁדַּי יִשְׁתֶּה *et de* poculo *vindictae divinae bibet.* „In nostro loco *gladius* dicitur ipsa iniquitatis vindicta, i. e. vel instrumentum, quo vindicta paratur, vel potius ipse auctor vindictae, sive uno verbo, *ultor.* Gladius autem absolute de gladio Dei vindice occurrit quoque supra 15, 22., ubi pingitur improbus, qui *non tutum existimat, prodire e tenebris, observatus ut est ab inevitabili gladio* sc. Dei.“

Digitized by Google

ZOPHARUS.

Cap. 20.

Zophar, tertius sociorum Jobi, ubi initio ostendisset, se justis de causis moveri ad respondendum Jobo, deinceps de impiorum exitio agit, eorumque felicitatem et laetitiam perbrevem esse ostendit. Quamvis ad summam felicitatem pervenerint, et ad summum rerum fastigium sint evecti, brevi tamen ac repente inde misere decidere et perire, ita ut nulla eorum apud homines memoria remaneat. Quae omnia in Jobum sunt directa, quippe qui eo, quod talia patitur, qualia de impiorum casibus et exitio dixit, satis arguatur impietatis et clandestinorum scelerum, quorum nunc poenas luat.

2. לָכֵן *Profecto*, *certe* (propr. *pro certo*), ut Jer. 5, 2. Num. 16, 11. שְׂעָפַי *Cogitationes meae*, cf. not. ad 4, 13. — יְשִׁיבוּנִי Aliqui vertunt: *reducunt me*, sc. in scenam, s. in arenam, ut qui cogitaram silere, denuo loquar. Sed חָשִׁיב est simpliciter *respondit*, proprie: *reddidit* verbum alicui. Vertendum igitur: *respondent mihi* (ut itidem cum suffixo supra 13, 22. et infra 31, 14. 33, 5. 32. reddendum), i. e. responsum suggerunt meditanti mihi quid tuis sermonibus reponam. וּבַעֲבוּר חוּשִׁי בִּי *Et propter festinare meum in me*, sc. שְׂעָרַי יְשִׁיבוּנִי responsum suggerunt mihi cogitationes meae. *Festinatio* autem h. l. denotat festinum promptumque impetum, fervorem, quo agitur, ad injuriam a se repellendam, veritatemque defendendam.

3. מוּסַר כְּלִמָּתִי אֶשְׁמָע *Castigationem* s. correptionem *ignominiae meae*, i. e. qui ignominiam mihi parit, mihi ignominiosam, *audio* sc. ex te. Alii verbum שָׁמַע, h. l. de *auditu* s. *sensu interno*, et מוּסָר in bonam partem capiunt de *justa et solida confutatione*, ut sensus hic sit: percipio et sentio, suggeri mihi quasi divinitus confutationem ignominiae et calumniae, quam mihi sociisque impegisti. Sed recte observat A. Schultens, respici ad 19, 2. *hisce decem vicibus* תַּכְלִימוּנִי *ignominia me adficitis*. „Reponit Zopharus: audio enimvero increpationem ignominiae meae, qua mihi sociisque ignominiosa atque illiberalia facta objectantur.“

Digitized by Google

וְרוּחַ מִבִּינָתִי יַעֲנֵנִי *Et spiritus ex intelligentia mea*, i. e. intelligentiae meae, *respondere facit me.* מ ante בִּינָתִי Genitivum indicat, ut Nah. 2, 10. כָּבֹד מִכֹּל כְּלִי חֶמְדָּה *multitudo omnis magnificae suppellectilis.* Cf. supra 6, 25. et ibi not. Subtilius A. Schultens רוּחַ *spiritum* pro motu animi vehementiore cum fiducia optimae causae, capit, et מִבִּינָתִי *ex diligenti et prudenti consideratione* mea, non autem ex ira, aliove turbido affectu, explicat.

4. הֲזֹאת pro הֲלֹא זֹאת *Nonne hoc?* ut Jer. 31, 20. הֲבֵן יַקִּיר לִי אֶפְרַיִם *nonne filius pretiosus mihi Ephraim?* Vid. 1 Sam. 2, 27. 2 Reg. 6, 32. Ez. 20, 30. In מִנִּי *Jod* est paragogicum, ut supra 6, 16. Verba הֲזֹאת יָדַעְתָּ non sunt cum מִנִּי־עַד hoc sensu conjungenda: *nonne hoc scis ab omni aevo?* sed ita potius capienda: nonne hoc cognosti, et exploratum, perspectumque habes, ab aeterno, inde a quo tempore super terram positus homo, ita esse constitutum, et quae Vs. 5. sequuntur. מִנִּי שִׂים *Inde a ponere*, recte Hieronymus post Alexandrinum et Chaldaeum reddit: *a quo positus est.* Infinitivus activus impersonaliter positus (ita resolvendus: *inde a tempore τοῦ ponere* scil. ponentis *hominem super terram*), ut Num. 9, 15. בְּיוֹם הָקִים אֶת־הַמִּשְׁכָּן *Die τοῦ erigere* (erigentis) *tabernaculum*, s. quo erigebat erigens tabernaculum, i. e. quo erigebatur. Exod. 9, 16. לְמַעַן סַפֵּר שְׁמִי *propter narrare nomen meum*, i. e. ut celebretur nomen meum. Vid. et Ez. 23, 44. Dan. 6, 9. 16. שִׂים (quod et legitur in Kri 2 Sam. 14, 7.) vulgo habetur pro Infinitivo Hiphil, pro הָשִׂים, praeformativo ה per aphaeresin ablato. Sed A. Schultens observavit, esse Infinitivum Cal, ex forma quiescentium media Jod; pati quoque analogiam, ut sit Participium passivum in Cal; ita directe esset: *inde a quo positus homo.*

5. כִּי רִנְנַת רְשָׁעִים מִקָּרוֹב *Quod jubilatio impiorum ex propinquo* s. *ex brevitate* (cf. not. ad 17, 12.), i. e. quod ea brevis est. Solent Hebraei hoc modo adjectivum haud raro exprimere, veluti Prov. 7, 19. דֶּרֶךְ מֵרָחוֹק *via ex longinquo* pro *via longinqua.* Dan. 2, 47. מִן־קְשֹׁט *ex veritate*, i. e. verum est. וְשִׂמְחַת חָנֵף *Et gaudium impii.* De חָנֵף vid. not. ad Ps. 35, 16. עֲדֵי־רָגַע *Ad momentum* tantum durat, momentaneum est. Videtur hoc directum in illud, quod Jobus supra 12, 6. dixerat.

6. אִם־יַעֲלֶה — יַגִּיעַ *Si ascendat usque ad coelum elatio ejus, et caput ejus ad nubem pertingat.* Nomen שִׂיא, hoc solo loco obvium, non dubium est idem notare quod שׂוֹא, Ps. 89, 10., et שְׂאֵת, supra 13, 11., *elationem.* Sensus: si vel ad summum honoris ac felicitatis fastigium emerserit. Desumta similitudo videtur ab arbore, coll. Dan. 4, 8.

7. כְּגֶלְלוֹ לָנֵצַח יֹאבֵד *Sicut stercus suum*, i. e. cum ignominia et dedecore ut stercus ab omnibus propellitur e conspectu, *in perpetuum peribit.* *Stercore*, גֶּלֶל, ignominiosus interitus

Digitized by Google

significatur, et ruina dedecorosa, ut 1 Reg. 14, 10. *Eliminabo domum Jeroboami, quemadmodum quis* יַבְעֵר הַגֵּלֶל עַד־תֻּמּוֹ *eliminat stercus, donec consumtum sit.* רֹאָיו יֹאמְרוּ אַיּוֹ *Videntes eum*, i. e. qui prius eum viderant, *dicent: ubi est?* ille scilicet, qui ante usque adeo florebat. Itane concidit? Addit elegantes similitudines ad ostendendum, ut ex hominum memoria et mentibus etiam prorsus sit delendus.

8. כַּחֲלוֹם יָעוּף וְלֹא יִמְצָאֻהוּ *Sicut somnium avolabit, nec invenient eum*, qui eum quaerunt, nec invenietur. Impersonaliter dictum, ut supra 18, 18. יֶחְדְּפֻהוּ. — וְיֻדַּד *Et fugabitur*, dispelletur, procul summovebitur. *Hophal*, cf. Kal supra 15, 23., Hiphil 18, 18. et cognatum מֻנָּד 2 Sam. 23, 6. כְּחֶזְיוֹן לָיְלָה *Sicut visio noctis*, tanquam phantasma insomnii fallax et inane. „Ut cum quis somniarit, et nocturnis visis sibi putarit offerri montes aureos, aut esuriens amplas epulas, evigilans nihil horum reperit, et saepe expergefactis non succurrunt, quae somniarunt, ac prorsus noctu aut per insomnium conspecta prorsus abeunt; sic impio accidet, cum sibi tot ac tanta polliceretur, et in animum induceret, quasi perpetua ac stabili felicitate usurus, et numquam dimovendus; repente prorsum concidet et peribit.“ Mercerus.

9. עַיִן שְׁזָפַתּוּ וְלֹא תּוֹסִיף *Oculus conspexit eum, nec addet*, sc. eum videre; oculus hominis, qui eum vidit, non ultra eum est visurus, ita disparuit. Verbum שָׁזַף praeter hunc locum bis tantum recurrit, infra 28, 7. et Cant. 1, 6. Etsi in dialectis cognatis non reperiatur, nulla tamen dubitatio de notione *videndi* esse potest; quippe quam contextus satis arguit. שְׁזָפַתּוּ positum est pro שְׁזָפַתְהוּ, ה suffixi cum praevio puncto pereunte, et velut per Dagesch forte, praecedenti ת impressum, compensatum, perinde ut in גְּנָבַתּוּ *furata est eum*, infra 21, 18. וְלֹא־עוֹד תְּשׁוּרֶנּוּ מְקוֹמוֹ *Neque ultra intuebitur eum locus ipsius*, ut supra 7, 10. dixit, *eum non agnoscet*, i. e. non ultra in locum suum, ubi ante erat, est rediturus, non ultra in eo conspiciendus. Figurate: locus ipsius non ultro eum ibi visurus. מָקוֹם h. l. ut femineum construitur (cum verbo femineo תְּשׁוּרֶנּוּ), quum alias sit masculinum. Similiter עָמָל Coh. 10, 15. verbo femineo jungitur. Quidam Hebraeorum subaudiunt femininum עַיִן *oculus*, sc. hominum loci, ubi antea versabatur. Quod coactius.

10. בָּנָיו יְרַצּוּ דַלִּים *Filii ejus placabunt tenues*, quos scilicet eorum pater diripuerat, vel alioqui eo inopiae adigentur aut paupertatis, ut pauperibus sese adjungere, et eorum amicitiam ambire, ac ab illis inire gratiam cogantur, ubi ante tam ipsi, quam eorum parens pauperes contemnebant et opprimebant. יְרַצּוּ Futur. Piel verbi רָצָה *acceptum, gratum habuit*, in Piel *facere ut quis sibi gratus fiat*, gratiam alicujus sibi conciliare studere, ut Hithpael 1 Sam. 29, 4. Veteres tamen omnes יְרַצּוּ significatione verbi רָצַץ *conquassavit, contrivit*, ceperunt. Alexandrinus:

Digitized by Google

τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ θλάσειαν (sic enim legendum est cum Alexandrino codice pro vulgari ὀλέσαιεν, *disperdant*) θρύπτουσι, *filios ejus contundant*, qui *sorte* sunt *inferiores*. Verbo θλάω ad exprimendum hebraicum רָצַץ Alexandrinus utitur quoque Jud. 10, 8. 1 Sam. 12, 4. 2 Reg. 18, 21. infra Vs. 19. Hieronymus: *filii ejus atterentur egestate*. Syrus: *filii ejus confringentur egestate*. Chaldaeus: *filios ejus conterent pauperes*. Ad verbum רָצַץ nostrum יְרַצּוּ refert quoque SCHNURRER in *Dissertatt.* p. 255., ita tamen, ut pro יְרַצּוּ legendum statuat יְרֻצּוּ, unde sic vertit: *filios ejus vexabunt egeni*, i. e. qui patris fraudibus atque vi bonis suis eversi sunt. Sensus profecto perquam commodus, quippe qui orationis seriei convenientissimus est; mentioni enim de interitu viri nefarii quid propinquius esse possit commemoratione calamitatis, liberis ejus eventurae? Possit tamen et יְרֻצּוּ a verbo רָצָה eo, quo Schnurrerus fecit, modo reddi, ut רָצָה h. l. eandem cum רָצַץ significationem communem habeat, sicuti דָּכָה et דָּכַךְ *contrivit*, דָּמָה et דָּמַם *exscindere*, זָכָה et זָכַךְ *purum esse*, חָיָה et חָיַי *vivere*, חָפָה et חָפַף *obtegere*, חָצָה et חָצַץ *dividere*, חָקָה et חָקַק *insculpere*, חָרָה et חָרַר *ardere*, et alia plura. Piel verbi רָצַץ infra Vs. 19. simplici *concutiendi* significatu (non dupliciter transitivo, *concutere faciendi*) legitur. וְיָדָיו תָּשֵׁבְנָה אוֹנוֹ *Et manus ejus*, impii, *reddent iniquitatem suam*, i. e. opes et facultates, vi et rapina inique partas, ut infra 21, 9. Alii: *opes*, *divitias*, ut אוֹן idem sit quod הוֹן, Prov. 1, 13., ut אוֹן Hos. 12, 9. sumitur, sicuti אָמוֹן pro הָמוֹן Jerem. 52, 15. Hac significatione nostrum אוֹן cepit etiam Schnurrerus, qui tamen Pronomen vocis וְיָדָיו non refert ad illum necessarium, de cujus subitanea clade dictum est in antecedentibus, sed ad בָּנִים spectare putat, quum ad nomen plurale significans homines unius status et conditionis, haud raro referri soleat affixum singulare, sensum habens distributivum, quo ad singulos illorum pertinet (N. G. SCHROEDER in *Syntaxi Pronominum*, Reg. 36, 2.), ut sensus sit: quisque filiorum reddere, et quasi legitimo domino restituere cogitur suas facultates ex patris hereditate acceptas. Alii אוֹן *roboris*, *virium* notione (ut Jes. 40, 20. 29. al.) capiunt, vertuntque: *et manus robur suum*, i. e. violentiam, q. d. bona, vi parta, et pauperibus erepta, reddere cogetur improbus etiam dum vivit. Aliis אוֹן h. l. est *dolor*, ab אָוַן *dolere* (i. q. אָנַן), unde אוֹן *lugens*, Prov. 4, 18. Hos. 9, 4., quomodo vertendum: *manus ejus rependent dolorem ejus*, i. e. qui alios dolore adfecit, concussit, oppressit, vicissim dolore afficietur, atque gravissimas poenas incurret. Eum sensum Hieronymus expressit: *et manus illius reddent ei dolorem suum*. Nec aliter Chaldaeus: *manusque ejus rependunt vim doloris ejus*. Eodem referendus Alexandrinus: αἱ δὲ χεῖρες αὐτοῦ πυρσεύσασαν ὀδύνας, *et ipsae manus ejus accendant dolores*, i. e. ipse sibi suum rogum struit, et flammam accendit, qua cruciandus est. Verbum תָּשֵׁבְנָה retulisse illum

Digitized by Google

interpretem ad שָׁבַב *arsit*, unde שְׁבִיב *flamma*, quasi sit תְּשֻׁבִינָה, jam observavit A. Schultens. Nobis tamen simplicissimum videtur, אונו *iniquitatem ejus*, ut infra 21, 19. reddere, suffixum ad nomen יָדִיו vero ad impium referre, ut sensus sit: improbus reddere cogetur, quae inique peperit et corrasit.

11. עַצְמוֹתָיו מָלְאוּ עֲלוּמֵיו *Ossa ejus repleta sunt occultis suis* delictis. עֲלוּמִים non sunt *peccata juventutis*, ut quidam voluerunt, sed *peccata occulta*, ut Ps. 90, 8., ad quem loc. not. cf. *Peccatis* vero eorum simul *poena* comprehenditur, ut sensus sit, criminum suorum clanculum patratorum supplicia ossa et medullas penetrare. וְעִמּוֹ עַל־עָפָר תִּשְׁכָּב *Et cum eo in pulvere cubabit* sc. quodvis occultorum ejus criminum (עֲלוּמָיו). Nomen plurale junctum verbo singularis feminino, ex Arabismo, de qua constructione vid. supra ad 14, 19., et STORRII *Observatt.* p. 384. Sensum recte explicavit A. Schultens: „Respici autumem ad phrasin Jobeam 17, 16. *Spes opesque meae omnes pulvere cubabunt.* Imo vero, inquit castigator, *hypocritae occulta crimina cum ipso super pulvere cubabunt*, i. e. meritissima ei incumbet ignominia, ad memoriam posteritatis sempiternam cineribus ejus inusta. Hoc graphice pictum Ez. 32, 24. 27. 30. וַיִּשְׂאוּ כְלִמָּתָם אֶת־יוֹרְדֵי בוֹר *portant ignominiam suam cum descendentibus in foveam*, i. e. justo Dei judicio ignominiose occumbunt, et exemplum praebent venturis securis gravissimi exitii suppliciique." Alii עֲלוּמִים *juventutem*, *robur* et *vigorem adolescentiae* interpretantur, quasi ad עֶלֶם, Syriac. עַלְמָא, Arab. عُلُومَة, *adolescentia*, pertineat. Sic Alexandrinus: ὀστᾶ αὐτοῦ ἐμπλησθήσεται νεότητος αὐτοῦ. Et Chaldaeus חֵילֵהּ *robur ejus*, ac Syrus מֻחָא *medulla*, vertit. Ex recentioribus hanc interpretationem defendit J. A. TINGSTADIUS in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* (Upsaliae, 1803. 8.), p. 46. sqq., ubi hunc Versum ita exponit: *plena sunt ossa ejus robore juvenili*, *quod cum eo decumbet in pulvere*, i. e. in vigore aetatis morietur. Nobis tamen tutius videtur, nomen עֲלוּמִים eodem hic significatu quo Ps. 90, 8. capere.

12. Jam similitudine per aliquot Versus continuata, desumta a cibo, qui ubi suavitate sua primo comedentem oblectarit, ut ideo diutius in ore ac palato retineatur, tandem vero in ventriculum injectus, evomitur, tanquam venenum quodpiam, ostendit, opes, in quibus parandis summam voluptatem ceperat impius, tandem ei eripi. אִם־תִּמְתִּיק *Si dulce fuerit*, instar mellis, aut melliti cibi, vid. Ps. 19, 11. 55, 15. Hiphil h. l. intransitivum, ut חִלְבִּין *albescere*, Jes. 1, 18. רָעָה *Malum*, quod dulce fuisse dicitur impio, est avaritia maxime, et quae eam comitatur injustitia, immisericordia in pauperes, vexatio et rapina, quorum criminum suspectus apud amicos Jobus fuisse videtur. Certe ea disertis verbis Jobo objicit Eliphasus, infra 22, 5—10., ubi et Vs. 5. communi nomine רָעָת *malitiae* comprehenduntur. יַכְחִדֶנָּה

Digitized by Google

תַּחַת לְשׁוֹנוֹ Sique prae suavitate *occultaverit illud sub lingua sua*, ac retinuerit aliquandiu, ut ejus dulcedine frueretur. Verbi כָּחַד forma *Hiphil*, qua alias *abolere* significat, ut Ex. 23, 23. 1 Reg. 13, 34. al., hic eodem, quo *Piel* (vid. supra 6, 10. 15, 18. Jos. 7, 19. Jes. 3, 9.), i. e. *occultandi* significatu usurpatur.

13. יַחְמֹל עָלֶיהָ Atque si *pepercerit ei* (vid. eandem cum עַל constructionem 1 Sam. 23, 21. Jer. 15, 5. Ez. 16, 5. Mal. 3, 17.), i. e. diu in ore retinuerit ad suavitatem penitius degustandam, aegerrime dulcem bolum dimittens. וְלֹא יַעַזְבֶנָּה *Nec relinquere*, dimittere voluerit, *illud*, רָעָה *malum*, Vs. 12., cujus dulcedine captus est. וְיִמְנָעֶנָּה בְּתוֹךְ חִכּוֹ *Sed cohibuerit illud in medio palati sui*, s. intra palatum suum, subtilius succum in ore reliquum relambendo.

14. לַחְמוֹ בְּמֵעָיו נֶהְפָּךְ *Cibus* tamen *ejus in visceribus ejus convertetur* sc. in malum et noxium. Sic נֶהְפָּךְ absolute positum in malam partem dicitur et supra 19, 19. Ex. 14, 5. Ait ergo Zopharus, id quod hypocrita pro cibo jucundissimo, imo saluberrimo esitat, quum in viscera demissum est, jam votorum compos sibi videtur factus, subito immutari atque inverti, ita ut mortem illa in olla fuisse experiatur. Ad exegesin adjectum: מְרוֹרַת פְּתָנִים בְּקִרְבּוֹ *venenum aspidum in ventre ejus*, quo insinuatur, ipsi improbo exitialem fore suam aviditatem, in bilemque ac amarorem merum ei convertendum esse, quicquid pro dulci glutierat; haud secus ac si venenum hausisset. מְרוֹרָה propr. *fel* (ut supra 16, 13. מָרָה) ab *amaritudine* dictum, h. l. *venenum* denotat, est enim, ex opinione veterum, serpentum venenum partim in *dentibus*, et in vesicula quadam sub *lingua* (infra Vs. 16. coll. Ps. 140, 4.), partim in *felle*. *Et ne quis miretur, fel venenum esse serpentium*, PLINIUS ex aliis funestis effectibus fellis docet *Hist. Nat.* XI, 37. *Nec aliud venenum dentium esse, quam fel serpentium, et inde venis sub spina ad os pervenire, diligentissimi auctores scribunt*, eodem Plinio l. c. referente.

15. חַיִל בָּלַע וַיְקִאֶנּוּ *Opes*, s. *divitias*, ut Hieronymus vertit (cf. Ps. 62, 11.), alienas, per fas et nefas congestas, *absorpsit*, devoravit, i. e. per vim aliis eripuit, nec tamen concoquere poterit, *sed removet eas*, iterum ei eripientur. מִבִּטְנוֹ יֹרִשֶׁנּוּ אֵל *Et ex ventre illius expellet eas Deus*. Ut summo cum cruciatu cibus, qui suavis videbatur, revomitur, si venenosus sit, et longe plus damni in removendo sentitur, quam voluptatis acceptum, sic ei accidet, qui opibus hinc inde congerendis oblectatus fuerit.

16. רֹאשׁ־פְּתָנִים יִינָק *Virus aspidum suget*, i. e. suxisse videbitur, qui talem cibum sumsit. רֹאשׁ Hieronymus et Chaldaeus male *caput* verterunt, quum tamen vix dubium sit, significari h. l. *venenum*, ut Deut. 32, 33. 29, 18., ut רֹאשׁ־פְּתָנִים idem sit quod Vs. 14. מְרוֹרַת פְּתָנִים, unde et Syrus et Arabs h. l. verterunt

Digitized by Google

fel aspidum. תַּהַרְגֵהוּ לְשׁוֹן אֶפְעֶה *Occidet eum lingua viperae*, in ejus alvo videbitur fuisse lingua viperina, virus exitiale, quod eum perimet. Tribuitur *linguae*, quod *dentium* est proprium, quia *mordet serpens exserta lingua*, quasi illa vulnus infligeret, vid. Ps. 140, 4., et not. supra ad Vs. 14. *Gravitas poenarum* depingitur, quae improbo sunt adhaesurae, in ejusque medullas ac viscera sese insinuaturae, sub quibus, haud secus ac veneno dirissimo in venas diffuso, infinitos inter dolores exspiraré tandem cogitur.

17. אַל־יֶרֶא בְּפַלְגוֹת נַהֲרֵי נַחֲלֵי דְבַשׁ וְחֶמְאַת *Ne videat rivos, flumina torrentium mellis et lactis*, qua imagine summam omnium rerum ubertatem, copiamque bonorum exprimi, vix est, quod moneamus. Cf. Exod. 3, 8. 17., et infra 29, 6. Similiter Ovidius de aurea aetate: *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.* Forma apocopata יֶרֶא *optativum* significatum habet, vid. Gen. 41, 33. Ex. 5, 21. 1 Par. 12, 17. Votum autem adsertionem includit: *absit, ut videat*, vel, *ne credat se unquam visurum;* minime se visurum sciat. Cf. Ps. 14, 7. 41, 3.

18. Quod antea figurate dictum sub allegoria cibi, qui evomitur, nunc simpliciter et recta oratione dicitur. מֲשִׁיב יָגָע *Restituens* erit, reddere cogetur (Vs. 10.) *laborem*, i. e. per metonymiam, opes et suo et alieno labore partas, cf. Gen. 31, 42. Deut. 28, 33. Jes. 45, 14. Ps. 78, 46. 128, 2. Alii יְגִיעַ h. l. *mercedem operariorum* esse putant, quo improbus avarus fraudaverit egenos, tenuesque. וְלֹא יִבְלָע *Nec deglutiet*, i. e. facultatibus multo labore partis non fruetur. כְּחַיִל תְּמוּרָתוֹ *Secundum vim*, vel *opes* (Vs. 15.) *permutationis*, compensationis *ejus*, i. e. quantum justa opum aliis ereptarum compensatio requirit. A. Schultensio tamen חַיִל h. l. non est forma constructa, sed *absoluta*, quam et Jes. 36, 2. et 2 Reg. 18, 17. usurpatum esse observat, ut לַיִל pro usitatiore לַיְלָה Jes. 21, 11., et יַיִן pro יֵין Cant. 7, 10. Structura plena, ex ejus sententia, haec fuisset: כְּחַיִל בֵּן תִּהְיֶה תְּמוּרָתוֹ *prout opulentia ejus est, sic erit permutatio ejus*, ut Hos. 4, 7. כְּרָבָּם כֵּן חָטְאוּ־לִי *secundum multitudinem eorum peccarunt mihi*, i. e. quotquot eorum sunt, tot etiam peccant. Ita et nostrorum verborum sensum hunc esse vult: pro magnitudine erit compensatio illius sc. mercedis (affixo in תְּמוּרָתוֹ ad יְגִיעַ redeunte); pro ista fraude et rapina omnibus opibus mulctabitur. וְלֹא יַעֲלֹס *Nec exsultabit*, non gaudebit rapto, sed contra semet direptum spoliatumque dolebit.

19. Hoc, et duobus, qui sequuntur, Versibus, plures interpretes non tuntum culpam rapinae et oppressionis, sed et poenam simul expressam putant; et hunc quidem Versum ita vertunt: *quia attrivit, reliquit tenues; domum rapuit, neque aedificabit eam*, i. e. licet domum rapuerit, quasi in ea habitaturus et eam sibi concinnaturus, id tamen, praereptus immatura morte, vel et

Digitized by Google

ad inopiam adactus, expulsusve, facere impediatur. Quae tamen interpretatio verborum וְלֹא יִבְנֵהוּ artificiosior videtur. Rectum sensum jam dedit Hieronymus: *Quoniam confringens nudavit pauperes, domum rapuit, et non aedificabit eam*, i. e. quia domos rapuit, quas non aedificaverat. רָצַץ עָזַב *Contrivit*, oppressit (1 Sam. 12, 3. 2 Par. 16, 10.), et *reliquit*, i. e. oppressos absque ope et sine ulla misericordia reliquit. „דַּלִּים sunt vel *pauperes, facti* vexationibus perpetuis potentioris; vel, quod malim, *tenues*, et *impotentes*, qui propter *impotentiam*, ut Terentius ait, *non negligi tantum solent*, sed et *injuriis* potentiorum *patent*." A. Schultens. Notatu digna Syri interpretatio verborum בַּיִת גָּזַל וְלֹא יִבְנֵהוּ: *et domus praedonis non aedificabitur.* Cepit יִבְנֵהוּ impersonaliter subaudito Participio, *non aedificabit eam* sc. aedificans, i. e. non aedificabitur. Sed *domus praedonis* hebraice esset בֵּית גָּזַל.

20. כִּי לֹא־יָדַע שַׁלְוֹ בִּבְטְנוֹ *Quia non novit*, non sentit, *tranquillum*, neutraliter, i. e. tranquillitatem, *in ventre suo*, i. e. non sat habet, et acquiescit; quandoquidem insatiabilis in eo fuit cupido alienorum bonorum. Ante alterum hemistichium subaudienda est particula conclusiva, עַל־כֵּן (ut 16, 20. 32, 17. Ps. 60, 8.), quae sequenti Versu expressa est. *Ideo* בַּחֲמוּדוֹ לֹא יְמַלֵּט *cum desiderabili suo non eripiet*, scil. נַפְשׁוֹ (Amos. 2, 14. 15.) *animam suam*, sese, i. e. id, quod concupiscit, non tutum praestabit sibi, neque conservare poterit res optatas. Bene Hieronymus hunc Versum reddidit: *Nec est satiatus venter ejus, et cum habuerit, quae concupierit, possidere non poterit.* Possit etiam verti: *et ex desideratis ejus nihil eripiet.* בַּחֲמוּדוֹ propr. *inter desideratum ejus*, i. e. eorum, quae inter desiderata ejus sunt, ex desideratis suis, nihil eripiet. Ita ב pro מ positum 2 Sam. 2, 31. *Servi Davidis percusserunt* מִבִּנְיָמִין וּבְאַנְשֵׁי אַבְנֵר *ex Benjaminitis et inter viros*, i. e. ex viris *Abner*. 1 Paral. 24, 5. מִבְּנֵי אֶלְעָזָר וּבִבְנֵי אִיתָמָר *ex filiis Eleasari et ex filiis Ithamari.* Cf. Noldii *Concordantt. Particular.* No. 14. particulae ב p. 146. seq. edit. Tymp. Schnurrerus (*Dissertatt.* p. 255.) sensum posterioris hujus hemistichii alia plane ratione constituit, dum non poenam improbi helluonis illo significari, sed descriptionem aviditatis ejus continuari existimat. Ita vero vertit nostra verba: *inter ea, quae appetit, nihil est, quod elabatur*, i. e. nihil eorum, quae appetit, passus est evadere. Pro יְמַלֵּט, ait, possis substituere יְמָלֵט, quanquam et illud ferri potest, juxta canonem, verbum, quod actionem denotat, de permissione ejus quandoque intelligendum esse. Vid. Glassii *Philolog. Sacr.* p. 207. ed. Dath.

21. אַיִן־שָׂרִיד לְאָכְלוֹ Quoniam *nihil superstes* ei *vorare ejus*, i. e. quoniam nihil evadit voracitatem ejus, sive, ut Schnurrerus dedit, quoniam nemo effugit vorationem ejus, עַל־כֵּן לֹא־יָחִיל טוּבוֹ *propterea non durabit ejus felicitas.* „Verbum יָחִיל

Digitized by Google

roboris et *vigoris* significatione accipiendum, quam non modo deprehendimus in arabico חוּל, sed et hebraico verbo junctam olim fuisse, ex usu nominis חַיִל jure colligimus." Haec apposite Schnurrerus observavit, quae et veterum auctoritate firmantur. Syrus enim *non durabit bonum ejus*; et Hieronymus *nihil permanebit de bonis ejus*, vertit. Eundem sensum spectasse videtur Alexandrinus: *διὰ τοῦτο οὐκ ἀνθήσει αὐτοῦ τὰ ἀγαθά.* Minus commode Chaldaeus: *propterea non exspectabit bonum suum.*

22. בְּמִלְאַת סְפֹקוֹ יֵצֶר לוֹ *Quum plena* s. completa *fuerit sufficientia ejus*, sibique fastigium et cumulum prosperitatis attigisse videbitur, cum circumfluit omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivit, *arctum erit ipsi*, subito in angustias et ad paupertatem redigetur. סְפֹק a verbo סָפַק, Aramaeis frequente, et *sufficit* notante, *sufficientiam* significare, non est dubium. Verbum legitur 1 Reg. 20, 10., sed cum שׂ scriptum. Hieronymus: *cum satiatus fuerit, arctabitur.* Idem Chaldaeus voluisse videtur, qui תְּחֻמֵּי סַאֲתֵיהּ *cum impleta fuerit mensura ejus* vertit, et Syrus, qui כֵּילְתָא posuit, idem quod Chaldaicum סְאָה. כָּל־יַד עָמֵל תְּבֹאֲנוּ *Omnis manus laboriosi*, aerumnosi ac miseri (ut supra 3, 21.), *veniet in eum*, eum invadet. Pauperes, praesertim ab eo spoliati, omnes eum adorientur, sua repetent, et in bona ejus irruent eaque publicabunt. Aliis יָד h. l. est *plaga*, ut sensus sit: omnis plaga, sive calamitas aerumnosi veniet super ipsum, omnibus partibus laboriosi hominis fungitur.

23. יְהִי לְמַלֵּא בִטְנוֹ *Erit ad implendum ventrem ejus*, erit tamen, quod ventrem ejus, jam vacuum, iterum impleturum sit; sarcastice. Additur statim, qualis futurus sit ille cibus, quo exsatiandus sit. יְשַׁלַּח בּוֹ חֲרוֹן אַפּוֹ *Mittet* scil. Deus (quem intelligendum esse, orationis series docet) *ardorem irae suae*, Thr. 1, 12. 4, 11. Verba non sunt imprecantis, sed comminantis. וְיַמְטֵר עָלָיו *Et pluet* sc. ardorem irae suae, quasi imbrem igneum effundet (coll. Ps. 11, 6.) *super illos*, impios, de quibus modo Singulari collective, modo in Plurali loquitur. De ultima hujus versiculi voce, בְּלַחוּמוֹ, ambigitur, sitne vertendum: *in carnem*, i. e. corpus (ut Zeph. 1, 17.) *ejus*, sc. uniuscujusque improborum, an vero לֶחֶם sit *cibi* notione capiendum, ut haec sit sententia: *in cibum, quem sibi parat*, in opes jam congestas indignationem suam effundet Deus, tanquam pluviam vehementem, cui resisti nequit. Alii: *interea dum vescitur.* Sed hoc hebraice foret: בְּלַחְמוֹ (Infinitivo Cal). A. Schultens, post Chaldaeum et Aben-Esram: *in cibum*, i. e. loco cibi et dapium ejus. Quod esset לְלַחְמוֹ. Apposite vero similem figuram affert ex Corani Sura II, 169. *Profecto qui occultant, quod Deus revelavit, et pro re vili illud mutant, illi non edent in ventribus suis nisi ignem*; igne solo ventres suos replebunt.

Digitized by Google

24. Hunc Versum plerique interpretes, subaudita illius initio particula אִם, ita transferunt: *si fugerit ab armatura ferri*, si arma ferrea effugerit, *trajiciet eum arcus aeris*, aeneus, i. e. validissimus, ex quo emissae sagittae altius penetrant. Dictum proverbiale, quale illud: *e fumo, in ignem; in Scyllam, e Charybdi.* Ubi se putarit leviora pericula effugisse, in graviora incidit. Alii prius hemistichium reddunt: *fugere cogetur* (ut infra 27, 22.) *ab armatura ferri.* A. Schultens: *fugiet* fractus *ab armatura ferri.* Praestare tamen videtur vulgaris interpretatio. תַּחְלְפֵהוּ *Trajiciet*, missis sagittis transadiget *eum*, ut Jud. 5, 26. Alii: *perimet, tollet eum*, et Jes. 2, 18. De *arcu aeneo* cf. not. ad Ps. 18, 35.

25. שָׁלַף *Educit* sc. educens, i. e. educitur, intellige telum, gladium, quo transverberandus est impius. וַיֵּצֵא מִגֵּוָה *Et exibit e tergo* impii, quando ab una parte intrat, ab altera rursus exit. Cf. 2 Reg. 9, 24. גֵּוָה propr. *corpus*, aliis h. l. est vel *vagina*, qua gladius, vel *pharetra*, qua sagitta reconditur. Sed quum in altero hemistichio dicatur, *gladium* exire ex hominis *felle*, aptius גֵּוָה pro ejusdem *corpore* sumitur. וּבָרָק *Et acies*, vel fulgor *gladii* nudati, ut Deut. 32, 41. Ez. 21, 15. 20. (Arabibus similiter בארק *fulgens*, saepissime usurpatur de *gladio*), vel *hastae*, Nah. 3, 3. Hab. 3, 11. מִמְּרֹרָתוֹ *E felle ejus.* Indicatur vulnus lethale impio inflictum; nam *fel* et *folliculus ejus*, hepati adhaerens, includit omnia vitalia, cf. supra 16, 13. יַהֲלֹךְ quidam ad בָּרָק referunt, quomodo *prodibit* vertendum erit, i. q. יֵצֵא. Sed rectius A. Schultens: „יַהֲלֹךְ per se stans, novum addit pondus, sub notione *pereundi*, quam reperies Cap. 14, 20. 19, 10. 27, 21.“ Vertendum igitur: *abit*, perit, עָלָיו אֵימִים *super eum terrores* sc. mortis irruent. Sunt etiam, qui יַהֲלֹךְ ad אֵימִים referant; ex quibus Hieronymus, qui totum hunc Versum sic reddidit: *eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua; vadent et venient super eum horribiles.*

26. כָּל־חשֶׁךְ טָמוּן לִצְפוּנָיו *Omnes tenebrae*, omne tenebrarum genus *reconditum in thesauros suos*, s. pro thesauris ei repositum est omne genus anxietatum et miseriarum. טָמוּן *Absconditum*, de thesauro, vel penu recondito et Jer. 41, 8. Jes. 45, 3. dicitur. Similiter צָפַן de *thesauris* crebrum, ut Prov. 13, 22. Ps. 17, 14. Similem allegoriam vid. Jacob. 5, 3. Aliis צְפוּנִים h. l. sunt *latebrae*, hoc integrae ἥσεως sensu, *omnes tenebrae* miseriarum *abditae sunt latebris ejus*, quascunque quaesierit latebras, ubi se tutum fore putet, nil proderit; ubique occurrent majores calamitatum tenebrae. Eundem sensum exprimere voluit haud dubie Hieronymus: *omnes tenebrae absconditae* sunt *in occultis ejus.* תְּאָכְלֵהוּ אֵשׁ לֹא נֻפָּח *Vorabit eum ignis*, qui *non sufflatur*, i. e. maximus, quem exsuffiare, ut ardeat, non est opus, quippe qui non ab hominibus excutitur et fovetur, sed a Deo

Digitized by Google

vibratur e coelo. נָפַח Praeteritum Pyal hoc tantum loco occurrens (coll. Cal Jes. 54, 16. Ez. 22, 20. 21.), idque masculini generis, ob praecedens אֵשׁ commune, unde cum utroque genere illud recte jungitur, coll. Ps. 104, 4. Similem nominis רוּחַ constructionem vid. 1 Reg. 19, 11. Hos. 4, 19. Ultima verba, יֵרַע שָׂרִיד בְּאָהֳלוֹ, plures sic vertunt: *male habebit* (יֵרַע Futur. Cal verbi רָעַע, coll. Ps. 106, 32. Deut. 15, 10. al.) *residuus in tabernaculo ejus*, non ipse solum male perdetur, sed quisquis in domo ejus superstes, propter eum male habebit. Alii: *confringetur* (ut יֵרַע sit Niphal verbi רָעַע, quod tamen Prov. 11, 15. 13, 20. alia forma, יֵרוֹעַ, comparet) *residuus* s. residuum *in tentorio ejus*, res familiaris residua impii igne plane conteretur ac delebitur. Alii יֵרַע ad verbum רָעָה, *depascendi* significatu, referunt, ut vel sit Futurum apocopatum formae Niphal: *depascetur*, illo igne, *elapsus*, s. residuum, *in tentorio ejus;* vel Futurum apocopatum Cal, id quod A. Schultensio praeplacuit, qui hebraea sic interpretatus est: *depascet* ignis iste, *residuum*, et elapsum, *in tentorio ejus*, i. e. internecione delebitur universa talis hominis familia, atque nulli plane cladem huic domui incumbentem evadere concedetur. „Si תֵּרַע scriptum esset, quum תְּאָכְלֵהוּ ad אֵשׁ pertineret, omnes vidissent; יֵרַע tamen rite post אֵשׁ, quod communis est generis, resumtum, quia לֹא נָפַח *non sufflatur*, in masculinum jam inclinarat.“ Sensus idem erit, quocunque modo יֵרַע accipias.

27. יִגְלוּ שָׁמַיִם עֲוֹנוֹ וְאֶרֶץ מִתְקוֹמָמָה לוֹ *Revelabunt coeli iniquitatem ejus, et terra insurget in eum.* Universae res creatae inimicae ei erunt, et velut in eum armandae, ut et e coelo cum eo pugnetur, et e terra. „Non dubium, ad Jobum ipsum aperte digitum intendi, adversus quem coelum et terra veluti consurrexerint. Speciatim retundi putem Jobi confidentiam Cap. 16, 18. 19., ubi coelum et terram innocentiae oppressae citarat testes. Imo vero, inquit objurgator, et coelum poenis inauditis tibi inflictis testimonium contra te tulit, atque occulta tua crimina revelavit, te nocentissimum arguens; et terra similiter contra te insurgit, dum te amplius ferre recusat, dignum videlicet, qui quantocius exscindaris.“ A. Schultens.

28. יִגֶל יְבוּל בֵּיתוֹ *Migrabit*, exsulabit, *proventus domus ejus*, misere dissipabuntur omnia ab eo per fas et nefas parta. Verbum גָּלָה h. l. commodissime *migrandi* significatu capitur, ut 1 Sam. 4, 21. 22. גָּלָה כָבוֹד מִיִּשְׂרָאֵל *migrat gloria ab Israele;* vid. et Amos. 5, 5. Chaldaeus: *auferetur frumentum domus illius.* Alias גָּלָה est *patuit, apparuit, manifestum fuit*, ut Prov. 27, 25. גָּלָה חָצִיר *apparuit gramen.* Qua adscita h. l. significatione A. Schultens vertit: *apparebit proventus domus ejus*, videlicet, quae altero hemistichio nominatur, immensa moles irae divinae super ipsum effundenda. Hieronymus: *apertum erit germen domus illius.* Quod alii sic explicant: cognoscent omnes, unde

Digitized by Google

impio tot fructus, et tanta bonorum abundantia, ex fraude videlicet, et rapina. Alii sic: fructus et proventus, quos condiderat, quosque pauperibus negaverat, aperientur et patebunt omnibus. Sed simplicissima et orationis seriei aptissima interpretatio est quae primo loco posita. נִגְרוֹת בְּיוֹם אַפּוֹ *Diffluentia* sc. erunt cuncta impii, velut aquae effusae omnia ejus bona diffluent, *die irae ejus* sc. Dei. נָגַר *diffusus est, diffluit*, 2 Sam. 14, 14., cf. Mich. 1, 4. Ad נִגְרוֹת subaud. ex גִּבּוֹל nomen cognatae notionis, טוֹבוֹת *bona*, aut תְּבוּאוֹת *proventus, reditus* (Lev. 25, 15.). Chaldaeus: *oleum et vinum ejus defluent in die furoris ejus.* Hieronymus verbum נָגַר *trahendi* significatu cepit, Aramaeis usitato, ut נִגְרוֹת sint *tractiones*, vertitque: *detrahetur in die furoris Dei*, ab excelso gradu ad infimam usque conditionem a Deo irato detrudetur.

29. זֶה חֵלֶק־אָדָם רָשָׁע מֵאֱלֹהִים *Haec* est *pars*, portio, sors, *hominis impii*, quam scilicet feret *a Deo*, poena, quam velut pro portione sua a Deo sibi ordinata obtinebit. Est totius hujus loci epilogus per epiphonema. Similis conclusio supra in fine sermonis secundi Bildadi, 18, 21. Ut illa vero, ita et haec, invidiose in Jobum directa est. וְנַחֲלַת אִמְרוֹ מֵאֵל *Et* haec est *hereditas dicti ejus a Deo*, i. e. quae ei addicta est et decreta a Deo poena, quam feret a Deo, juxta sententiam de eo pronunciatam. אִמְרוֹ passive accipiendum, et quidem verbo אָמַר *addicendi, decernendi* notione sumto, ut 1 Reg. 11, 18. Habac. 3, 9. Alii active intelligunt, hoc sensu: haec est hereditaria portio, quam feret ob sermones, impie et insolenter in Deum effusos, ut hoc in Jobum contorqueatur, qui in Deum atrocia dixerat, juxta illorum sententiam. Ita Hieronymus: *et hereditas verborum ejus a Domino.*

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 21.

Hac postrema oratione secundi congressus cum sociis, Jobus non solum Zopharo, qui proxime multis verbis egerat de exitio improborum in hac vita, respondet, sed et ceteris, qui eadem in re plurimum immorati fuerant, ut ostenderent, impios, etsi hic aliquandiu floreant, et in summum rerum fastigium evehantur, tandem tamen poenas in hac vita dare, et misere perire. E contrario nunc Jobus ostendit, impios hic florere ad mortem usque cum tota posteritate, ac non solum suaviter et feliciter vivere, sed et suaviter mori, neque ita affligi et cruciari ipsos, aut eorum deleri memoriam, ut Zopharus et socii dixerant: itaque nec hujus vitae felicitatem pietatis ac probitatis argumentum esse, nec calamitates signum impietatis, contra socios, qui ex afflictionibus praesertim ita gravibus Jobi, colligebant eum impium esse ac Deo invisum. Primis quinque aut sex Vss. varie attentionem captat, et sibi conciliare studet; inde ad rem venit, et eorum sententiam refutare incipit, Vs. 7. et sqq.

2. שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ מִלָּתִי *Audite audiendo sermonem meum*, i. e. attente audite, Infinitivus Imperativo additus intendit sensum, ut Jes. 66, 10. שִׂישׂוּ אִתָּהּ מָשׂוֹשׂ *laetamini cum ea laetando*, i. e. vehementer gaudete. Cf. Jer. 46, 5. Thren. 1, 8. Plura de hac loquendi formula vid. in GESENII *Lehrg.* p. 778. Haec ipsa verba, h. l. usurpata, aderant supra 13, 17. וְיִהְיֶה־זֹּאת תַּנְחוּמֹתֵיכֶם *Eritque hoc*, si me attente audieritis, *consolationes vestrae*, id habebo pro consolationibus, quibus vos oportuerat me solari. Venistis, ut me consolaremini. Id tantum abest, ut faciatis, ut me potius exasperetis, et meum dolorem augeatis; equidem si me patienter audieritis, id mihi vestrarum consolationum loco fuerit. Male Hieronymus: *et agite poenitentiam*, quia verbum נָחַם in Niphal *poenitendi* significatu sumitur. Sed תַּנְחוּמִים et תַּנְחוּמוֹת non nisi *consolationes* sonat, cf. supra 15, 11. Jes. 66, 11., et verbum infra Vs. 34. et 16, 2.

Digitized by Google

3. שָׂאוּנִי וְאָנֹכִי אֲדַבֵּר *Ferte*, sustinete *me*, *et* s. dum *ego loquar*, me patienter pro me dicentem, et causam meam agentem audite, וְאַחַר דַּבְּרִי תַּלְעִיג *Et post loqui meum*, postquam loquutus fuero, *subsannabis*, hoc specialiter in Zopharum dicit, vel certe sub unitatis numero omnes comprehendit: quivis vestrum, si tum jure poterit, me subsannare et illudere pergat. Hieronymus videtur ita distinxisse: *et postea*, *sermonem meum ridebis;* vertit enim: *et post mea*, *si videbitur*, *verba ridete.* Sensus eodem recidit. לָעַג in Cal et Hiphil idem notat, cf. Ps. 22, 8. Neh. 2, 19. 3, 33. 2 Paral. 30, 10.

4. הֶאָנֹכִי לְאָדָם שִׂיחִי *Num quod ad me attinet ad hominem querela mea?* i. e. an vero mihi sermo cum homine, ut vobiscum, instituitur, ac non potius cum Deo? Et supra 13, 3. dixit, se coactum esse ad Deum sermonem convertere, et suam causam exponere ei, qui suam innocentiam norit. Igitur debetis me patienter audire, qui vos disputatione mea non petam, sed in Deum ipsum totam orationem transferam. שִׂיחַ *Meditatio*, *oratio querula*, de querelis Jobi adfuit 7, 13. 9, 27. 10, 1. וְאִם־מַדּוּעַ לֹא־תִקְצַר רוּחִי *Et cur non abbreviaretur spiritus meus?* Quum mihi sermo sit cum Deo, a quo tamen ita afflictus non exaudior, nec ullum tanti mali levamen sentio, an non merito intolerantius doleo, et moerore conficior? Sane justissima mihi causa est. Si cum homine sermones haberem, cui pro libidine sua possem respondere, decederet forsan aliquid de meo tanto dolore; nunc, quum Deum compellare cogar, a vobis ita discruciatus, nec ejus a me iram avertere possim, cur non indulgerem dolori meo? Voluit a sui doloris magnitudine, propter quam ad Deum orationem suam cogatur convertere ab hominibus derelictus, socios attentos reddere: qui ab homine solatium non inveniat, sed nec a Deo, in quam tamen respicit, mitigationem doloris sentiat. אִם ante מַדּוּעַ interrogationi servit, ut infra 40, 9., et saepius. Alii post וְאִם subaudiunt כֵּן הוּא *quod si ita est*, i. e. quod si mihi cum Deo sermo est, non cum homine, non vobiscum, cur non arctaretur animus meus? Phrasi תִּקְצַר רוּחִי *abbreviatus est spiritus meus* indicatur *impatientia doloris* et *indignatio*, vid. Prov. 14, 29. et cf. not. supra ad 6, 11. Hieronymus hunc Vs. sic reddidit: *Numquid contra hominem disputatio mea est*, *ut merito non debeam contristari?* Quod sic explicant, se merito attentionem postulasse, quippe qui non de re humana aliqua, sed de re gravissima, et quae ad Deum ipsum spectat, de providentia, deque impiorum suppliciis, piorum aerumnis, et justitia Dei, controversia agatur. Sed prior interpretatio verbis hebraicis magis convenit.

5. פְּנוּ־אֵלַי וְהָשַׁמּוּ *Respicite ad me et obstupescite*, i. e. obstupescetis. Sic saepe Imperativus loco Futuri, ut nos etiam loqui solemus. Cf. 2 Reg. 5, 10. Jer. 6, 16. Ps. 51, 20. Non

Digitized by Google

solum, inquit, velim, ut me audiatis, verum etiam ut me respiciatis, ita graviter afflictum, vim doloris mei et gravitatem aerumnarum expendentes, uti par est. הָשֵׁמּוּ Imperativus Hiphil (pro הָשֵׁמּוּ, sicuti et in Praeterito הֵסַבּוּ *circumduxerunt*, 1 Sam. 5, 10., pro חֵסַבּוּ dicitur), sumitur h. l. intransitive, ut Participium ejusdem conjugationis, מַשְׁמִים *obstupescens*, Ez. 3, 15. In quibusdam exemplaribus scribitur וְהָשֵׁמּוּ, quasi ex forma Hophal, i. e. *ad stuporem adducamini*. At Conjugatio Hophal Imperativo caret, ex communi Grammaticorum consensu. וְשִׂימוּ יָד עַל־פֶּה *Et ponite manum super os*, s. ut Hieronymus, *et superponite digitum ori vestro*, i. e. silentium vobis imponetis, et prae stupore silebitis, nec habebitis, quid loquamini, considerato propius dolore meo tanto, praesertim qui mihi, tam innocenter ante acta vita, acciderit. *Manum ori imponere* gestus illius, qui prae admiratione et stupore silentium sibi imponit, vid. infra 29, 9. 40, 4. Mich. 7, 16. Prov. 30, 32. Sic Juvenalis *Sat.* I. *Digitò compesce labellum.*

6. וְאִם־זָכַרְתִּי וְנִבְהַלְתִּי *Et cum recordor, sum attonitus*, quoties animus meus miseriae meae magnitudinem revolvit, non possum, quin sim attonitus. יֹאחֵז בְּשָׂרִי פַּלָּצוּת *Et apprehendit caro mea horrorem*, hypallage, qualis supra 18, 20. aderat, pro, carnem meam corripit horror. Alii hunc Versum cum proximo hoc sensu connectunt: totus horreo, ubi et mei doloris recordor, et simul etiam cum subit menti quaestio quae sequitur, cur feliciter vivant impii, ego vero innocens affligar ita, ut suam conditionem cum sequentibus conjungat. Quasi diceret: propterea et mei doloris gravitas, et ejus, quod dicturus sum, magnitudo, quod mihi, quoties memini, horrorem affert, debet vos ad me audiendum, et mei miserendum incitare.

7. מַדּוּעַ רְשָׁעִים יִחְיוּ *Cur impii vivunt?* sc. incolumes et felices, ut in solenni illa acclamatione יְחִי הַמֶּלֶךְ *vivat rex!* 1 Sam. 10, 24. 1 Reg. 1, 39. עָתְקוּ *Durant*, quod alii exponunt יִזְקִינוּ *consenescunt* (sic Alexandrinus, πεπαλαίωνται), alii, pinguescunt et augescunt durabili opulentia. Ita Chaldaeus: אִתְקִיפוּ *confortati sunt*. Concinit arabicum عتق *recte et bene se habent opes, greges* etc. alicujus. גַּם־גָּבְרוּ חָיִל *Imo etiam invalescunt*, praevalent, *robore* s. *viribus*, facultatibus, potentia et honore, quomodo חַיִל et Ps. 62, 11. et saepius usurpatur. Chaldaeus: קְנוּ נְכָסִין *possident divitias*. Maximis opibus fortunisque florent. Contradicit ei, quod dixerat Zophar 20, 5., impiorum felicitatem cito perire. Illud מַדּוּעַ *quare?* possit etiam cum stomacho pronunciatum intelligi, ut velut querens de suo statu hoc dicat non solum ad socios, sed ad ipsum Deum, ejus judicia admirans, ut Jer. 12, 1. et auctor Ps. 73, Vs. 2. sqq.

8. זַרְעָם נָכוֹן לְפָנֵיהֶם עִמָּם *Semen eorum stabile*, firmatum ac prosperum (Hieronymus: *permanet*), *coram ipsis*, *una cum*

Digitized by Google

ipsis, aeque ac ipsi; habent coram se florentes suos liberos, nemine eorum, quamdiu ipsi vivunt, intereunte, וְצֶאֱצָאֵיהֶם לְעֵינֵיהֶם *et germina eorum ob oculos eorum*, eorum posteri ob oculos eorum versantur in summa prosperitate. Quidam sementim, fruges, et terrae plantas intellexerunt, quod grandine et aliis e coelo injuriis non percutiantur, nec aliis vitiis laborent, sed vireant et prospere cedant. Sed non dubium, prius esse rectum; confutatur enim hisce verbis, quod socii supra 18, 19. et 20, 10. 26. de interitu posteritatis impiorum dixerant. צֶאֱצָאִים *Germina e terra exeuntia*, metaphorice liberos aut posteros ab aliquo descendentes et exeuntes significare vidimus supra ad 5, 25.

9. בָּתֵּיהֶם שָׁלוֹם מִפַּחַד *Domus eorum pax*, in pace, pacatae (cf. not. supra 5, 24.), *a pavore* liberae, i. e. tranquillae et omni metu calamitatis et molestiae vacuae. וְלֹא שֵׁבֶט אֱלוֹהַּ עֲלֵיהֶם *Nec virga Dei super illos*, quum ceteri calamitatibus involvuntur et affliguntur, ex eorum numero non sunt; soli hominum a plaga communi sunt immunes, quasi illis parcat Deus. Cf. Ps. 73, 5. *Virga Dei* h. l. aliter sumitur, quam Ps. 23, 4., ubi de pastorali virga dicitur, qua nos ducit, hic vero est, qua percutit, ut supra 9, 34.

10. שׁוֹרוֹ עָבַר וְלֹא יָגֵעַל *Bos ejus*, scil. cujuslibet illorum (improborum) *transire facit* sc. semen, init, impraegnat vaccam, *nec fastidit* sc. vaccam, ex inertia. Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 30. (T. I. p. 291. edit. Lips.) cum LXX et Vulgato שׁוֹר h. l. *bovem feminam*, vaccam, et עָבַר *concipere* denotare existimat, contra Grammaticam et linguae usum. תְּפַלֵּט פָּרְתּוֹ וְלֹא תְשַׁכֵּל *Parit juvenca ejus et non facit abortum.* תְּפַלֵּט *parit*, a verbo פָּלַט, i. q. מָלַט, permutatione literarum בומף. Proinde utrique verbo hoc commune est, quod, cum in genere significet *liberare*, vel *liberari*, speciatim referantur ad *liberationem* ἀπὸ τῶν ὠδίνων, *a partus onere et doloribus*, ut Jes. 66, 7. וְהִמְלִיטָה זָכָר *liberata quod ad marem*, i. e. marem peperit. Cf. Jes. 34, 15. Verbum תְּשַׁכֵּל h. l. non denotat *orbatus est*, sed, *abortum facit*, ut Gen. 31, 38. Ex. 23, 26. 2 Reg. 2, 19. Cant. 4, 2. 6, 7. Hos. 9, 14. Nam *abortio* partui directius opponitur, quam *orbitas*.

11. יְשַׁלְּחוּ כַצֹּאן עֲוִילֵיהֶם *Emittunt*, sc. improbi, *tanquam ovium greges*, *parvulos suos* (cf. de עֲוִילִים not. supra ad 19, 18.), i. e. prae copia huc illuc libere velut laxant ovium more per campos emissarum: et simul laetitia significatur, et quod in luce hominum prae potentia versentur. וְיַלְדֵיהֶם יִרְקֹדוּן *Et nati eorum saliunt*, prae gaudio et rerum successu, ut agni primum editi. Hieronymus: *exsultant lusibus.* Sunt, qui de vitulis intelligant, recens natis, ut descriptio foecunditatis gregum continuetur. Sed de filiis ob similitudinem ab ovibus sumtam, satius est, exponere. Gregatim filios emittunt, exsilientes ovium more.

Digitized by Google

12. יִשְׂאוּ בְּתֹף וְכִנּוֹר *Attollunt* sc. קוֹל *vocem*, s. רִנָּה *jubilum* (ut Jer. 7, 16. 11, 14. coll. Jes. 42, 11. Ps. 81, 3.) *cum tympano et cithara*, sive, quum in quibusdam exemplaribus scriptum sit כְּתֹף *sicut tympanum*, personant velut tympano et cithara, ita laetantes, ac si tripudiarent ad sonum tympani et citharae. וְיִשְׂמְחוּ לְקוֹל עוּגָב *Et laetantur ad vocem, sonum psalterii.* De עוּגָב vid. not. ad Ps. 33, 2.

13. יְבַלּוּ *Inveterant*, s. *ad vetustatem producunt* (Jes. 65, 22.), vel, ut legi praecipitur ad marginem, יְכַלּוּ *consumunt*, transigunt; sensus utrinque idem. בְּטוּב יָמֵיהֶם *In bono dies suos*, vitam agunt et traducunt suavem et jucundam ad mortem usque. At ubi mors advenit, feliciter etiam et suaviter moriuntur, ut vixerant. Ad felicitatem enim etiam mortis conditio requiritur. Hoc est, quod subdit: וּבְרֶגַע שְׁאוֹל יֵרֵדוּ *Et momento ad infernum descendunt*, non diutino et lento morbo cruciantur, contabescunt, et conficiuntur, ut saepe pii aut alii homines diuturnis calamitatibus et longis morbis vexantur, sed facile, repente et suaviter moriuntur, cito et facillimo mortis genere hinc abrepti, quo minimum doloris sentiant, quale mortis genus inter omnia laudabat et sibi optabat accidere Julius Caesar, auctore Suetonio. De improborum εὐθανασίᾳ loquitur quoque, ex quorundam sententia Ps. 73, 4., vid. not. ibid. Sunt, qui בְּרֶגַע exponant quasi בְּמַרְגּוֹעַ *in quiete* (Jer. 6, 16.), i. e. placide et leniter. Sed ex usu loquendi בְּרֶגַע ubique est *subito, repente*, quod et h. l. sensum commodum fundere vidimus. יֵרֵדוּ a rad. יָרַד *descendit*, pro יָרְדוּ in pausa, resoluto Camez in Pathach et Dagesch euphonicum.

14. Enotatur character apertae improbitatis, quae contemtum Numinis prae se ferat, Deoque vel illudat, vel insultet. וַיֹּאמְרוּ לָאֵל סוּר מִמֶּנּוּ *Dicunt* (sc. impii illi, quorum felicitatem ad mortem usque antea exposuerat) *Deo, recede a nobis;* cf. infra 22, 17. Jes. 59, 13. וְדַעַת דְּרָכֶיךָ לֹא חָפָצְנוּ *Et τὸ scire*, notitiam *viarum tuarum non cupimus. Viae Dei* h. l. sunt, quibus vult homines ambulare, ut Ps. 25, 4., ad quem loc. vid. not.

15. מַה־שַּׁדַּי כִּי־נַעַבְדֶנּוּ *Quid est Omnipotens, ut serviamus ei*, ut debeamus eum colere? Similia vid. Exod. 5, 2. Prov. 30, 9. Mal. 3, 14. וּמַה־נּוֹעִיל כִּי נִפְגַּע־בּוֹ *Et quid proficimus, quod* precibus *ei occurrimus?* ei supplicamus? precibus nostris sollicitemus? quomodo verbum פָּגַע cum ב constructum et Ruth. 1, 16. Gen. 23, 8. Jer. 7, 16. usurpatur. Bene Hieronymus: *et quid nobis prodest, si oraverimus illum?*

16. הֵן לֹא בְיָדָם טוּבָם *En! non est in manu eorum felicitas eorum!* Ironice haec esse capienda, mirum est, ante A. Schultensium tot interpretum neminem perspexisse. Primus igitur ille sensum recte sic exposuit: „En nunc, quod vos contenditis, non habere improbos stabilem felicitatem! Contraria

Digitized by Google

omnia oculis cernere est quotidie. Innumera exempla talium improborum, ad mortem usquè continua felicitate fruentium, quales ego descripsi; paucissima eorum, quos vos depinxistis, plagis omnibus exstirpatos, cum sua sibi prole, ac posteritate." הֵן et supra 8, 19. in ironia adhibitum vidimus: *Ecce, hoc est gaudium viae ejus!* SCHNURRERUS in *Dissertatt.* p. 258., subaudita, hujus Versus initio, formula אָמַרְתָּ, adversariorum sententiam putat a Jobo commemorari hoc animo, ut eandem nunc neget atque confutet. Mihi tamen potior videtur interpretandi ratio a Schultensio proposita. Posterius hemistichium, עֲצַת רְשָׁעִים רָחֲקָה מֻנִּי *consilium impiorum talium procul a me sit*, per affectum interseritur a Jobo ad declarandum, quam parum impiis invideat istam eorum felicitatem, et quantopere illorum sententiam et institutum aversetur. רָחֲקָה in Praeterito enunciatum esse *vi imperandi*, ex solenni more Arabum, quo *imprecationes* et *detestationes* hoc modo proferunt, ad majorem emphasin, apposite monuit A. Schultens, et exempla attulit formulae לענהו אללה *maledixit ei Deus*, pro *maledicat;* בעדת *abiisti*, pro *apage in malam rem!* Cf. not. nostr. ad Ps. 22, 22. p. 621.

17. כַּמָּה נֵר־רְשָׁעִים יִדְעָךְ *Quoties lucerna improborum exstinguitur?* In formula נֵר יִדְעָךְ aperta est allusio ad dictum Bildadi 18, 5., ubi not. vid. Rarum est, inquit, improbos notabiliter puniri? hinc non timent magnopere, atque hac etiam in parte non sunt infelices. Quoties, pergit, videmus, וְיָבֹא עֲלֵימוֹ אֵידָם *quod venit super eos exitium eorum?* Raro sane. De nomine vid. not. ad 18, 12. Suffixum ad אֵידָם non est *agentis*, quasi significetur *malum ab iis in alios paratum*, sed passivum, *exitium ipsis infligendum*, sive, quo digni sunt. חֲבָלִים יְחַלֵּק בְּאַפּוֹ Quoties *dolores distribuit* illis Deus pro sorte et portione, *in ira sua?* Aliis חֲבָלִים h. l. sunt *funes*, ut hoc dicatur: quoties *funes partietur* Deus *in ira sua?* i. e. dividet illis et assignabit pro portione ipsorum poenas illis destinatas et decretas, velut hereditario jure, ut allusio sit ad verba Zophari supra 20, 29. *Haec est portio impii a Deo, et hereditas. Funiculis* enim hereditariae portiones terrae dividebantur, unde *funes* pro sortibus et portione hereditaria, ut Ps. 16, 6., ad quem loc. not. cf. Ita h. l. Chaldaeus: *sortes dividet in furore suo.* Simplicius tamen videtur prius illud, ut חֲבָלִים sint *dolores*, ut infra 39, 3. al. 5. Jes. 13, 8. 66, 7. Jer. 13, 21.

18. Repetendum est ad hunc Versum ex superiore כַּמָּה *quoties* יִהְיוּ כְּתֶבֶן לִפְנֵי רוּחַ *erunt instar paleae coram vento?* ut, Deo judicium in eos exercente, non possint coram eo subsistere, sed protinus auferantur et pereant? Raro sane, inquit, hoc accidere video, contra assidua felicitate utuntur. וּכְמֹץ גְּנָבַתּוּ סוּפָה *Et sicut gluma, quam surripit turbo?* Suffixum in גְּנָבַתּוּ post relativum h. l. subaudiendum facit Accusativum, ut Ps. 1, 4.,

Digitized by Google

ubi eadem comparatio, כְּמֹץ אֲשֶׁר־תִּדְּפֶנּוּ רוּחַ est impius *sicut gluma, quam ventus dispergit.*

19. Hoc Versu occupatio continetur et concessio objectionis a sociis factae, qui subinde dixerant, si non puniantur impii ipsi, tamen reservari poenam filiis. Subaudiendum igitur hujus Versus initio אֲמַרְתֶּם *dicitis;* אֱלוֹהַּ יִצְפֹּן־לִבְנָיו אוֹנוֹ *Deus reponit*, recondit *filiis ejus nequitiam ejus*, hoc mihi tacita cogitatione objicietis, impii si ipsi poenas promeritas effugiant, non tamen evasuros filios posterosve, quibus ira Dei recondita quasi in thesaurum, ut in ipsis et patres plectantur. Hoc ita concedit agnoscitque Jobus, ut simul reponat, poenam liberis infligtam non satisfacere justitiae divinae, quae ipsos parentes etiam punire deberet, ipsos potius, dum vivant, molestiarum ac dolorum sensu afficiendos esse, posterorum enim curam ipsos non habere, postquam e vita discesserint (Vs. 21.). Igitur alterum hujus Versus hemistichium continet Jobi responsum, ad sociorum objectionem priori hemistichio propositam: יְשַׁלֵּם אֵלָיו וְיֵדָע At *retribuat ei* ipsi, sc. Deus, rependere illi ipsi deberet, *et cognoscat*, i. e. sentiat, experiatur, ut Ez. 25, 14. וְיָדְעוּ אֶת־נִקְמָתִי *cognoscant*, sentiant, *ultionem meam.* Cf. Jes. 9, 8. Hos. 9, 7.

20. יִרְאוּ עֵינָיו כִּידוֹ *Videant*, videre deberent, *oculi ejus fraudem ejus*, i. e. fraudem et insidias, divinitus ei structas et paratas, ad ipsum subito involvendum atque perdendum. כִּיד i. q. consonum arabicum كَيْد *dolus, stratagema*, et saepe usurpatur de *fraude in perniciem aliorum.* וּמֵחֲמַת שַׁדַּי יִשְׁתֶּה *Et de ira Omnipotentis bibat.* Supplicia impiis a Deo irato immissa saepe sistuntur figura *calicis* potione venenata impleti, improbisque propinati. Vid. Deut. 32, 33. Jes. 51, 17. 22. Jer. 25, 15. Apocal. 14, 8. In חֲמַת respicitur simul notio *veneni*, certissimam mortem inferentis, quae supra 6, 4. et alias exstat. Sunt, qui hac figura allusum putent ad poenam capitalem veterum, qua venenum bibendum dabatur. Hebraeis tamen hoc supplicii genus numquam fuit usitatum.

21. כִּי מַה־חֶפְצוֹ בְּבֵיתוֹ אַחֲרָיו *Nam quid desiderium ejus in domo sua post se?* Quid curat, quid domui suae, et suis filiis et posteris post se accidat, quum non norit aut curet, quae hic aguntur inter homines? Ea enim mortui ignorant, et, ut supra 14, 21., Jobus dicebat, mortuus parens non curat, nec scit, an filii quos hic reliquit, sint opulenti an pauperes. Itaque, ut voluptatem non capit, si eis bene sit, ita nec curat, si puniantur, nihil ad illum, qui id non sentiat, qui sentire poterat vivus adhuc. חֵפֶץ h. l. non tam est *voluptas*, quam *studium*, *occupatio*, *negotium*, quo adficitur, ut Coh. 3, 1. 5, 7. 8, 6. אַחֲרָיו *post eum*, i. e. post obitum ipsius, ut Gen. 17, 19. 18, 19. Coh. 3, 22. — וּמִסְפַּר חֳדָשָׁיו חֲצוּצוֹ *Et quod ad numerum mensium ejus abscissi sunt*, i. e. postquam vitae tempore, ei assignato, est defunctus?

Digitized by Google

24. Hunc Versum plerique interpretes, subaudita illius initio particula אִם, ita transferunt: *si fugerit ab armatura ferri*, si arma ferrea effugerit, *trajiciet eum arcus aeris*, aeneus, i. e. validissimus, ex quo emissae sagittae altius penetrant. Dictum proverbiale, quale illud: *e fumo, in ignem; in Scyllam, e Charybdi.* Ubi se putarit leviora pericula effugisse, in graviora incidit. Alii prius hemistichium reddunt: *fugere cogetur* (ut infra 27, 22.) *ab armatura ferri.* A. Schultens: *fugiet* fractus *ab armatura ferri.* Praestare tamen videtur vulgaris interpretatio. תַּחְלְפֵהוּ *Trajiciet*, missis sagittis transadiget *eum*, ut Jud. 5, 26. Alii: *perimet, tollet eum*, et Jes. 2, 18. De *arcu aeneo* cf. not. ad Ps. 18, 35.

25. שָׁלַף *Educit* sc. educens, i. e. educitur, intellige telum, gladium, quo transverberandus est impius. וְיֵצֵא מִגֵּוָה *Et exibit e tergo* impii, quando ab una parte intrat, ab altera rursus exit. Cf. 2 Reg. 9, 24. גֵּוָה propr. *corpus*, aliis h. l. est vel *vagina*, qua gladius, vel *pharetra*, qua sagitta reconditur. Sed quum in altero hemistichio dicatur, *gladium* exire ex hominis *felle*, aptius גֵּוָה pro ejusdem *corpore* sumitur. וּבָרָק *Et acies*, vel fulgor *gladii* nudati, ut Deut. 32, 41. Ez. 21, 15. 20. (Arabibus similiter ברק *fulgens*, saepissime usurpatur de *gladio*), vel *hastae*, Nah. 3, 3. Hab. 3, 11. מְמָרְרָתוֹ *E felle ejus.* Indicatur vulnus lethale impio inflictum; nam *fel* et *folliculus ejus*, hepati adhaerens, includit omnia vitalia, cf. supra 16, 13. יַהֲלֹךְ quidam ad בָּרָק referunt, quomodo *prodibit* vertendum erit, i. q. יֵצֵא. Sed rectius A. Schultens: „יַהֲלֹךְ per se stans, novum addit pondus, sub notione *pereundi*, quam reperies Cap. 14, 20. 19, 10. 27, 21.“ Vertendum igitur: *abit*, perit, עָלָיו אֵימִים *super eum terrores* sc. mortis irruent. Sunt etiam, qui יַהֲלֹךְ ad אֵימִים referant; ex quibus Hieronymus, qui totum hunc Versum sic reddidit: *eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua; vadent et venient super eum horribiles.*

26. כָּל־חשֶׁךְ טְמוּנָיו לִצְפוּנָיו *Omnes tenebrae*, omne tenebrarum genus *reconditum in thesauros suos*, s. pro thesauris ei repositum est omne genus anxietatum et miseriarum. טָמוּן *Absconditum*, de thesauro, vel penu recondito et Jer. 41, 8. Jes. 45, 3. dicitur. Similiter צָפַן de *thesauris* crebrum, ut Prov. 13, 22. Ps. 17, 14. Similem allegoriam vid. Jacob. 5, 3. Aliis צְפוּנִים h. l. sunt *latebrae*, hoc integrae φήσεως sensu, *omnes tenebrae* miseriarum *abditae sunt latebris ejus*, quascunque quaesierit latebras, ubi se tutum fore putet, nil proderit; ubique occurrent majores calamitatum tenebrae. Eundem sensum exprimere voluit haud dubie Hieronymus: *omnes tenebrae absconditae* sunt *in occultis ejus.* תֹּאכְלֵהוּ אֵשׁ לֹא נֻפָּח *Vorabit eum ignis*, qui *non sufflatur*, i. e. maximus, quem exsufflare, ut ardeat, non est opus, quippe qui non ab hominibus excutitur et fovetur, sed a Deo

Digitized by Google

vibratur e coelo. נָפַח Praeteritum Pyal hoc tantum loco occurrens (coll. Cal Jes. 54, 16. Ez. 22, 20. 21.), idque masculini generis, ob praecedens אֵשׁ commune, unde cum utroque genere illud recte jungitur, coll. Ps. 104, 4. Similem nominis רוּחַ constructionem vid. 1 Reg. 19, 11. Hos. 4, 19. Ultima verba, יֵרַע שָׂרִיד בְּאָהֳלוֹ, plures sic vertunt: *male habebit* (יֵרַע Futur. Cal verbi יָרַע, coll. Ps. 106, 32. Deut. 15, 10. al.) *residuus in tabernaculo ejus*, non ipse solum male perdetur, sed quisquis in domo ejus superstes, propter eum male habebit. Alii: *confringetur* (ut יֵרַע sit Niphal verbi רָעַע, quod tamen Prov. 11, 15. 13, 20. alia forma, יֵרוֹעַ, comparet) *residuus* s. residuum *in tentorio ejus*, res familiaris residua impii igne plane conteretur ac delebitur. Alii יֵרַע ad verbum רָעָה, *depascendi* significatu, referunt, ut vel sit Futurum apocopatum formae Niphal: *depascetur*, illo igne, *elapsus*, s. residuum, *in tentorio ejus;* vel Futurum apocopatum Cal, id quod A. Schultensio praeplacuit, qui hebraea sic interpretatus est: *depascet* ignis iste, *residuum*, et elapsum, *in tentorio ejus*, i. e. internecione delebitur universa talis hominis familia, atque nulli plane cladem huic domui incumbentem evadere concedetur. „Si תֵּרַע scriptum esset, quum תְּאָכְלֵהוּ ad אֵשׁ pertineret, omnes vidissent; יֵרַע tamen rite post אֵשׁ, quod communis est generis, resumtum, quia לֹא נָפַח *non sufflatur*, in masculinum jam inclinarat.“ Sensus idem erit, quocunque modo יֵרַע accipias.

27. יִגְלוּ שָׁמַיִם עֲוֹנוֹ וְאֶרֶץ מִתְקוֹמָמָה לוֹ *Revelabunt coeli iniquitatem ejus, et terra insurget in eum.* Universae res creatae inimicae ei erunt, et velut in eum armandae, ut et e coelo cum eo pugnetur, et e terra. „Non dubium, ad Jobum ipsum aperte digitum intendi, adversus quem coelum et terra veluti consurrexerint. Speciatim retundi putem Jobi confidentiam Cap. 16, 18. 19., ubi coelum et terram innocentiae oppressae citarat testes. Imo vero, inquit objurgator, et coelum poenis inauditis tibi inflictis testimonium contra te tulit, atque occulta tua crimina revelavit, te nocentissimum arguens; et terra similiter contra te insurgit, dum te amplius ferre recusat, dignum videlicet, qui quantocius exscindaris.“ A. Schultens.

28. יִגֶּל יְבוּל בֵּיתוֹ *Migrabit*, exsulabit, *proventus domus ejus*, misere dissipabuntur omnia ab eo per fas et nefas parta. Verbum גָּלָה h. l. commodissime *migrandi* significatu capitur, ut 1 Sam. 4, 21. 22. גָּלָה כָבוֹד מִיִּשְׂרָאֵל *migrat gloria ab Israele;* vid. et Amos. 5, 5. Chaldaeus: *auferetur frumentum domus illius.* Alias גָּלָה est *patuit, apparuit, manifestum fuit*, ut Prov. 27, 25. גָּלָה חָצִיר *apparuit gramen.* Qua adscita h. l. significatione A. Schultens vertit: *apparebit proventus domus ejus*, videlicet, quae altero hemistichio nominatur, immensa moles irae divinae super ipsum effundenda. Hieronymus: *apertum erit germen domus illius.* Quod alii sic explicant: cognoscent omnes, unde

Digitized by Google

impio tot fructus, et tanta bonorum abundantia, ex fraude videlicet, et rapina. Alii sic: fructus et proventus, quos condiderat, quosque pauperibus negaverat, aperientur et patebunt omnibus. Sed simplicissima et orationis seriei aptissima interpretatio est quae primo loco posita. נִגְרוֹת בֵּיתוֹ אַפּוּ *Diffluentia* sc. erunt cuncta impii, velut aquae effusae omnia ejus bona diffluent, *die irae ejus* sc. Dei. נָגַר *diffusus est*, *diffluit*, 2 Sam. 14, 14., cf. Mich. 1, 4. Ad נִגְרוֹת subaud. ex גִּבּוּל nomen cognatae notionis, טוּבוֹת *bona*, aut תְּבוּאוֹת *proventus*, *reditus* (Lev. 25, 15.). Chaldaeus: *oleum et vinum ejus defluent in die furoris ejus.* Hieronymus verbum נָגַר *trahendi* significatu cepit, Aramaeis usitato, ut נְגָרוֹת sint *tractiones*, vertitque: *detrahetur in die furoris Dei*, ab excelso gradu ad infimam usque conditionem a Deo irato detrudetur.

29. זֶה חֵלֶק־אָדָם רָשָׁע מֵאֱלֹהִים *Haec est pars*, portio, sors, *hominis impii*, quam scilicet feret *a Deo*, poena, quam velut pro portione sua a Deo sibi ordinata obtinebit. Est totius hujus loci epilogus per epiphonema. Similis conclusio supra in fine sermonis secundi Bildadi, 18, 21. Ut illa vero, ita et haec, invidiose in Jobum directa est. וְנַחֲלַת אִמְרוֹ מֵאֵל *Et* haec est *hereditas dicti ejus a Deo*, i. e. quae ei addicta est et decreta a Deo poena, quam feret a Deo, juxta sententiam de eo pronunciatam. אִמְרוֹ passive accipiendum, et quidem verbo אָמַר *addicendi*, *decernendi* notione sumto, ut 1 Reg. 11, 18. Habac. 3, 9. Alii active intelligunt, hoc sensu: haec est hereditaria portio, quam feret ob sermones, impie et insolenter in Deum effusos, ut hoc in Jobum contorqueatur, qui in Deum atrocia dixerat, juxta illorum sententiam. Ita Hieronymus: *et hereditas verborum ejus a Domino.*

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 21.

Hac postrema oratione secundi congressus cum sociis, Jobus non solum Zopharo, qui proxime multis verbis egerat de exitio improborum in hac vita, respondet, sed et ceteris, qui eadem in re plurimum immorati fuerant, ut ostenderent, impios, etsi hic aliquandiu floreant, et in summum rerum fastigium evehantur, tandem tamen poenas in hac vita dare, et misere perire. E contrario nunc Jobus ostendit, impios hic florere ad mortem usque cum tota posteritate, ac non solum suaviter et feliciter vivere, sed et suaviter mori, neque ita affligi et cruciari ipsos, aut eorum deleri memoriam, ut Zopharus et socii dixerant: itaque nec hujus vitae felicitatem pietatis ac probitatis argumentum esse, nec calamitates signum impietatis, contra socios, qui ex afflictionibus praesertim ita gravibus Jobi, colligebant eum impium esse ac Deo invisum. Primis quinque aut sex Vss. varie attentionem captat, et sibi conciliare studet; inde ad rem venit, et eorum sententiam refutare incipit, Vs. 7. et sqq.

2. שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ מִלָּתִי *Audite audiendo sermonem meum*, i. e. attente audite, Infinitivus Imperativo additus intendit sensum, ut Jes. 66, 10. שִׂישׂוּ אִתָּהּ מָשׂוֹשׂ *laetamini cum ea laetando*, i. e. vehementer gaudete. Cf. Jer. 46, 5. Thren. 1, 8. Plura de hac loquendi formula vid. in GESENII *Lehrg.* p. 778. Haec ipsa verba, h. l. usurpata, aderant supra 13, 17. וְהִתְהִי־זֹאת תַּנְחוּמֹתֵיכֶם *Eritque hoc*, si me attente audieritis, *consolationes vestrae*, id habebo pro consolationibus, quibus vos oportuerat me solari. Venistis, ut me consolaremini. Id tantum abest, ut faciatis, ut me potius exasperetis, et meum dolorem augeatis; equidem si me patienter audieritis, id mihi vestrarum consolationum loco fuerit. Male Hieronymus: *et agite poenitentiam*, quia verbum נָחַם in Niphal *poenitendi* significatu sumitur. Sed תַּנְחוּמִים et תַּנְחוּמוֹת non nisi *consolationes* sonat, cf. supra 15, 11. Jes. 66, 11., et verbum infra Vs. 34. et 16, 2.

Digitized by Google

3. שָׂאוּנִי וְאָנֹכִי אֲדַבֵּרָה *Ferte*, sustinete *me*, *et* s. dum *ego loquar*, me patienter pro me dicentem, et causam meam agentem audite, וְאַחַר דַּבְּרִי תַּלְעִיג *Et post loqui meum*, postquam loquutus fuero, *subsannabis*, hoc specialiter in Zopharum dicit, vel certe sub unitatis numero omnes comprehendit: quivis vestrum, si tum jure poterit, me subsannare et illudere pergat. Hieronymus videtur ita distinxisse: *et postea*, *sermonem meum ridebis;* vertit enim: *et post mea*, *si videbitur*, *verba ridete.* Sensus eodem recidit. לָעַג in Cal et Hiphil idem notat, cf. Ps. 22, 8. Neh. 2, 19. 3, 33. 2 Paral. 30, 10.

4. הֲאֵלֹכִי לְאָדָם שִׂיחִי *Num quod ad me attinet ad hominem querela mea?* i. e. an vero mihi sermo cum homine, ut vobiscum, instituitur, ac non potius cum Deo? Et supra 13, 3. dixit, se coactum esse ad Deum sermonem convertere, et suam causam exponere ei, qui suam innocentiam norit. Igitur debetis me patienter audire, qui vos disputatione mea non petam, sed in Deum ipsum totam orationem transferam. שִׂיחַ *Meditatio*, *oratio querula*, de querelis Jobi adfuit 7, 13. 9, 27. 10, 1. וְאִם־מַדּוּעַ לֹא־תִקָּצַר רוּחִי *Et cur non abbreviaretur spiritus meus?* Quum mihi sermo sit cum Deo, a quo tamen ita afflictus non exaudior, nec ullum tanti mali levamen sentio, an non merito intolerantius doleo, et moerore conficior? Sane justissima mihi causa est. Si cum homine sermones haberem, cui pro libidine sua possem respondere, decederet forsan aliquid de meo tanto dolore; nunc, quum Deum compellare cogar, a vobis ita discruciatus, nec ejus a me iram avertere possim, cur non indulgerem dolori meo? Voluit a sui doloris magnitudine, propter quam ad Deum orationem suam cogatur convertere ab hominibus derelictus, socios attentos reddere: qui ab homine solatium non inveniat, sed nec a Deo, in quam tamen respicit, mitigationem doloris sentiat. אִם ante מַדּוּעַ interrogationi servit, ut infra 40, 9., et saepius. Alii post וְאִם subaudiunt כֵּן הוּא *quod si ita est*, i. e. quod si mihi cum Deo sermo est, non cum homine, non vobiscum, cur non arctaretur animus meus? Phrasi תִּקָּצַר רוּחִי *abbreviatus est spiritus meus* indicatur *impatientia doloris* et *indignatio*, vid. Prov. 14, 29. et cf. not. supra ad 6, 11. Hieronymus hunc Vs. sic reddidit: *Numquid contra hominem disputatio mea est*, *ut merito non debeam contristari?* Quod sic explicant, se merito attentionem postulasse, quippe qui non de re humana aliqua, sed de re gravissima, et quae ad Deum ipsum spectat, de providentia, deque impiorum suppliciis, piorum aerumnis, et justitia Dei, controversia agatur. Sed prior interpretatio verbis hebraicis magis convenit.

5. פְּנוּ־אֵלַי וְתָשֹׁמּוּ *Respicite ad me et obstupescite*, i. e. obstupescetis. Sic saepe Imperativus loco Futuri, ut nos etiam loqui solemus. Cf. 2 Reg. 5, 10. Jer. 6, 16. Ps. 51, 20. Non

Digitized by Google

solum, inquit, velim, ut me audiatis, verum etiam ut me respiciatis, ita graviter afflictum, vim doloris mei et gravitatem aerumnarum expendentes, uti par est. הָשֵּׁמּוּ Imperativus Hiphil (pro הָשֵּׁמּוּ, sicuti et in Praeterito הֵסַבּוּ *circumduxerunt*, 1 Sam. 5, 10., pro הֵסֵבּוּ dicitur), sumitur h. l. intransitive, ut Participium ejusdem conjugationis, מַשְׁמִים *obstupescens*, Ez. 3, 15. In quibusdam exemplaribus scribitur וְהָשֵּׁמּוּ, quasi ex forma Hophal, i. e. *ad stuporem adducamini*. At Conjugatio Hophal Imperativo caret, ex communi Grammaticorum consensu. וְשִׂימוּ יָד עַל־פֶּה *Et ponite manum super os*, s. ut Hieronymus, *et superponite digitum ori vestro*, i. e. silentium vobis imponetis, et prae stupore silebitis, nec habebitis, quid loquamini, considerato propius dolore meo tanto, praesertim qui mihi, tam innocenter ante acta vita, acciderit. *Manum ori imponere* gestus illius, qui prae admiratione et stupore silentium sibi imponit, vid. infra 29, 9. 40, 4. Mich. 7, 16. Prov. 30, 32. Sic Juvenalis *Sat.* I. *Digito compesce labellum.*

6. וְאִם־זָכַרְתִּי וְנִבְהָלְתִּי *Et cum recordor, sum attonitus*, quoties animus meus miseriae meae magnitudinem revolvit, non possum, quin sim attonitus. יֹאחֵז בְּשָׂרִי פַּלָּצוּת *Et apprehendit caro mea horrorem*, hypallage, qualis supra 18, 20. aderat, pro, carnem meam corripit horror. Alii hunc Versum cum proximo hoc sensu connectunt: totus horreo, ubi et mei doloris recordor, et simul etiam cum subit menti quaestio quae sequitur, cur feliciter vivant impii, ego vero innocens affligar ita, ut suam conditionem cum sequentibus conjungat. Quasi diceret: propterea et mei doloris gravitas, et ejus, quod dicturus sum, magnitudo, quod mihi, quoties memini, horrorem affert, debet vos ad me audiendum, et mei miserendum incitare.

7. מַדּוּעַ רְשָׁעִים יִחְיוּ *Cur impii vivunt?* sc. incolumes et felices, ut in solenni illa acclamatione יְחִי הַמֶּלֶךְ *vivat rex!* 1 Sam. 10, 24. 1 Reg. 1, 39. עָתְקוּ *Durant*, quod alii exponunt יָזְקִינוּ *consenescunt* (sic Alexandrinus, παλαίωνται), alii, pinguescunt et augescunt durabili opulentia. Ita Chaldaeus: אַתְקִיפוּ *confortati sunt*. Concinit arabicum عتق *recte et bene se habent opes, greges* etc. alicujus. גַּם־גָּבְרוּ חָיִל *Imo etiam invalescunt*, praevalent, *robore* s. *viribus*, facultatibus, potentia et honore, quomodo חַיִל et Ps. 62, 11. et saepius usurpatur. Chaldaeus: קְנוֹ נְכָסִין *possident divitias*. Maximis opibus fortunisque florent. Contradicit ei, quod dixerat Zophar 20, 5., impiorum felicitatem cito perire. Illud מַדּוּעַ *quare?* possit etiam cum stomacho pronunciatum intelligi, ut velut querens de suo statu hoc dicat non solum ad socios, sed ad ipsum Deum, ejus judicia admirans, ut Jer. 12, 1. et auctor Ps. 73, Vs. 2. sqq.

8. זַרְעָם נָכוֹן לִפְנֵיהֶם עִמָּם *Semen eorum stabile*, firmatum ac prosperum (Hieronymus: *permanet*), *coram ipsis*, *una cum*

Digitized by Google

ipsis, aeque ac ipsi; habent coram se florentes suos liberos, nemine eorum, quamdiu ipsi vivunt, intereunte, וְצֶאֱצָאֵיהֶם לְעֵינֵיהֶם *et germina eorum ob oculos eorum*, eorum posteri ob oculos eorum versantur in summa prosperitate. Quidam sementim, fruges, et terrae plantas intellexerunt, quod grandine et aliis e coelo injuriis non percutiantur, nec aliis vitiis laborent, sed vireant et prospere cedant. Sed non dubium, prius esse rectum; confutatur enim hisce verbis, quod socii supra 18, 19. et 20, 10. 26. de interitu posteritatis impiorum dixerant. צֶאֱצָאִים *Germina e terra exeuntia*, metaphorice liberos aut posteros ab aliquo descendentes et exeuntes significare vidimus supra ad 5, 25.

9. בָּתֵּיהֶם שָׁלוֹם מִפַּחַד *Domus eorum pax*, in pace, pacatae (cf. not. supra 5, 24.), *a pavore* liberae, i. e. tranquillae et omni metu calamitatis et molestiae vacuae. וְלֹא שֵׁבֶט אֱלוֹהַּ עֲלֵיהֶם *Nec virga Dei super illos*, quum ceteri calamitatibus involvuntur et affliguntur, ex eorum numero non sunt; soli hominum a plaga communi sunt immunes, quasi illis parcat Deus. Cf. Ps. 73, 5. *Virga Dei* h. l. aliter sumitur, quam Ps. 23, 4., ubi de pastorali virga dicitur, qua nos ducit, hic vero est, qua percutit, ut supra 9, 34.

10. שׁוֹרוֹ עִבֵּר וְלֹא יָגֵעַל *Bos ejus*, scil. cujuslibet illorum (improborum) *transire facit* sc. semen, init, impraegnat vaccam, *nec fastidit* sc. vaccam, ex inertia. Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 30. (T. I. p. 291. edit. Lips.) cum LXX et Vulgato שׁוֹר h. l. *bovem feminam*, vaccam, et עִבֵּר *concipere* denotare existimat, contra Grammaticam et linguae usum. תְּפַלֵּט פָּרָתוֹ וְלֹא תְשַׁכֵּל *Parit juvenca ejus et non faeit abortum.* תְּפַלֵּט *parit*, a verbo פָּלַט, i. q. מָלַט, permutatione literarum בומף. Proinde utrique verbo hoc commune est, quod, cum in genere significet *liberare*, vel *liberari*, speciatim referantur ad *liberationem ἀπὸ τῶν ὠδίνων*, *a partus onere et doloribus*, ut Jes. 66, 7. וְתִמָּלֵט זָכָר *liberata quod ad marem*, i. e. marem peperit. Cf. Jes. 34, 15. Verbum תְּשַׁכֵּל h. l. non denotat *orbatus est*, sed, *abortum facit*, ut Gen. 31, 38. Ex. 23, 26. 2 Reg. 2, 19. Cant. 4, 2. 6, 7. Hos. 9, 14. Nam *abortio* partui directius opponitur, quam *orbitas*.

11. יְשַׁלְּחוּ כַצֹּאן עֹלָלֵיהֶם *Emittunt*, sc. improbi, *tanquam ovium greges*, *parvulos suos* (cf. de עֹלָלִים not. supra ad 19, 18.), i. e. prae copia huc illuc libere velut laxant ovium more per campos emissarum: et simul laetitia significatur, et quod in luce hominum prae potentia versentur. וְיַלְדֵיהֶם יִרְקֹדוּן *Et nati eorum saliunt*, prae gaudio et rerum successu, ut agni primum editi. Hieronymus: *exsultant lusibus.* Sunt, qui de vitulis intelligant, recens natis, ut descriptio foecunditatis gregum continuetur. Sed de filiis ob similitudinem ab ovibus sumtam, satius est, exponere. Gregatim filios emittunt, exsilientes ovium more.

Digitized by Google

12. יִשְׂאוּ בְתֹף וְכִנּוֹר *Attollunt* sc. קוֹל *vocem*, s. רִנָּה *jubilum* (ut Jer. 7, 16. 11, 14. coll. Jes. 42, 11. Ps. 81, 3.) *cum tympano et cithara*, sive, quum in quibusdam exemplaribus scriptum sit כְּתֹף *sicut tympanum*, personant velut tympano et cithara, ita laetantes, ac si tripudiarent ad sonum tympani et citharae. וְיִשְׂמְחוּ לְקוֹל עוּגָב *Et laetantur ad vocem, sonum psalterii.* De עוּגָב vid. not. ad Ps. 33, 2.

13. יְבַלּוּ *Inveterant*, s. *ad vetustatem producunt* (Jes. 65, 22.), vel, ut legi praecipitur ad marginem, יְכַלּוּ *consumunt*, transigunt; sensus utrinque idem. בְּטוּב יְמֵיהֶם *In bono dies suos*, vitam agunt et traducunt suavem et jucundam ad mortem usque. At ubi mors advenit, feliciter etiam et suaviter moriuntur, ut vixerant. Ad felicitatem enim etiam mortis conditio requiritur. Hoc est, quod subdit: וּבְרֶגַע שְׁאוֹל יֵרֵדוּ *Et momento ad infernum descendunt*, non diutino et lento morbo cruciantur, contabescunt, et conficiuntur, ut saepe pii aut alii homines diuturnis calamitatibus et longis morbis vexantur, sed facile, repente et suaviter moriuntur, cito et facillimo mortis genere hinc abrepti, quo minimum doloris sentiant, quale mortis genus inter omnia laudabat et sibi optabat accidere Julius Caesar, auctore Suetonio. De improborum *εὐθανασίᾳ* loquitur quoque, ex quorundam sententia Ps. 73, 4., vid. not. ibid. Sunt, qui בְּרֶגַע exponant quasi בְּמַרְגּוֹעַ *in quiete* (Jer. 6, 16.), i. e. placide et leniter. Sed ex usu loquendi בְּרֶגַע ubique est *subito*, *repente*, quod et h. l. sensum commodum fundere vidimus. יֵרֵדוּ a rad. יָרַד *descendit*, pro יֵרְדוּ in pausa, resoluto Camez in Pathach et Dagesch euphonicum.

14. Enotatur character apertae improbitatis, quae contemtum Numinis prae se ferat, Deoque vel illudat, vel insultet. וַיֹּאמְרוּ לָאֵל סוּר מִמֶּנּוּ *Dicunt* (sc. impii illi, quorum felicitatem ad mortem usque antea exposuerat) *Deo, recede a nobis;* cf. infra 22, 17. Jes. 59, 13. וְדַעַת דְּרָכֶיךָ לֹא חָמָדְנוּ *Et τὸ scire*, notitiam *viarum tuarum non cupimus. Viae Dei* h. l. sunt, quibus vult homines ambulare, ut Ps. 25, 4., ad quem loc. vid. not.

15. מַה־שַּׁדַּי כִּי־נַעַבְדֶנּוּ *Quid est Omnipotens, ut serviamus ei*, ut debeamus eum colere? Similia vid. Exod. 5, 2. Prov. 30, 9. Mal. 3, 14. וּמַה־נּוֹעִיל כִּי נִפְגַּע־בּוֹ *Et quid proficimus, quod* precibus *ei occurrimus?* ei supplicamus? precibus nostris sollicitemus? quomodo verbum פָּגַע cum ב constructum et Ruth. 1, 16. Gen. 23, 8. Jer. 7, 16. usurpatur. Bene Hieronymus: *et quid nobis prodest, si oraverimus illum?*

16. הֵן לֹא בְיָדָם טוּבָם *En! non est in manu eorum felicitas eorum!* Ironice haec esse capienda, mirum est, ante A. Schultensium tot interpretum neminem perspexisse. Primus igitur ille sensum recte sic exposuit: „En nunc, quod vos contenditis, non habere improbos stabilem felicitatem! Contraria

Digitized by Google

omnia oculis cernere est quotidie. Innumera exempla talium improborum, ad mortem usquè continua felicitate fruentium, quales ego descripsi; paucissima eorum, quos vos depinxistis, plagis omnibus exstirpatos, cum sua sibi prole, ac posteritate." הֵן et supra 8, 19. in ironia adhibitum vidimus: *Ecce, hoc est gaudium viae ejus!* SCHNURRERUS in *Dissertatt.* p. 258., subaudita, hujus Versus initio, formula אֲמַרְתֶּם, adversariorum sententiam putat a Jobo commemorari hoc animo, ut eandem nunc neget atque confutet. Mihi tamen potior videtur interpretandi ratio a Schultensio proposita. Posterius hemistichium, עֲצַת רְשָׁעִים רָחֲקָה מֶנִּי *consilium impiorum talium procul a me sit*, per affectum interseritur a Jobo ad declarandum, quam parum impiis invideat istam eorum felicitatem, et quantopere illorum sententiam et institutum aversetur. רָחֲקָה in Praeterito enunciatum esse *vi imperandi*, ex solenni more Arabum, quo *imprecationes* et *detestationes* hoc modo proferunt, ad majorem emphasin, apposite monuit A. Schultens, et exempla attulit formulae לענהו אללת *maledixit ei Deus*, pro *maledicat;* בעדת *abiisti*, pro *apage in malam rem!* Cf. not. nostr. ad Ps. 22, 22. p. 621.

17. כַּמָּה נֵר־רְשָׁעִים יִדְעָךְ *Quoties lucerna improborum exstinguitur?* In formula נֵר יִדְעָךְ aperta est allusio ad dictum Bildadi 18, 5., ubi not. vid. Rarum est, inquit, improbos notabiliter puniri? hinc non timent magnopere, atque hac etiam in parte non sunt infelices. Quoties, pergit, videmus, וְיָבֹא עֲלֵימוֹ אֵידָם *quod venit super eos exitium eorum?* Raro sane. De nomine vid. not. ad 18, 12. Suffixum ad אֵידָם non est *agentis*, quasi significetur *malum ab iis in alios paratum*, sed passivum, *exitium ipsis infligendum*, sive, quo digni sunt. חֲבָלִים יְחַלֵּק בְּאַפּוֹ Quoties *dolores distribuit* illis Deus pro sorte et portione, *in ira sua?* Aliis חֲבָלִים h. l. sunt *funes*, ut hoc dicatur: quoties *funes partietur* Deus *in ira sua?* i. e. dividet illis et assignabit pro portione ipsorum poenas illis destinatas et decretas, velut hereditario jure, ut allusio sit ad verba Zophari supra 20, 29. *Haec est portio impii a Deo, et hereditas. Funiculis* enim hereditariae portiones terrae dividebantur, unde *funes* pro sortibus et portione hereditaria, ut Ps. 16, 6., ad quem loc. not. cf. Ita h. l. Chaldaeus: *sortes dividet in furore suo.* Simplicius tamen videtur prius illud, ut חֲבָלִים sint *dolores*, ut infra 39, 3. al. 5. Jes. 13, 8. 66, 7. Jer. 13, 21.

18. Repetendum est ad hunc Versum ex superiore כַּמָּה *quoties* יִהְיוּ כְּתֶבֶן לִפְנֵי רוּחַ *erunt instar paleae coram vento?* ut, Deo judicium in eos exercente, non possint coram eo subsistere, sed protinus auferantur et pereant? Raro sane, inquit, hoc accidere video, contra assidua felicitate utuntur. וּכְמֹץ גְּנָבַתּוּ סוּפָתָה *Et sicut gluma, quam surripit turbo?* Suffixum in גְּנָבַתּוּ post relativum h. l. subaudiendum facit Accusativum, ut Ps. 1, 4.,

Digitized by Google

ubi eadem comparatio, כְּמֹץ אֲשֶׁר־תִּדְּפֶנּוּ רוּחַ est impius *sicut gluma, quam ventus dispergit.*

19. Hoc Versu occupatio continetur et concessio objectionis a sociis factae, qui subinde dixerant, si non puniantur impii ipsi, tamen reservari poenam filiis. Subaudiendum igitur hujus Versus initio אֲמַרְתֶּם *dicitis;* אֱלוֹהַּ יִצְפֹּן־לִבְנָיו אוֹנוֹ *Deus reponit*, recondit *filiis ejus nequitiam ejus*, hoc mihi tacita cogitatione objicietis, impii si ipsi poenas promeritas effugiant, non tamen evasuros filios posterosve, quibus ira Dei recondita quasi in thesaurum, ut in ipsis et patres plectantur. Hoc ita concedit agnoscitque Jobus, ut simul reponat, poenam liberis infligtam non satisfacere justitiae divinae, quae ipsos parentes etiam punire deberet, ipsos potius, dum vivant, molestiarum ac dolorum sensu afficiendos esse, posterorum enim curam ipsos non habere, postquam e vita discesserint (Vs. 21.). Igitur alterum hujus Versus hemistichium continet Jobi responsum, ad sociorum objectionem priori hemistichio propositam: יְשַׁלֵּם אֵלָיו וְיֵדָע At *retribuat ei* ipsi, sc. Deus, rependere illi ipsi deberet, *et cognoscat*, i. e. sentiat, experiatur, ut Ez. 25, 14. וְיָדְעוּ אֶת־נִקְמָתִי *cognoscant*, sentiant, *ultionem meam.* Cf. Jes. 9, 8. Hos. 9, 7.

20. יִרְאוּ עֵינָיו כִּידוֹ *Videant*, videre deberent, *oculi ejus fraudem ejus*, i. e. fraudem et insidias, divinitus ei structas et paratas, ad ipsum subito involvendum atque perdendum. כִּיד i. q. consonum arabicum كَيْد *dolus*, *stratagema*, et saepe usurpatur de *fraude in perniciem aliorum.* וּמֵחֲמַת שַׁדַּי יִשְׁתֶּה *Et de ira Omnipotentis bibat.* Supplicia impiis a Deo irato immissa saepe sistuntur figura *calicis* potione venenata impleti, improbisque propinati. Vid. Deut. 32, 33. Jes. 51, 17. 22. Jer. 25, 15. Apocal. 14, 8. In חֲמַת respicitur simul notio *veneni*, certissimam mortem inferentis, quae supra 6, 4. et alias exstat. Sunt, qui hac figura allusum putent ad poenam capitalem veterum, qua venenum bibendum dabatur. Hebraeis tamen hoc supplicii genus numquam fuit usitatum.

21. כִּי מַה־חֶפְצוֹ בְּבֵיתוֹ אַחֲרָיו *Nam quid desiderium ejus in domo sua post se?* Quid curat, quid domui suae, et suis filiis et posteris post se accidat, quum non norit aut curet, quae hic aguntur inter homines? Ea enim mortui ignorant, et, ut supra 14, 21., Jobus dicebat, mortuus parens non curat, nec scit, an filii quos hic reliquit, sint opulenti an pauperes. Itaque, ut voluptatem non capit, si eis bene sit, ita nec curat, si puniantur, nihil ad illum, qui id non sentiat, qui sentire poterat vivus adhuc. חֵפֶץ h. l. non tam est *voluptas*, quam *studium*, *occupatio*, *negotium*, quo adficitur, ut Coh. 3, 1. 5, 7. 8, 6. אַחֲרָיו *post eum*, i. e. post obitum ipsius, ut Gen. 17, 19. 18, 19. Coh. 3, 22. — וּמִסְפַּר חֳדָשָׁיו חָצוּצוּ *Et quod ad numerum mensium ejus abscissi sunt*, i. e. postquam vitae tempore, ei assignato, est defunctus?

Digitized by Google

Amplificatio τοῦ אַחֲרָיו. Verbum חֻצָּצוּ sunt qui a חָצָץ *scrupus*, *calculus*, ψῆφος, reddant *calculati*, s. *ad calculum*, i. e. *pleno numero exeunt*. Alii: *in sortem ei assignati sunt*, a חֵץ *sagitta*, quod *sagittis* ad sortes trahendas uterentur. Sed videtur potius a חֲצִי *dimidia pars* proprie *in duas partes secari*, *dimidiari*, et hinc *discindi*, excidi, truncari h. l. designare, unde Talmudicis חֲצִיצָא est *securis*.

22. Abrumpit hanc disputationem, et se, et socios admonens officii hominis in suscipiendis ac non definiendis Dei judiciis, q. d. ne putetis aut vestrum, aut meum, aut cujusquam mortalis esse, ut Deo praefigat, qua ratione ei cum hominibus agendum sit. הַלְאֵל יְלַמֵּד דָּעַת *Num Deum docebit* scil. docens, s. quispiam *scientiam?* quid facere decebat, velut ei praescribens, et terminum praestituens, quando, et qua ratione impios debeat punire? Annon novit ipse, quid sibi sit agendum, et quomodo hunc orbem administrare debeat? לְ nomini אֵל h. l. est Accusativi nota, more Aramaico, ut supra 8, 8. 12, 23. Jer. 40, 2. דַּעַת h. l. *scientia* est justitiae, in rebus humanis gubernandis observandae. Cf. Jes. 40, 14. וְהוּא רָמִים יִשְׁפּוֹט *Et ipse sublimia judicat*, quum judicet coelestia, quomodo non et inferiora judicaret? Potes רָמִים vertere *sublimes*, i. e. superos et coelicolas. Sensus eodem recidit. Angelis jus dicit, et in eos judicium exercet; quis ergo eum docebit, quid in homines et haec inferiora agere, et quomodo se gerere debeat?

23. Pergit jam refutare adversariorum sententiam, malis mala, bonis bona, pro meritis semper contingere, et Dei justitiam in fovendis his, puniendis illis, constanter posse deprehendi; quum contra appareat, Deum hac in re pro arbitrio suo agere, neque fortunam secundam, qua quis utitur, eum probum, neque adversam eum improbum arguere. Hinc *alium* omnibus bonis cumulatum et vivere et mori (Vs. 23. 24.), sub quo *impium* intelligere, tota disputationis series requirit: *alium* per omnem vitam usque ad mortem adversa fortuna agitari (Vs. 25.), quod ex oppositione de *pio* dictum esse apparet. זֶה *Hic*, unus, oppositum altero זֶה Vs. 25. Cf. supra 1, 16. 1 Reg. 22, 20. Ps. 75, 8. יָמוּת בְּעֶצֶם תֻּמּוֹ *Moritur in robore* s. firmitate *integritatis ejus*, in summa felicitate. תֹּם h. l. *integritatem physicam*, non *moralem*, ut quidam voluerunt, significat, ut תָּמִים Prov. 1, 12. est *integris viribus praeditus*, et מְתֹם Ps. 38, 4. Jes. 1, 6. *integritas virium*. עֶצֶם *os*, h. l. pro robore, firmitate, i. q. עֹצֶם infra 30, 21. Alii malunt: *in ipsa integritate ejus*, ut Gen. 7, 13. בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה *hoc ipso die*. Add. Gen. 17, 23. 26. Ex. 12, 17. — כֻּלּוֹ שַׁלְאֲנָן וְשָׁלֵיו *Totus ipse tranquillus et quietus*, nullis aerumnis, nullis miseriis adflictus. שַׁלְאֲנָן, hoc solo loco obvium, significatione non differre a שַׁאֲנָן (supra 12, 5.), vix esse potest dubium. Est vel compositum et contractum ex שָׁלָה et שַׁאֲנַן, quod utrumque

Digitized by Google

tranquillum esse denotat, ad intendendam significationem, vel est ipsum שַׁאֲנָן inserto ל, ut זַלְעָפָה est a Syr. זְעַף in *Ethpeel ustulatus est.*

24. עֲטִינָיו מָלְאוּ חָלָב *Loca pecorosa ejus plena sunt lacte*, i. e. bonorum omnium affluentia fruitur. Nomen ἅπαξ λεγόμενον עֲטִין explicandum est ex arabico עטן et מעטן *locus circa aquam, ubi pecora procumbunt et bibunt, siti expleta ad pascua reditura.* Bocharto *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 44. T. I. p. 505. ed. Lips. placuit interpretatio Syriaca: *latera ejus sunt plena adipe*, ut in Hebraeo pro עֲטִינָיו sit עֲטִימָיו (coll. Chald. עֲטִימָא pro אֲטִימָא *latus*), pro חָלָב autem sit חֵלֶב *adeps* reponendum. Posterius expressit Alexandrinus: τὰ ἔγκατα αὐτοῦ πλήρη στέατος, et Hieronymus: *viscera ejus plena sunt adipe.* Sed pro עֲטִינָיו hos interpretes Bochartus בְּטִינָיו *intestina ejus*, conjicit legisse. Ratio, cur pro עֲטִינָיו mavult עֲטִימָיו, et pro חָלָב potius חֵלֶב legere, est, quod *ossibus*, עֲצָמוֹת, in altero hemistichio, melius respondeant *latera*, itidem corporis humani partes osseae, et *medullae*, מֹחַ, magis conveniat חֵלֶב *adeps.* Sed nihil necesse est, ut receptam scripturam sollicitemus, et pro certis sequamur incerta, quum et ex illa inter utrumque hemistichium justa sit analogia. Nam prius membrum copiam rerum lautarum, posterius jucundum earum usum fructumque cum vigore sanitatis depingit. *Lactis abundantiâ* bonarum rerum affluentia designatur. וּמֹחַ עַצְמוֹתָיו יְשֻׁקֶּה *Et medulla ossium ejus irrigatur*, ne exarescat, corpore gaudet sano et vegeto. Quidam artificiosius: *et medulla quoad ossa sua potatur*, quod per metonymiam efficientis explicant de eo, quod medulla ossium gignitur, i. e. adipe, rebusque lautis, quibus veluti rigetur, ad ossa irrigatione illa penetrante, cum augmento medullae. Cf. Prov. 3, 8. *Erit hoc sanatio umbilico tuo*, et שִׁקּוּי לְעַצְמֹתֶיךָ *rigatio ossibus tuis.* Hieronymus: *et medullis ossa ejus irrigantur.*

25. וְזֶה יָמוּת בְּנֶפֶשׁ מָרָה *Et hic*, alius vero (Vs. 23.) *moritur in anima amara*, quum tota vita afflictus fuerit, aegro tandem animo vitam finit. נֶפֶשׁ מָרָה *Anima amara*, amarulentiae omnis sensu gustuque discruciata, cf. supra 3, 20; 7, 11. 10, 1. Illud jam describit, quod magna ex parte piis accidat. Cf. not. supra ad Vs. 23. Et ad se ipsum haec applicari haud dubie voluit. וְלֹא אָכַל בְּטוּבָה *Neque comedit bonum*, numquam bono aut prosperitate est usus. Verbum אָכַל cum ב constructum, ut לֶחֶם *comedit*, Ps. 141, 4.

26. יַחַד *Pariter*, cum felix ille, de quo Vs. 23. 24., tum prius infelix, Vs. 25. Utrique, ubi ad pulverem redeundum, simillima sorte uti incipiunt, atque a moderatore universi ita exaequantur, et quasi confunduntur, ut ne minimum quidem discrimen probi et improbi appareat. Dispares impii et pii in vita, defuncti pares sunt. Miseriores proinde innocentes in vita

Digitized by Google

et morte, quam improbi. Igitur ratio, quam Deus in distributione sortis felicis aut infelicis inter homines sequitur, humanae cognitionis limites egreditur, neque ex fortuna secunda aut adversa, qua quis utitur, de ejus pietate et improbitate temere judicium ferendum est. עַל־עָפָר *Super pulvere*, s. *humo* sc. sepulchri, ut supra 7, 21. 10, 9. Ps. 22, 16. De רִמָּה cf. not. supra ad 7, 5. תְּכַסֶּה עֲלֵיהֶם *Operit* sc. putredo, sive, si רִמָּה *vermis* significatione, sed collective, accipias, *operiunt eos*, utrique vermibus sunt esca. Verbum כָּסָה cum עַל construi solet, quasi: *tegumentum super aliquem* s. *super aliquam rem ponere*, vid. Lev. 4, 8. Num. 16, 33. Deut. 13, 9. Prov. 10, 12.

27. הֵן יָדַעְתִּי מַחְשְׁבוֹתֵיכֶם וּמִזְמוֹת עָלַי תַּחְמֹסוּ *En! novi cogitationes vestras, et cogitata vestra*, quae *adversus me violenter*, inique, *agitatis*, vel *quibus mihi vim facitis*, mihi scilicet injuriam et falsum crimen impingentes, quum me ex afflictionibus impium judicatis, quum ego jam vobis ostenderim, impios saepe per totam vitam prosperari, piis vero male esse. Est hic Versus (recte monente Mercero) apostrophe ad socios, qua eorum objectioni et cogitationibus occurrit, postquam adversum eos ostendisset impiorum felicitatem. Scio, inquit, quid apud vos dicturi et animo cogitaturi sitis iniqui de me, videlicet me ob scelera mea affligi. עָלַי תַּחְמֹסוּ Quibus *me injuria afficitis*, ut Jer. 22, 3. מְזִמּוֹת *cogitata*, s. ut Hieronymus h. l. habet, *sententiae*, vocabulum medium, quandoque sumitur in bonum, ut Prov. 1, 4. 2, 11.; alias vero in malum, de malitiosis et astutis cogitationibus, ut h. l. et Ps. 10, 2. Prov. 12, 2. 14, 17.

28. Nunc eorum cogitationes iniquas in se subjicit. כִּי תֹאמְרוּ *Nam dicitis*. Sive, subaudito יָדַעְתִּי ex Versu 27., *scio, quod dicitis* sc. apud vos, ita animo volvitis. אַיֵּה בֵית נָדִיב *Ubi est domus principis?* i. e. potentis, divitis, ejusque impii? Nam respondet וְאַיֵּה אֹהֶל מִשְׁכְּנוֹת רְשָׁעִים נָדִיב שׁ in altero hemistichio. וְאַיֵּה אֹהֶל מִשְׁכְּנוֹת רְשָׁעִים *Et ubi est tabernaculum habitationum impiorum.* Ut alii impii perierunt et eorum domus sunt eversae, ut earum nulla exstet memoria, aut vestigia supersint, sic Jobo et ejus domui accidit. Haud dubie, nisi impius fuisset Jobus, non ita destructa ejus domus, et ipse fortunis eversus esset, non omnes suas facultates amisisset. Idem illi plane evenit, quod piis omnibus evenire solet. Oportet ergo eum impium esse. Sunt, qui נָדִיב h. l. bono sensu sumant, de *ingenuo*, probo, qui ingenua virtute ac liberalitate emineat, ut Prov. 17, 26., ubi צַדִּיק et נְדִיבִים sibi invicem respondent. Hinc A. Schultens nostrum Versum ita exposuit: „*Enimvero dicturi estis*, illa vestra crudelitate, qua hactenus adversus me egistis, nihil mitigata, *ubi domus viri ingenui? et ubi tentorium tabernaculorum impiorum?* q. d. exempla nobis dari volumus talis domus, ubi probitas et virtus afflicta jaceat, miserrimam vitam et mortem pro sorte sua auferens;

Digitized by Google

itemque talis tentorii, ubi improbitas palam regnet in media opulentia, et felicitate numquam turbata?“ Verbum נָדִיב, quod proprie *clarum et celebrem opum et potentiae ac munificentiae nomine* significat (cf. arab. نَدِب *egregius et nobilis fuit*), hinc *principem, potèntem*, ut supra 12, 21. Ps. 47, 10. 83, 12. 1 Sam. 2, 8., h. l. de divite et potente *impio* capiendum esse, non solum parallelum רְשָׁעִים docet, verum etiam tota orationis series. Nam negant Jobi adversarii, id quod ipse asserit, impios saepe constanti felicitate uti. Unde quaestionis hoc Versu sub illorum persona propositae sensus potest non alius esse, nisi hic: divites illos ac potentes improbos divino judicio esse sublatos, nullum eorum opulentiae et fortunarum superesse vestigium. Interrogatio אַיֵּה *ubi est?* est exclamatio insultantis ob interitum, ut supra 20, 7. In altero hemistichio mutato numero רְשָׁעִים dixit, quod adversarii Jobum cum reliquis impiis eversis inter impios annumerarent et censerent. Sunt, qui אָהֳלֵי מִשְׁכְּנוֹת, subaudito ו, vertant *tabernaculum et habitacula*, vel ἀσυνδέτως intelligant sic: *ubi est tabernaculum?* ut de praecipua domo intelligatur: *ubi sunt habitacula?* ut de aliis, quas multas habet impius, accipiatur. Praestat tamen, אֹהֶל in regimine vertere, *ubi est tabernaculum habitationum?* q. d. habitaculum in varias habitationes et aedificia divisum? uti solent divites et principes domos magnas et sumtuosas, ac amplas et spatiosas aedificare, varie distributas ad habitationis commoditatem. Depingitur sic familiae improbae amplitudo et potentia.

29. הֲלֹא שְׁאַלְתֶּם עֹבְרֵי דָרֶךְ *Annon interrogastis transeuntes viam?* i. e. viatores, ut Thren. 1, 12. Interrogate modo viatores, qui scilicet experti et periti rerum esse solent, quia multa vident, experientia rerum valent; confirmabunt vobis illud, quod dixi, impios saepissime prosperrima uti fortuna. Interrogatio pro Imperativo, ut Ruth 2, 8. הֲלוֹא שָׁמַעַתְּ בִּתִּי *annon audivisti, filia?* pro *audi, quaeso.* Item 1 Sam. 26, 15. הֲלוֹא עָנִיתָ *annon respondebis?* i. e. responde, quaeso. שְׁאַלְתֶּם cum *Segol* sub א, pro Pathach, ut 1 Sam. 12, 13. 25, 5. Alii עֹבְרֵי דָרֶךְ intelligunt *obvios quosque*, quoslibet e via modo arreptos, q. d. res omnibus nota est et dudum explorata. Ita admiraretur adversariorum sive ignorantium, sive incogitantium, quod ejusmodi videantur nescire, quae etiam hominibus de trivio nota. Praestare tamen videtur, quod prius dedimus, quippe quod alteri hemistichio melius convenit. וְאֹתֹתָם לֹא תְנַכֵּרוּ *Et signa illorum* sc. viatorum, quibus ejusmodi quid pro memoria adnotare solent, *non ignorabitis*, probe agnoscetis. Sub אֹתֹתָם quidam indicari existimant *monumenta sepulchralia* hominum impiorum Vs. 29. commemoratorum, quae testimonium perhiberent indubitatum, eos salvos et incolumes ex hac vita discessisse. Sed intelligenda omnino exempla et documenta evidentissima eorum, quae Jobus disseruerat, de sorte

Digitized by Google

improborum proborumque, per omnem terram viamque exstantia. *Signa* autem dicit, persistens in metaphora, quod viatores signa viarum et aliarum rerum, quas vident, notare et observare solent memoriae causa. לֹא תְנַכְּרוּ quidam vertunt repetita interrogatione: *nonne agnoscetis.* Sed *agnoscendi* notionem נכר nonnisi in Hiphil obtinet, vid. e. c. Gen. 37, 33. Jud. 18, 3.

30. כִּי לְיוֹם אֵיד יֵחָשֵׂךְ רָע *Quod die exitii prohibetur malus*, ne scilicet ad eum calamitas pertingat, ac velut ei parcitur (cf. verb. חָשַׂךְ eodem significatu infra 33, 18. Esr. 9, 13.). לְיוֹם עֲבָרוֹת יוּבָלוּ *Die irarum* Dei *deducuntur* ad sepulchrum (ut supra 10, 19.), malis erepti, improbi, de quibus modo in singulari, modo in plurali loquitur, vid. supra not. ad Vs. 28. et Vs. 10. 11. לְיוֹם utroque hemistichio pro בְּיוֹם, ut לָעֶרֶב Gen. 49, 27. pro בָּעֶרֶב. Hoc est, inquit, quod vos viatores docebunt, et rerum experti, saepe quum calamitates orbi immittuntur a Deo, quibus ceteri involvantur, impios illas evadere.

31. מִי־יַגִּיד עַל־פָּנָיו דַּרְכּוֹ *Quis indicabit in faciem ipsius viam suam?* quis ei coram objicere audet et castigare crimina ab eo perpetrata? nemo sane; omnes eum timent. יַגִּיד, ut A. Schultens recte observat, h. l. valet idem, quod Ps. 50, 21. הוֹכִיחַ et עָרַךְ לְנֶגֶד עֵינָיו *castigare*, et *instruere sub oculis aciem convictionum et poenarum simul.* Tam formidabilis est, ut nemo eum reprehendere et poenas denunciare ausit. Non male Hieronymus: *Quis arguet coram eo viam ejus?* וְהוּא־עָשָׂה מִי יְשַׁלֵּם־לוֹ *Et* quae *ipse fecit*, patravit, *quis rependet illi?* Impune quaecunque lubent, perpetrat.

32. וְהוּא לְקִבְרוֹת יוּבָל *Et ille*, improbus, *ad sepulchra*, i. e. ad unum sepulchrorum (cf. not. supra ad 17, 1.) *effertur*, sc. solenni pompa, honorifice. Nam verbum יָבַל notionem habet conjunctam *solennis pompae et deductionis*, vid. Ps. 45, 15. 16. 108, 11. וְעַל־גָּדִישׁ יִשְׁקוֹד *Et super* s. pro *tumulo vigilat*, i. e. de monumento sepulchrali splendide struendo ipse adhuc vivus sibi prospicit, ut principes et divites solebant, vid. 2 Sam. 18, 18. Jes. 22, 16. Matth. 27, 60. Cf. de magnificis Veterum, Orientalium praesertim, mausoleis Jahn *Bibl. Archäologie*, P. I. T. II. §. 245. p. 547. Verbum שָׁקַד cum עַל *objecti* constructum, proprie: *vigilare super* s. *pro aliqua re*, denotat diligentem, sollicitum esse in aliquo negotio, tum in bonam, ut Jer. 1, 12. 31, 28., tum in malam partem, ut Jer. 5, 6. 44, 27. Dan. 9, 14. גָּדִישׁ, quod proprie *acervum frugum* notat (vid. not. supra ad 5, 26.), ad h. l. ad acervum et congeriem humi transferri, quod terra in sepulchro aggeratur velut in pyramidem, frugum more in areis s. tumulum sepulchralem, docet orationis series. Hieronymus: *et in congerie mortuorum vigilabit*, i. e. memoria ejus vigebit, cum alii neglecti et oblivioni dati jacent.

Digitized by Google

33. מָתְקוּ לוֹ רִגְבֵי־נָחַל *Dulcescunt*, suaves sunt *ei glebae vallis*, in qua sepultus jacet. Levis ei est terra. Similiter infra 24, 20. *vermis dulcis* esse dicitur vita defunctis. נַחַל, quod tam *torrentem*, quam *convallem* significat, per quam torrens solet defluere, sive decurrat, sive non, ut igitur nomen non aquam ipsam, sed locum designet (cf. not. ad Ps. 104, 10.), h. l. transfertur ad scrobem, in qua sepultus est mortuus. רִגְבִים, nomen hoc solo in libro obvium, et semel quidem tantummodo praeter nostrum locum (infra 38, 38.), *glebas* vulgo vertunt, quae significatio, etsi in ceteris dialectis non exstat, tamen utroque loco eximie est apta. Hieronymus נַחַל de *fluvio* inferni (cf. נַחֲלֵי בְלִיַּעַל Ps. 18. 5. ex quorundam sententia, et not. nostr. ad eum Ps. loc.), רִגְבֵי autem de *glareis* ejus torrentis accepit, vertit enim: *dulcis fuit glareis Cocyti*, qui Tartari fluvius pro inferno ipso, mortuorum carcere, erit positus. Ita sensus foret hic: quamvis cum summo honore sepultus impius, placide videatur quiescere; tamen animam pervigilio aeterno cruciari ad inferos, gratumque hunc hospitem atque oppido exspectatum venisse in Cocyti paludem. Sententia non absimilis loco Jes. 14, 9., sed huic seriei minus apta. וְאַחֲרָיו כָּל־אָדָם יִמְשׁוֹךְ *Et* ut *post se omnes homines*, qui ipsum suo ordine sequuntur, *trahit*, sc. vel *mors*, vel ipse potius *mortuus*, cui sensum tribuit poetica prosopopoeia, quasi post se trahat ceteros homines, post se morituros, וְלִפָנָיו אֵין מִסְפָּר sic *etiam ante eum*, i. e. eorum, qui ante eum mortui sunt, *non est numerus* (cf. supra 5, 9.), adeoque impius morte minime malum ei peculiare patitur, quum communem mortalium sortem subeat.

34. וְאֵיךְ תְּנַחֲמוּנִי הֶבֶל *Quomodo igitur consolamini me vanitate*, subaudito בְּ, ut Ps. 60, 7., i. e. vane, et incassum; nempe hortando me, ut ad Deum redeam, fore, ut amplissimis bonis cumuler, quum haec in tanta vi morbi sperare vix liceat, et tot ac tanta de exitio et calamitatibus impiorum inculcetis, quum vobis ostenderim, impium saepe hic per totam vitam prosperari, et impunitum remanere, ac ita mori. וּתְשׁוּבַתֵיכֶם נִשְׁאַר־מָעַל *Et responsiones vestras quod attinet, relinquitur*, manet in iis, ut dixi, evictum manet, esse illas *praevaricationem* adversus Deum, quia cum ejus justitiam vultis defendere, aperte falsa asseveratis. Liberius sensum expressit Hieronymus: *quum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati.*

Digitized by Google

ELIPHASUS.

Cap. 22.

Hoc est initium tertii congressus et disputationis Jobi et sociorum. Ut in duobus superioribus congressibus, ita et in hoc tertio primus prodit Eliphasus. Hic ergo jam tertium loquens in sua perstat sententia, Dei justitiam defendens adversus Jobum, ut antea (Cap. 5. et 15.). Fere enim socii quum ab initio semel animi sui sensa proposuissent, nihil deinceps addunt, sed toti in eo sunt, ut jam proposita confirment, etsi progressu, crescente disputatione, acriores fiunt et amarulentiores, quod et hic in Eliphaso videre licebit, qui non jam, ut ante, afflictiones Jobo forsan immissas ad eum castigandum dicat, sed aperte pronunciet, eum ita immodice affligi ob multa scelera, quorum etiam catalogum ex professo pertexit. Hic sine ulla praefatione, ut ante fecerat, ut inde odium crescere intelligas, et ex abrupto ordiens, primum ostendit, Deo hominem sua probitate, aut innocentia, aut sapientia nihil prodesse, ut contra sua improbitate nihil ei nocere; itaque frustra Jobum felicitatem impiorum, aut piorum afflictiones objicere, aut cum eo postulare contendere, et frustra suam proferre innocentiam, quasi Deum docere velit, quid agere debeat. Ita enim Jobi verba intellexit, quasi injustus esset Deus, impios prosperans, et probos affligens, ac si omnia hic temere ferrentur, quod Jobus noluit. Deinde catalogum texit scelerum Jobi (Vs. 5—20.), respondens ad id, quod ille se innocentem jactaret, et non solum in homines peccasse ostendit, sed et impium esse in Deum, qui ejus neget providentiam. Ita enim acceperat dicta Jobi de proborum afflictionibus et impiorum felicitate. Postremo, quia fuerat amarulentior in ejus improbitate et impietate exponenda, hanc amarulentiam adhortatione temperat; hortatur, quem jam suppliciis impiorum perterrefecerat, ad Deum redeat, bona ei amplissima pollicens si id fecerit (Vs. 21—30.).

Cap. 22, 2. הֲלָאֵל יִסְכֹּן־גֶּבֶר כִּי־יִסְכֹּן עָלָיו מַשְׂכִּיל *Num Deo prodest vir*, si, dum *prodest tibi intelligens?* Putasne hominem sua pietate quicquam Deo conferre, ut ideo eum statim remunerari debeat? Minime vero. Sibimet ipse prodest, qui pru-

Digitized by Google

dens est. Nempe quum toties Jobus expostulasset cum Deo, et jura quasi sua sibi detracta questus esset, id ita acceptum ab adversariis, ac si Deum sibi constitueret debitorem, quem ad rationes reddendas revocare fas ei esset, cur praemia promeritum, scilicet, poenis mulctaret. Hoc in animo non habuerat Jobus, attamen ex modo vehementiore disputandi cum Deo, eumque ad congressum evocandi, satis speciose assumi potuit, idque nunc Nostro objectat Eliphasus. Verbum סָכַן ut consonum arabicum proprie *quievit, habitavit, una habitavit* (1 Reg. 1, 2. 4.), hinc *domesticus, minister fuit,* inde *inserviit, profuit* denotat, ut h. l., supra 15, 3. infra 34, 9. 35, 3. In עָלָיו particulam עַל esse pro לְ, docet parallelismus cum הַלְאֵל, et res ipsa. Habetque עַל saepius significationem *pro*, in commodum alicujus, ut 1 Reg. 2, 18. *Ego loquar* עָלֶיךָ *pro te ad regem.* Vid. et 2 Reg. 10, 3. infra 33, 22. 42, 8. Suffixum collectivum מוֹ arguit nomen מַשְׂכִּיל *collective* accipiendum. *Intelligens, prudens* h. l. notat eum, qui dat operam, ut vitam et mores emendet et componat, qui vitae integritati studet.

3. הַחֵפֶץ לְשַׁדַּי כִּי תִצְדָּק *Num voluptas Omnipotenti, quum justus fueris?* חֵפֶץ h. l. esse *voluptatem, oblectationem, quae manat ex utilitate, lucro, commodo percepto,* apparet ex altero hemistichio, אִם־בָּצַע כִּי־תַתֵּם דְּרָכֶיךָ *num lucrum* scil. לְשַׁדַּי *Omnipotenti* accedet, *cum integras reddideris vias tuas?* cum integritati vitae et operum tuorum studueris? Nihil sane ex nostris operibus Deo accedat, qui absolutissimus quum sit, nullius indiget.

4. הֲמִיִּרְאָתְךָ יֹכִיחֲךָ *Num ex reverentia tui tecum disputabit?* Verbum יָכַח *disceptandi, disputandi* notione h. l. capiendum esse, ut supra 13, 3. Jes. 1. 18., cognoscitur ex altero hemistichio, יָבוֹא עִמְּךָ בַּמִּשְׁפָּט *veniet,* descendet, *tecum in judicium?* ut facti sui rationem tibi reddat. Num prae reverentia tui, quam tibi, sacrosancto videlicet viro, debet Numen, aut tuarum accusationum timore, se potestate judicis exuere, teque, ut par parem, coram arbitris convincere volet? ut Cap. 9, 32. 33. a Jobo postulatum.

5. Temerariae profecto audaciae est, quod tu postulas, ut Deus tecum in judicio disceptet, et rationes tibi reddat, cur tot tantaque mala in te immiserit. Nonne enim promeritas scelerum tuorum poenas luis? הֲלֹא רָעָתְךָ רַבָּה *Nonne malitia tua magna?* רָעָה h. l. non indicat *malum poenae,* ut supra 2, 11., sed scelerata facta, ut 1 Reg. 2, 44. Nah. 3, 19., quae deinceps singula recenset. וְאֵין־קֵץ לַעֲוֹנוֹתֶיךָ *Et non est finis iniquitatibus tuis,* dum ne quidem de poenitentia aut emendatione cogitas.

6. כִּי־תַחְבֹּל אַחֶיךָ חִנָּם *Nam pignoratus es fratres,* populares *tuos* pauperes *gratis,* i. e. sine causa, injuste (ut supra 2, 3.), quum illi forsan debitum exsolvissent. Lex (Exod. 22,

Digitized by Google

26. 27. Deut. 24, 6. 10.) jubet pauperi pignus, quo carere non potest, ante noctem restitui, ut vestem aut lectum, et vetat in domum ejus ingredi ad capiendum pignus, ut exspectandum sit, donec ille, quid velit in pignus, e domo expromat: tanto gravius crimen, cum ab eo pignus inique capitur. וּבִגְדֵי עֲרֻמִּים חִפָּשִׁים *Et vestes, nudorum exuisti*, pauperum vestes exuebas, ita eos nudos relinquens. *Nudi* non possunt vestibus spoliari, sed res interdum nomen accipit non ab eo, quod habet, sed quod habitura est, seu certe a fine, quem actio aliqua spectat et consequitur. Sic Hos. 2, 5. פֶּן־אַפְשִׁיטֶנָּה עֶרְמָה *Ne exuam eam nudam*, i. e. ne exspoliando illam, nudam relinquam. Jes. 47, 2. *Tolle molam*, וְטַחֲנִי קָמַח *et mole farinam*, quum tamen farina non molatur, sed granum, ex quo farina fiat, ut Jes. 44, 15. אָפָה לֶחֶם *coxit panem*, non coquitur panis, sed cruda massa, ex qua fit panis. Vel *nudi* vocari possunt male vestiti, ut infra 24, 7. 8. 10. Jac. 2, 15. 1 Cor. 4, 11. Ita SENECA *de Beneficiis* 5, 13. *Quondam*, inquit *etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, sed ad literas altiores non productum; si qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit.* — Proximis, qui sequuntur, Versibus Eliphasus amico delicta omnis generis, foeda, intoleranda facinora objicit, affectu praepeditus, et nimio abreptus zelo causam Dei defendendi. Etenim quum Jobum tanta malorum vi obrutum videret; neutiquam consentaneum sibi videbatur, aut salva justitia divina fieri posse, ut vir pius nulliusque sibi sceleris conscius, in summis miseriis versetur. Manifestum est, poetam voluisse istis obtrectationibus magis exaggerare infortunia in Jobum immissa, ut vividioribus coloribus tam fortis patentiae exemplar convestiret, et divinae providentiae latens consilium in eodem explicaret uberius.

7. לֹא־מַיִם עָיֵף תַּשְׁקֶה *Non aquam lasso*, i. e. prae lassitudine et siti fatiscentem (cf. 2 Sam. 17, 29. Ps. 143, 3. Prov. 25, 28.), s. prae lassitudine sitienti, *propinabas*. Verbum הִשְׁקָה *propinavit*, cum duplici Accusativo, uno personae, altero rei, h. l. construitur, ut Num. 5, 24. 27. Jer. 30, 2. Verbum שָׁתָה in Kal usitatum, non in Hiphil; contra הִשְׁקָה usitatum in Hiphil, non in Kal, ut ita sint haec duo verba reciproca. וּמֵרָעֵב תִּמְנַע לֶחֶם *Et a famelico prohibebas panem*, ei cibum denegabas, fame ita eum perimens, quum servare posses.

8. Hoc et proximo Versu Jobo tyrannidem et oppressionem tyrannicam objicit, quasi potentes quidem honorarit, pauperes rejecerit et oppresserit. וְאִישׁ זְרוֹעַ לוֹ הָאָרֶץ *Ad virum autem bracchii*, i. e. validum et potentem (cf. Ps. 10, 15. Ez. 22, 6.) quod attinet, *ei* s. ejus erat *terra*, i. e. per te eam habitabat et possidebat, locum in terra potentibus dabas, etsi de jure illis non competeret. וְנָשׂוּא מָנִים יֹשֵׁב בָּהּ *Et elatus faciei*, i. e. magna

Digitized by Google

auctoritate conspicuus (cf. 2 Reg. 5, 1. Jes. 3, 3. 9, 14.) *habitabat in ea*, te juvante et connivente. Alii ad Jobum referunt, invidiose, mutata persona, hoc sensu: ac viri potentis et robusti erat terra, et eam incolebat auctoritate valens, omnibus ejus nomine suspiciendus. Solus videbaris terram incolere, quia potens eras, et potentia ac viribus pollebas, impotenter dominans, omnia tibi adjungens, ut solent potentes, ceteros opprimens potentia tua et expellens. Ita Hieronymus: *In fortitudine brachii tui possidebas terram, et potentissimus obtinebas eam.* Potest proverbialiter intelligi hic Versus, tanquam gnome: *potentis est terra, auctoritate valens eam inhabitat.* Tales in pretio sunt, et honore; pauper ubique jacet. Sed praestat prior sensus, ut dicatur, Jobum illis, qui potentia et auctoritate valerent, in opprimendis tenuioribus adjutorem fuisse. Ita hic Versus cum proximo pulchre cohaeret, ubi sequitur antithesis. Per te potentes in terra, et apud te locum habebant.

9. At אַלְמָנוֹת שִׁלַּחְתָּ רִיקָם *viduas*, quarum patrocinium lex prae ceteris judicibus commendat (Exod. 22, 21. Deut. 24, 17. 19. 27, 19), *dimisisti vacue*, i. e. sine ope, quam petebant, non impetrato a te jure, quod postulabant; vel, spoliatas a te ablegasti. וּזְרֹעוֹת יְתוֹמִים יְדֻכָּא *Et brachia pupillorum* quod attinet, quos una cum viduis sublevari vult lex (vid. loca modo cit.), quod patrocinio hominum destituantur, et quorum se patrem, judicem, ac vindicem Deus profitetur (Deut. 10, 18.), *contrebatur*, sc. unumquodque brachiorum eorum, i. e. eorum vires, si quae illis reliquae erant, et jura aut rationes, quibus jus suum tuerentur, omne denique eorum robur comminuebatur, vel a te ipso, vel certe te connivente, quod illorum rationem aut curam tu nullam haberes. זְרֹעוֹת *Brachia*, sunt omnia auxilia et praesidia, quibus aliquis nititur, vid. Ps. 10, 15. 37, 17. Hos. 7, 15. infra 35, 9. Nomen plurale feminei generis, זְרֹעוֹת, jungitur h. l. verbo singulari masculino, יְדֻכָּא, ut Gen. 1, 14. יְהִי מְאֹרֹת, ad quem loc. not. vid., cf. infra 42, 15. Plura exempla vid. in Gesenii *Lehrgeb.* §. 186. 2. b) p. 720.

10. עַל־כֵּן *Propterea*, propter enormia ista dicta, Vs. 6. Ne aliam quaere malorum tuorum et calamitatum causam, quam haec tanta scelera, nec mireris, quod post tanta scelera tam gravibus calamitatibus sis comprehensus. סְבִיבוֹתֶיךָ *Circuitus tui*, i. e. undique circum te sunt; ut Ps. 89, 9. פַּחִים *Laquei* periculorum et calamitatum, quibus es irretitus, ut supra 18, 9. Prov. 22, 5. — וַיְבַהֶלְךָ פַּחַד פִּתְאוֹם *Terret te pavor*, i. e. malum metuendum, ut supra 3, 25. Proverb. 1, 25. 26. *subito*, repente irruens.

11. אוֹ־חֹשֶׁךְ *Aut potius*, quin *tenebrae* scil. סְבִיבוֹתֶיךָ (Vs. 10), te circumstant, ita ut לֹא תִרְאֶה *non videas*, in quibus nihil omnino vides, densae et plus quam Cimmeriae. Cf. supra

Digitized by Google.

18, 18. 19, 8. — וְשִׁפְעַת־מַיִם תְּכַסֶּךָּ *Et copia aquarum cooperit te.* *Aquae* designant calamitates, diluvii in morem undique inundantes, ut supra 11, 16., infra 27, 21. שִׁפְעָה a rad. שָׁפַע *auxit*, propr. est *copia*, agmen, vid. Jes. 60, 6. Ez. 26, 10., ac de copia s. ingenti vi aquarum dicitur, et infra 38, 34., uti masculinum שֶׁפַע Deut. 33, 19.

12. Superioribus Versibus Eliphasus Jobo rapinam, injuriam, inhumanitatem in alios objecit; nunc vero impietatem in Deum objicit, quasi ille providentiam in haec inferiora negaret, id quod colligit ex eo, quod contenderat Jobus, improbis fere bene, probis vero male esse, nec felicem aut infelicem sortem, qua quis utitur, argumento esse, illum probitatis praemia ferre, aut malitiae poenas luere. Est autem in his verbis הֲלֹא אֱלוֹהַּ גֹּבַהּ שָׁמַיִם *nonne Deus* est *in altitudine coelorum?* mimesis verborum Jobi, quod arguit illud אָמַרְתָּ praemissum Versui proximo, qui sensu non est diversus ab hoc, q. d. accedit ad illa tam grandia scelera longe omnium gravissimum, quod ita in animum tuum inducis apud te dicens: nonne in edito coelo est Deus? Ante גֹּבַהּ subaudiendum ב, ut saepissime alias, expressum etiam a Chaldaeo: *Nonne Deus in altitudine coelorum?* וּרְאֵה רֹאשׁ כּוֹכָבִים כִּי־רָמּוּ *Et adspice caput*, i. e. verticem, summitatem (ut Exod. 19, 20.) *stellarum*, *quam* (ut כִּי vertendum et Ps. 34, 9. 1 Sam. 14, 29.) *altae sunt*, i. e. quam excelsa sit stellarum summitas, ut vix eo noster possit aspectus pertingere. Atqui est illis etiam excelsior Deus. Quomodo ergo e tanto intervallo prospiceret, quae hic fiunt? ut sequitur.

13. וְאָמַרְתָּ מַה־יָּדַע אֵל *Et dicis*, *quid novit*, quomodo nosset, *Deus* haec inferiora, tam procul a se remota? חֲבֵעַד עֲרָפֶל יִשְׁפּוֹט *Num post* s. *pone caliginem judicabit? Caliginem*, עֲרָפֶל, vocat nubium coelestium, quibus Deus inclusus est, densitatem (coll. Vs. seq. infra 38, 9. Deut. 4, 11. Ps. 18, 10. 97, 2.), quae ei obstaculo sit, ne visu in haec inferiora penetret, aut ea cognoscere, ac proinde moderari et punire, aut remunerari possit, quae hic fiunt.

14. עָבִים סֵתֶר־לוֹ וְלֹא יִרְאֶה *Nubes velamentum illi*, *nec videbit*, i. e. ne videre possit, sc. haec ima. וְחוּג שָׁמַיִם יִתְהַלָּךְ *Et orbem*, circuitum, *coelorum obambulat*, illic versatur et occupatus est, ob quam longissimam distantiam nosse nequit haec inferiora. Similiter LUCRETIUS L. II. Vs. 646.:

Omnis enim per se divum natura necesse est
Immortali aevo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.

Et Virgiliana Didonis, *Aeneid.* IV, 379.:

Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat.

Idem error notatus Ez. 8, 12. Jes. 29, 15. Jer. 23, 23. 24.

Digitized by Google

15. הַאֹרַח עוֹלָם תִּשְׁמוֹר אֲשֶׁר דָּרְכוּ מְתֵי־אָוֶן *Num viam seculi servas, quam calcarunt homines nequitiae?* Numquid eo progressus es stuporis et sceleris, ut illorum hominum renovare velis mores et ingenium, qui prima seculorum tempora nacti sunt, quorum erat insignis improbitas? אֹרַח עוֹלָם *Via seculi* quibusdam est perpetuus ordo, quem in impiis puniendis observavit Deus post natos homines. Ita sensus hic foret: nonne observasti, quid semper acciderit talibus impiis? Annon te eorum terrent supplicia et exempla, jam inde a priscis seculis et hominum memoria in illos edita? Sententia per se quidem apta, sed quam vix admittant verba hebraea. Nam, ut taceamus, illa interpretatione הַאֹרַח sine ratione idonea accipi pro הֲלֹא אֹרַח, manifestum est, אֹרַח עוֹלָם non esse referendum ad Deum, quum diserte additum sit: אֲשֶׁר דָּרְכוּ מְתֵי־אָוֶן (viam) *quam calcarunt homines sceleratí.* Intelligenda haud dubie scelerata vivendi et cogitandi ratio, qualem sequuta est prisca illa flagitiosorum et ferocium hominum gens, qui ante diluvium securi pergebant Deum non curantes, et ideo effraeni licentia in omne scelerum genus ruentes, de quibus Gen. 6, 4. sqq. אֹרַח plane ut דֶּרֶךְ notat *vivendi rationem, mores, studium*, vid. supra 8, 13. Ps. 17, 4. 119, 9. *Viam* autem *servare*, שָׁמַר, non est *observare*, sed eam *tenere*, ut 2 Sam. 22, 22. שָׁמַרְתִּי דַּרְכֵי יְהוָה *tenui vias Domini.* עוֹלָם *secula prisca* denotat, ut Gen. 6, 4. Deut. 32, 4. Ps. 73, 12. — מְתֵי־אָוֶן i. q. אַנְשֵׁי־אָוֶן infra 34, 36. Jes. 55, 7. Quales vero intelligat, disertius significat Vs. seq.

16. אֲשֶׁר־קָמְטוּ וְלֹא־עֵת *Qui comprehensi sunt, et non* erat *tempus*, i. e. qui ante tempus vineti ad supplicium rapti, et ita *sublati sunt*, quomodo Hieronymus vertit. De verbo קָמַט vid. not. ad 16, 8. וְלֹא־עֵת *Quum nondum* (ut וְלֹא et Jes. 45, 4. Ps. 139, 16. capiendum) *tempus* sc. illud adesset, quo per naturae cursum et ordinem ipsis moriendum esset. Concise dictum pro בְּלֹא־עִתָּם, ut Coh. 7, 17. בְּלֹא עִתֶּךָ תָּמוּת לָמָּה *quare morieris, quum nondum tempus tuum* adsit? Similiter supra 15, 32. בְּלֹא־יוּמוֹ. Bene Alexandrinus: συνελήφθησαν ἄωροι. נָהָר יוּצַק יְסוֹדָם *Flumen effusum est in fundamentum eorum*, aquae magno impetu fluminum more in illos effusae sunt, quibus funditus subverterentur. Innui videtur eluvio Noachica, quae priscam illam sceleratorum stirpem (Vs. 15.) consumsit. יְסוֹדָם Accusativus terminum *ad quem* indicans pro לִיסוֹדָם s. אֶל־יְסוֹדָם, ut 2 Chron. 20, 36. לָלֶכֶת תַּרְשִׁישׁ *ad eundum Tartessum*, pro quo Vs. 37. אֶל־תַּרְשִׁישׁ. Ps. 22, 30. יוֹרְדֵי עָפָר *descendentes in pulverem.* Alii נָהָר יוּצַק breviter dictum putant pro כְּנָהָר אֲשֶׁר יוּצַק hoc sensu: *sicut fluvius, qui funditur, eorum fundamentum* fuit, i. e. omnia ea, quae illis veluti fundamenti loco erant, quibus nitebantur, in quibus spem et praesidium ponebant, abierunt aquarum fluentium more. Ita Alexandrinus: ποταμὸς ἐπιῤῥέων

Digitized by Google

οἱ θεμέλιοι αὐτῶν. Sed praeferenda videtur prior sententia, quam et Hieronymus expressit: *et fluvius subvertit fundamentum eorum.*

17. סוּר מִמֶּנּוּ *Recede ab nobis.* Transsumta haec ab Eliphaso ex Jobi sermone, supra 21, 14., ut Jobo contradiceret, quod contenderat, felices vivere illos, qui Deo dicunt, *recede a nobis;* Eliphaso contra inferente, illos ipsos esse, qui funditus jam olim eversi fuerint; illustri igitur et pervulgato exemplo refelli Jobi sententiam. וּמַה־יִּפְעַל שַׁדַּי לָמוֹ *Et quid facit Omnipotens illis?* i. e. nobis? mutata persona, quasi dicerent, Deum nihil ipsis facere ac conferre, sed industriam ipsorummet omnia ipsis praestare. Verum esse hunc horum verborum sensum, non dubium esse potest supra 21, 14. 15., qui locus manifeste hic respicitur. Quod ergo ibi: *Quid Omnipotens, ut serviamus illi, et quid proficiemus?* etc. id hic loci in compendium mittitur, sub eadem mimesi, qua ipsi improbi loquentes inducuntur. Mutatio personae primae in tertiam, לָמוֹ pro לָנוּ, non infrequens, cum aliorum sermones referuntur, veluti infra 35, 3. *Dicis: quid proderit tibi, et quid utilitatis capiam?* Cf. Ps. 86, 16. et not. supra ad 19, 28.

18. וְהוּא מִלֵּא בָתֵּיהֶם טוֹב *At ipse*, quem ita contemnebant, *negata* ejus providentia, *implevit domos eorum bono*, i. e. quum tamen ab illo omnium haberent bonorum affluentiam. וַעֲצַת רְשָׁעִים רָחֲקָה מֻנִּי *Sed consilium*, institutum, sententia *impiorum absit a me!* Verba Jobi 21, 16. repetit, et sua facit, quasi qui justiorem causam habeat, hoc de se praedicandi, quam Jobus, quod fugiat impiorum consilia. Amoliri, alt, a te voluisti suspicionem improbitatis, hac gravi exclamatione. Ego vero te improborum gregi accensendum ostendi; ac proinde meum, non tuum, exclamare: consilium improborum procul a me facessat!

19. יִרְאוּ צַדִּיקִים *Vident pii* sc. justam illam Dei de impiis vindictam (Vs. 16.), וְיִשְׂמָחוּ *et laetantur*, non tantum de sui conservatione, et impiorum interitu, verum etiam quod justitiam suam ostenderit Deus. וְנָקִי יִלְעַג־לָמוֹ *Et innocens subsannat eos*, qui quum suis opibus et potentia freti tam superciliose Deum contemnerent, jam experiuntur, Deum esse, qui humana curet, et judicem, qui in impie facta animadvertat, quum ante piorum spes ab istis subsannaretur.

20. Subjicitur per mimesin vox triumphantium piorum. אִם־לֹא *Annon?* ut supra 17, 2. infra 30, 25. 31, 31. 36. נִכְחַד *Excisus*, exstinctus et deletus est, ut 4, 7. 15, 28. קִימָנוּ *Adversarius noster*, qui stetit contra nos, ut 2 Sam. 22, 40. 49. קָמַי *qui contra me stant*, adversarii mei. Nomen participiale formae שִׁיר, ut צִיר *legatus*, Jer. 49, 14. Prov. 25, 13. Aliis est substantivum, *substantia*, ὑπόστασις (quo ipso nomine Alexandrinus h. l. usus), i. e. vel, *nosmet ipsi*, vel, quo subsistimus,

Digitized by Google

vitae nostrae sustentacula, vita nostra. אִם־לֹא vero vertunt *quando non*, *dum non*, ut Ps. 59, 16., ut prius hemistichium cum posteriore connectendum sit hoc sensu: *dum non est excisa nostra substantia*, i. e. dum nos salvi et integri manemus, *praestantiam eorum consumit ignis*. Veteres interpretes suffixum ad קִימָנוּ in tertia pluralis persona expresserunt, quibus permotus Doederlein pro קִימָנוּ legendum jubet קִימָם, quod respondeat שְׂאֵרָם יִתְרָם in altero hemistichio; nomen קִים vero idem notare censet quod יְקוּם *substantia* (Gen. 7, 4. 23.), *facultates* (Deut. 11, 6.). Quod sequutus Dathius verba nostra sic reddidit: *profecto exscinduntur eorum facultates*. Neque tamen necesse est, lectionem nulla codicum auctoritate suffultam recipere, quum ex vulgari commodus prodeat sensus, quo nec sententiarum utriusque hemistichii parallelismum desiderabis. יִתְרָם *Excellentiam eorum*, i. e. quicquid habebant eximii, prosperitatem, bona, et opes eorum, omnia quibus excellebant, ut supra 4, 21., ubi not. vid. אָכְלָה אֵשׁ *Absumsit ignis* irae divinae, ut infra 31, 12. Ps. 18, 9. 21, 10. 78, 21. Alii respici putant ad excidium Sodomorum, igne coelitus demisso, Gen. 19, 24. 28., alii ad Jobi illam stragem supra 1, 16.

21. Adhuc Eliphasus minis Jobum ab impia opinione de negatione divinae providentiae deterrebat, nunc vero promissionibus eum invitat amplissimis, ut ad Deum redeat. הַסְכֶּן־נָא עִמּוֹ *Assuefac*, *quaeso*, sc. te ipsum *cum illo*, Deo, i. e. te ipsum totum componas ad illius voluntatem et praescripta, in gratiam cum ipso redi. Verbum סָכַן *habitavit* (cf. supra not. ad Vs. 2.), in Conjugatione transitivae significationis, Hiphil, propr. valet, *effecit*, *ut una habitaret*, hinc *familiarem*, amicum, *reddidit*, et intransitive *familiariter vixit*, *amicitiam inivit*. וּשְׁלֵם *Et pacatus esto*, i. e. pacem habebis, pace frueris, et tranquillitate ac felicitate summa. Cum duo Imperativi conjunguntur, posterior saepe promissionem indicat, et Futuro exprimi potest, ut Gen. 42, 18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *hoc facite et salvi estote*, i. e. hoc facite, tum, atque ita licebit, ut salvi fiatis; si hoc faciatis, salvi eritis. Cf. Ps. 37, 27. Prov. 3, 3. 4, 4. Jer. 28, 17. Alii nostrum וּשְׁלֵם in Imperativo, ut sonat, intelligunt, *et pacem fac*, scil. עִמּוֹ, i. e. in gratiam redi cum eo, qui nunc ab eo alienatus, et velut hostis illi es. בָּהֶם *Per ista*, quae antea suasit Eliphasus. Suffixum masculinum pro *neutro*, ut Ps. 39, 7. (מִי אֹסְפֵם *quis auferat ea*), Zach. 12, 10. (סָפְדוּ עָלָיו *plangent illud*). — תְּבוֹאָתְךָ *Veniet*, eveniet, obtinget *tibi*, pro תָּבוֹא לְךָ, cf. supra 20, 22. Ps. 119, 77. Tertia Futuri cum ת paragogico (cf. תְּבוֹאָתְהּ Deut. 33, 16.), quod accedente pronomine suffixo in ת mutatum. Sed et ת abundanter interjectum in hoc verbo reperitur, ut Kimchi notat וַתְּבוֹאתִי *et venisses*, 1 Sam. 25, 35. pro וַתָּבוֹא. Veteres cum Schurek תְּבוּאָתְךָ *pro-*

Digitized by Google

ventus tuus, legerunt. Alexandrinus: ὁ καρπός σου ἔσται ἐν ἀγαθοῖς. Chaldaeus: *proventus tuus bonus* erit. Hieronymus: *per haec habebis fructus optimos.* Eadem lectio reperitur in 19 codicibus a de Rossio recensitis.

22. קַח־נָא *Accipe*, Hieronymus: *suscipe quaeso*, admitte in animum tuum, ut Prov. 4, 10. 8, 10. *Dat* magister, quando docet; *capit* discipulus, quando discit. מִפִּיו *Ex ore ejus*, Dei, notanter dixit, non ex tuo arbitrio et libidine. תּוֹרָה *Legem*, i. e. recte vivendi rationem, et sanam de providentia Dei sententiam. Obtempera praeceptis et jussis divinis. וְשִׂים אֲמָרָיו בִּלְבָבֶךָ *Et repone dicta ejus in corde tuo*, animo reconde, et diligentius observa, ac meditare, ut exsequaris, quae ille facienda praescribit. שִׂים Imperativus Hiphil, abjecto ה characteristico, ut Gen. 44, 1. Exod. 17, 14., et ut שִׁית infra Vs. 24.

23. אִם־תָּשׁוּב עַד־שַׁדַּי *Si redieris* ab ista impietate et sceleribus *ad Omnipotentem.* עַד pro אֶל, ut Hos. 14, 2. Joel. 2, 12. Amos. 4, 6. 8. 9. 10., quibus locis itidem post verbum שׁוּב. — תִּבָּנֶה *Aedificaberis*, instauraberis, reficieris, qui nunc es destructus; res tuae plane et undique accisae et eversae, in pristinum statum florentem restaurabuntur. Verbum בָּנָה *aedificavit* nominatim de ea aedificatione dicitur, qua locus *ampliatur*, *munitur*, *exornatur* (2 Paral. 11, 5. 6. Dan. 4, 27.), hinc metaphorice de *fortunae* et *dignitatis amplificatione*, Mal. 3, 15., et, si res adversae intercesserint, de *prosperarum restitutione*, cf. supra 12, 14. Jer. 31, 4. Ante alterum hemistichium, תַּרְחִיק עַוְלָה מֵאָהָלֶיךָ, subaudiendum est ex priore hemistichio אִם *si*, inquam, *pravum removeris iniquitatem a tentorio tuo.* Integer vitae, scelerisque purus, felicius aevum ages, nec criminibus illis, quae percensui, contactus, nec plagis. Quae supra 11, 14. 15. 16. latius deducta, hic in compendium missa. Est autem hic rursus obliquus ad Dramatis catastropham respectus, ubi Poetae elegans artificium agnoscis, in ipsius adversarii ore probabiliter, ut orationis et instituti argumenti filo consentanea ponentis, quae praeter dicentis exspectationem, re ipsa impleta, in exitu comperientur. His sequentia consonant, speciatim quae Versu proximo de auro et argento pulveris in modum a Jobo conservando, si ad meliorem frugem sit rediturus, dicuntur. Cf. not. ad 19, 26.

24. שִׁית־עַל־עָפָר בָּצָר *Ponendo* sc. pones, repones, *prae pulvere*, majori copia quam pulvis, *argentum.* שִׁית Infinitivus constructus, ut infra 30, 1. Exod. 10, 1., pro *Futuro* positus, ut Prov. 12, 7. חָפוֹךְ רְשָׁעִים *everti improbi*, i. e. *evertuntur*, ut sequitur, *sed domus justorum* יַעֲמֹד *perstabit.* Vid. et 2 Sam. 3, 18. Jerem. 6, 11. 7, 9. Plena dictio exstat Jerem. 13, 16. Aliis שִׁית est Imperativus, isque certae promissionis, ut supra Vs. 21. 21, 5. Sensus idem manet. Est vero verbum illud h. l.

Digitized by Google

reponendi significatu capiendum, ut Prov. 26, 24. Pro שִׁית legitur יָשִׁית in *sex* Kennicotti, et tribus de Rossii codicibus (in duobus tamen cum Keri ושית). Tertiam personam expressit quoque Hieronymus, vid. infra. — עַל *Prae, magis quam*, ut Ps. 81, 8. — נוֹרָא עַל־כָּל־סְבִיבָיו *Venerandus est (Deus) magis quam omnes circa eum.* Cf. infra 23, 2. Deut. 28, 1. Coh. 1, 16. עָפָר *Pulvis* h. l. copiam et multitudinem ingentem significat, ut Num. 23, 10. מִי־מָנָה עֲפַר יַעֲקֹב *quis numeret pulverem Jacobi?* Cf. Genes. 13, 16. Zephan. 1, 17. בָּצָר s. בְּצַר (Vs. 25.) proprie *abscissio*, hinc *particula*, et speciatim *auri argentive nativi particula*, plane ut Arabicum חَبَرَ (a חَبَرَ *fregit in partes*), *particulam nativi auri et argenti antequam ignem vel malleum sit expertum* denotat. In altero hemistichio sensum turbat, quod hodie in plerisque libris legitur וּבְצוּר pro וּכְצוּר, quod in pluribus antiquioribus editionibus a de Rossio indicatis, et in codicibus plus quam *sexaginta* a Kennicotto et de Rossio inspectis exstat, et ab Alexandrino, Chaldaeo et Syro exprimitur. Hac igitur scribendi ratione adscita, verborum וּכְצוּר נְחָלִים אוֹפִיר sensus erit facilis, et priori hemistichio accommodatus: *et sicut silices torrentium Ophir*, i. e. aurum Ophirinum sc. repones, quod ex initio Versus repetendum. צוּר נְחָלִים (prius horum nominum *collective* capiendum) respondet τῷ עָפָר in priore hemistichio. Describitur auri copia similitudine plane gemina 2 Paral. 1, 15. 9, 27., cum Salomo dicitur dedisse aurum et argentum Hierosolymis כָּאֲבָנִים *sicut lapides.* Aliis *rupes torrentium* est talis, quae ex se educit, et ex qua prodeunt torrentes et flumina aquis late manantia, i. e. ut rupes fluvios suggerit copiosissimos, sic magnam auri vim tibi suppeditabit Deus. De נַחַל vid. not. supra ad 21, 3. אוֹפִיר *Ophir*, nomen terrae unde aurum advehebatur (vid. 1 Reg. 9, 28. 10, 11.), h. l. metonymice pro *auro Ophirino* dici (cf. infra 28, 16.), docet res ipsa. Promittitur Jobo opum abundantissima copia, quam quidem promissionem, praeter loquentis exspectationem, impletam videbimus infra 42, 11. 12. Cf. quae sub finem notae ad Vs. 23. monuimus.

25. וְהָיָה שַׁדַּי בְּצָרִיךָ *Eritque Omnipotens argenta tua*, i. e. tibi erit instar copiosissimi argenti, quod quo sensu sit capiendum, ipse mox Vs. 26. explicabit. בְּצָרִיךָ est pluralis nominis בָּצָר, de quo vid. ad Vs. 24., cum suffixo. At Chaldaeus, ut Versu superiore, ita et hoc capit *munitionis* significatu, מִבְצָרֵיךְ *munitiones tuae*, Jer. 5, 16. Sic enim interpretatur: *et erit Omnipotens arx munitionis tuae*, q. d. munitione alia externa non egebis, quum Deus ipse loco firmissimi propugnaculi sit futurus, collata simili sententia Prov. 18, 10. Aliis ב est praefixum, et צָרִיךְ pluralis nominis צַר *angustum*, ut vertendum sit: *in angustiis tuis*, coll. Ps. 91, 15. Hieronymus: *contra hostes tuos* (ita צָרֶיךָ Gen. 14, 20.), sequutus Alexandrinum: βοηθὸς ἀπὸ ἐχθρῶν. Syrus et

Digitized by Google

Arabs: *erit Deus in auxilio tuo.* Sed prima sententia praeferenda, propter hemistichiorum parallelismum, nam sequitur: וְכֶסֶף תּוֹעָפוֹת לָךְ *et argentum altitudinum tibi*, i. e. instar argenti in cumulos coacervati, instar immensae argenti copiae, erit tibi Deus. תּוֹעָפוֹת esse *altitudines*, manifestum ex Ps. 95, 4., ubi תּוֹעֲפוֹת הָרִים opponuntur מְחְקְרֵי־אָרֶץ *abditissimis terrae penetralibus* (vid. not. ad eum loc.). Cf. Num. 23, 22. 24, 8. Radix est יָעַף *fatigatus fuit* (coll. arab. وعف *celeriter incessit*, et *celeri incessu fatigatus est*). Sed quia in adscensu montium fatigamur, potuit etiam in *ascendendi* notione usurpari, ut arabice يفع, unde يَفُوع *excelsa loca*, יאפעאת *alti montes.* כֶּסֶף תּוֹעָפוֹת pro תּוֹעָפוֹת כֶּסֶף *altitudines argenti*, ex hypallage, in statu regiminis haud infrequenti, veluti Lev. 12, 4. *Triginta tres dies manebit* בִּדְמֵי טָהֳרָהּ *in sanguinibus purgationis*, i. e. in purgatione sanguinis. Vid. et Lev. 22, 4. 1 Reg. 17, 14. Prov. 26, 23.

26. כִּי explanativum est; pluribus enim verbis et magis propriis exponitur, quod generalius et per tropos in Versu praeced. dixit, quomodo nimirum Deus sit futurus aurum et argentum Jobi. אָז *Tunc*, cum ad Deum redeas, Vs. 21. 23. Cf. 11, 15. 13, 20. — עַל־שַׁדַּי תִּתְעַנָּג *Omnipotente delectaberis*, i. e. non externis tantum bonis (Vs. 24.) abundabis; quin etiam, si ex animo ad Deum redieris, tunc in eo oblectabis tete, quod ille tibi faveat, et tantis beneficiis te prosequatur, ac unica voluptas tibi erit, eum colere, te et tua omnia ad ejus legem componere et conformare. Cf. Ps. 37, 4. infra 27, 10. Jes. 58, 14. Et quum nunc demisso sis vultu, nec prae moerore et aerumnarum vi faciem audeas attollere, ut afflictis et moerentibus moris est, וְתִשָּׂא אֶל־אֱלוֹהַּ פָּנֶיךָ *tunc attolles ad Deum faciem tuam*, cum fiducia, sine metu (cf. 2 Sam. 2, 22.) irae et repulsae audebis faciem ad eum attollere, audacter te ad eum convertes erecto vultu et hilari.

27. Posterius hemistichium, נְדָרֶיךָ תְשַׁלֵּם *vota tua persolves*, sensu prorsus convenit cum priore, תַּעְתִּיר אֵלָיו וְיִשְׁמָעֶךָּ *preces ad eum fundes, teque exaudiet;* nam *votorum persolutione* significatur, fore, ut id obtineat, cujus nomine vota susceperit, ut ex consequente antecedens intelligatur, quia vota reddi solent, postquam id quis obtinuit, pro quo vota fecerat. Cf. Ps. 56, 13. 114, 14.

28. וְתִגְזַר *Et decernes*, quum decreveris, ut Esth. 2, 1. Dan. 4, 14. 21. אֹמֶר *Sermonem*, verbum, i. e. quippiam, rem aliquam mente susceptam, ut alias דָּבָר. וְיָקָם לָךְ *Et consistet tibi*, i. e. ratum erit, prospere feliciterque tibi succedet, ut Jes. 8, 10. 14, 24. 46, 10. Theodotion: καὶ ὁρισῖς ῥῆμα, σταθήσεταί σοι, quod bene Olympiodorus explicavit: τουτέστιν, ἅπαν ὃ ἂν συντάξῃ καὶ τυπώσῃς, οὐ διαπέσειταί σοι, ἀλλὰ βεβαιωθήσεται, καὶ κυρωθήσεται. וְעַל־דְּרָכֶיךָ נֹגַהּ אוֹר *Et super vias tuas*, instituta et negotia tua (Vs. 3. Prov. 3, 6. 4, 26.) *splendescet* (Praeteritum in Hebraeo pro Futuro, quia Futura praecesserant) *lux*, lux felici-

Digitized by Google

tatis, quocunque perrexeris, quodcunque institueris, tibi adfulgebit, quum jam tenebris septas vias tuas quaeraris, supra 19, 8. עַל־נְתִיבוֹתַי חָשָׁךְ יָשִׂים.

29. כִּי־הִשְׁפִּילוּ וַתֹּאמֶר גֵּוֶה *Quum humiliatae fuerint*, sc. דְּרָכֶיךָ *viae tuae* (Vs. 28.), *dices: elatio!* i. e. mox senties conditionem tuam ex ima factam opimam; quasi qui loco alto hostibus impervio, aut ad quem aquarum inundationes pertingere non possunt, est constitutus. גֵּוֶה pro גַּאֲוָה (Prov. 8, 13.), vel pro גַּאֲוָת (Jes. 9, 8.), per contractionem aut syncopen, *elatio;* neque enim h. l. idem significare potest, quod supra 20, 25., גֵּוָה, pro *corpore* positum, ubi ו est radicale, quum hic sit mutuatum. Reperies et sic גֵּוָה *elationis* significatu infra 33, 17. Jer. 13, 17. Verba quum sint perquam concisa, varie intelliguntur. Alii: *quum depressi fuerint* sc. רְשָׁעִים *impii, tum tu dices: elatio* est scilicet mihi, efferor, attollor, q. d. agnosces te attolli et erigi prae aliis; impiis scilicet, qui deprimentur, quod ab illorum sorte et calamitate libereris. Alii: *quum depressa fuerint* sc. *tua*, res tuae, *dices elationem*, i. e. confidenter et certo tibi polliceberis eorum elationem. Hunc sensum Hieronymus expressit: *qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria.* Similiter Chaldaeus: *nam generatio, quae sese humiliaverit, fiet sublimis.* Consonum dicto Christi Matth. 18, 4. 23, 12. Luc. 14, 11. 18, 14. וְשַׁח עֵינַיִם יוֹשִׁיעַ *Et dejectum oculis servabit*, te scilicet nunc abjectum, et oculos prae afflictione ac moestitia demittentem; quamquam sententia generali proponit, sic Deum, cujus supra meminerat, in ima conditione constitutum, cum ad se redierit, servaturum, servare solere. שַׁח עֵינַיִם *Humiliatus oculis*, non tam molestum et summissum h. l. indicare videtur, quam *humilem*, ut Latine sumitur, i. e. abjectum, qui prae calamitate et tristitia, ut fit, oculos demittit.

30. Assurgit Eliphasi oratio, dum Jobo promittit, eum non tantum per se liberatum iri, sed propter ipsum etiam alios, minus innocentes. יְמַלֵּט אִי־נָקִי *Liberabit* sc. Deus etiam *non innocentem.* Particula negativa אִי rarior quidem in V. T. scriptis, sed apud Aethiopes nihil illa frequentius. Rabbini quoque adhuc illa nonnumquam utuntur, ut in tritissimo illo אִי אֶפְשָׁר *impossibile*, et sic aequipollet A στερητικῷ Graecorum. Prov. 31, 4. ea particula cum Zere אֵי scribitur. Bene Chaldaeus: *liberabitur vir, qui non est innocens justitia tua.* Sequitur enim in hebraeo: וְנִמְלַט בְּבֹר כַּפֶּיךָ *eripietur*, inquam, et incolumis evadet, *propter puritatem manuum tuarum*, tuae innocentiae, tuisque manibus puris, a te supplice ad Deum sublatis, s. precibus et intercessionibus Deo gratissimis, salutem ille suam debebit, atque poenam promeritam elabetur, ne tu impliceris noxiorum poenis. Cf. Gen. 18, 23. 32. Jer. 5, 1. Respiciunt haec ad ea, quae infra 42, 8. reperiemus, de favore et gratia, qua Jobus apud Deum maxima pollet, intercessionisque pro amicis efficacia. Cf. not. superius ad Vs. 23. 24.

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 23. 24.

Jobus Eliphaso duobus, quae jam sequuntur, Capitibus respondet. Primum doloris sui magnitudinem affert, unde fiat, ut tam graviter queratur. Deinde, quia Eliphasus tanta crimina et scelera ei objecerat, non in homines tantum, sed et impietatem in Deum, provocat ad Dei tribunal, et coram Numine ipso causam suam agere postulat, nullus dubitans, quin innocentiam sit ostensurus, causaque sua victurus, quippe qui auri instar se intus et extus purum inveniendum esse sciat, nulliusque sibi transgressionis sit conscius. Dolet interim acerbissime, sibi aditum ad Dei ipsius solium penitus denegatum ac praeclusum, et Numen absolutissimo potius imperio adversus miserrimum ejus cultorem agere, quam jure (Cap. 23.). Tum denuo refellit Eliphasi et sociorum sententiam, docendo et amplificando, quod jam supra Cap. 21. contenderat, perditos ac consceleratos homines plerumque tuto, ac sine ulla noxa, in suis sceleribus versari, quorum longum pertexit catalogum, tandemque ex hac vita impunitos discedere. Ex quibus omnibus tandem colligit, quum nulla in iis luculenta Dei judicia conspiciantur, verum esse id, quod contenderat (Cap. 24.).

CAP. 23, 2. Nomen מְרִי interpretum plures h. l. capiunt *rebellionis* significatione (a rad. מָרָה), qua sane 1 Sam. 15, 23. Ezech. 2, 8. occurrit, et prius hemistichium cum interrogatione vertunt: *etiamnum hodie rebellio* contra Deum *querela mea*, sc. habetur a vobis? Sed concinnior prodire videtur sensus, si *amaritudinis* notione sumamus, mutata illa a radice soni vicini מָרַר *amarus fuit*, uti supra ad 20, 10. vidimus alia plura verba ultima tantum radicali vel geminata vel quiescente inter se diversa communes habere significatus. Sic verbi מָרָה Participium 2 Reg. 14, 26. manifeste *acerbi* notione capiendum: *Vidit Jova* אֶת־עֳנִי יִשְׂרָאֵל מֹרָה מְאֹד *afflictionem Israelis valde amaram*, s. acerbam *esse*, ubi *contumacis* significatio, qua מֹרֶה Deut. 21, 18. 20. usurpatur, plane esset inepta. Recte igitur Hieronymus: *nunc quoque in amaritudine est sermo meus.* Et Chaldaeus: *hodie quoque amarus est sermo meus.* SCHNURRERUS quoque in

Digitized by Google

Dissertatt. p. 260., statuens esse nomen מָר cum Jod paragogico, nostra verba ita vertit: *etiam nunc amara*, vehemens, *erit querela mea.* Scite observat, respicere Jobum ad Cap. 10., ubi, quod sentiret sese animo gravius commotum, orationi suae, omnino asperiori, praefatus est ita, ut diceret, velle se effundere animi sui aegritudinem, atque in acerbiores querelas erumpere. Itaque nunc, cum iterum eodem modo affectum se cognosceret, eadem fere praefatione, et quasi excusatione, utendum sibi putavit. Hinc addit: יָדִי כְּבֵדָה עַל אַנְחָתִי *Manus*, plaga, *mea gravis est super*, s. *prae gemitu meo*, i. e. quamvis vehemens sit querela mea, non tamen doloris mei aequat vehementiam; minor est doloris significatio, quam postulat doloris acerbitas. Suffixum in יָדִי non est *active*, sed *passive* accipiendum, *manus* s. plaga manu inflicta (supra 19, 21. Ezech. 39, 21.), *qua percutior a* Deo, ut חָמְסִי *injuria mihi illata*, Gen. 16, 5. Jer. 51, 35.; קְלָלָתִי *maledictio, qua mihi maledicitur*, 2 Sam. 16, 12.; חִצִּי *telum, quod in me injectum est.* Accurate igitur verba יָדִי כְּבֵדָה reddit Hieronymus: *et manus plagae meae aggravata est.* Nihil necesse est, יָדוֹ *manus ejus*, i. e. Dei, cum suffixo tertiae personae, legere, quod Alexandrinus, eumque sequuti Syrus et Arabs expresserunt, sed nullius codicis auctoritate firmatur, quamvis יָדוֹ orationis seriei, primo saltem adspectu, videatur magis conveniens. עַל *Supra*, magis quam, cf. not. ad 22, 24.

3. מִי־יִתֵּן *Quis dabit?* i. e. utinam, ut supra 11, 5. Ante יֵדַעְתִּי subaudiendum est ו, *ut sciam*, ut supra 13, 5. coll. Deut. 5, 26. supra 19, 23. — וְאֶמְצָאֵהוּ *Et inveniam eam*, i. e. utinam scirem invenire eum. Solent enim Hebraei pro verbo cum Infinitivo substituere duo verba *finita*, copulata per Vav; veluti Dan. 6, 2. שְׁפַר *placuit* Dario וְהַקִּים *et constituit*, i. e. placuit ei constituere. Vid. et Gen. 9, 20. Deut. 2, 31. Alii, assumta verbi מָצָא notione Aethiopibus frequentata, *pervenire* interpretantur: *utinam scirem ad ipsum pervenire!* Sensus parum aut nihil differt. Ἀνθρωποπαθῶς toto hoc loco de Deo loquitur, quasi certo loco resideat ad jus reddendum; optat, ut sibi liceat eum offendere ubivis gentium, quo apud illum suum jus et innocentiam tueatur. Id quod bonitate suae causae et conscientia innocentiae suae fretus dicit adversum socios, a quibus ita reus peragebatur. Qui rei sunt, et sibi male conscii, judicem non quaerunt. Jobus judicem quaerit, et profitetur se apud illum argumentis et probationibus non cariturum, quibus suam probet. אָבוֹא עַד־תְּכוּנָתוֹ Et *veniam*, et venire possim, *ad stationem ejus*, bene Hieronymus: *ad solium ejus.* Est enim תְּכוּנָה nomen augustum et magnificum ab *aptando*, *stabiliendo* (כוּן) dictum, ac de dispositione domus usurpatur Ezech. 43, 11., et de apparatu rerum pretiosarum Nah. 2, 10. Hoc loco docet res ipsa dici de *sede*, quam sibi magnifice comparavit Deus ad jus inde

Digitized by Google

reddendum, ut Ps. 9, 8. dicitur: כּוֹנַן לַמִּשְׁפָּט כִּסְאוֹ *apparavit ad judicium solium suum.*

4. Tum, si ad causae tractationem admitterer, intrepide אֶעְרְכָה לְפָנָיו מִשְׁפָּט *instruerem coram eo judicium*, ordine, quasi aciem, producerem argumenta pro mea innocentia, quae ad jus meum tuendum pertinent, ut litigatoribus coram judice moris est. עָרַךְ proprie verbum bellicum, de *acie instruenda* solenne (vid. Jud. 20, 22. 1 Chr. 22, 33. 35. Jer. 6, 23.), hinc transfertur ad judicia, diciturque de productione argumentorum, quae quis pro se afferenda habet; ut supra 13, 18. Ps. 15, 21. — וּפִי אֲמַלְּאָה תּוֹכָחוֹת *Et os meum implerem redarguitionibus*, s. argumentis et rationibus, q. d. abunde mihi suppeterent rationes, quibus meum jus defenderem, et innocentiam ostenderem; non deessent mihi probationes; non erubescerem coram eo, ut solent, qui causae suae et juri diffidunt. תּוֹכָחוֹת non redarguitiones intelligit, quibus Deum injustitiae accusaret, sed rationes, quibus se tueretur. Sic enim appellantur rationes, quas altrinsecus afferunt in foro litigatores, vel qui inter se disputant et contendunt, quibus unus alterum redarguit, suam causam defendendo, et adversarium oppugnando, i. q. Graecorum ἐλέγχειν et ἔλεγχος. Vid. Hab. 2, 1. Ps. 38, 15.

5. לִי — אֵדְעָה *Scirem verba* quae *responderet mihi*, *et intelligerem quae dicturus esset mihi.* Tunc ex ipsius ore cognoscerem, quid spectarit, dum me tam longa ac dura vexatione cruciavit. Nam nunc quidem nullam plane causam reperire possum, ob quam adeo saevum et infestum experiar Deum, quem scio me semper sincerissime coluisse, cujus me semper legibus obtemperasse, mihi conscius sum. Nosse aveo, quod mihi, causae meae justitiam demonstranti, reponeret Deus, ad efficiendum, me meritas scelerum poenas luere.

6. Et quia objici poterat immensa Dei potentia, qua eum esset oppressurus, subdit: הַבְרֹב־כֹּחַ יָרִיב עִמָּדִי *Num copia roboris sui*, i. e. magna sua potentia, *contenderet*, disceptaret *mecum?* Me suo robore et majestate opprimeret, ut homines potentes solent in judicio potentia sua formidabiles esse iis, quibuscum litigant? לֹא *Non*, i. e. minime id faceret. Dedecet eum, me, qui ita infirmus sum, magnitudine et robore suae potentiae consternare. אַךְ הוּא יָשֵׂם בִּי *Sed ipse poneret in me*, s. *ad me* (בִּי pro עָלַי) sc. לִבּוֹ *cor suum*, quod subaudiendum h. l. ut supra 4, 20., ubi not. vid. Sensus: ad rationes, quas pro mea causa allaturus essem, attenderet; me patienter audiret more boni judicis, qui ultro citroque interrogat litigatores, et illis respondet, aequo animo audiens eorum argumenta; vel more boni et aequi litigatoris, qui adversario locum dat, causam suam agendi. SCHNURRERUS in *Dissertatt.* p. 262. ut votum vertit: *modo velim ad me advertat*, et quae dicenda habeo, audiat. Alii subaudiunt

Digitized by Google

et repetunt כֹּחַ, hoc sensu: *sed in me robur poneret* ad consistendum coram se, me infirmum fulciens et roborans, qui alioquin coram ejus majestate tremenda subsistere prae imbecillitate nequirem. Alias multo minus probandas interpretationes percensuit Schnurrerus l. c.

7. שָׁם *Illic*, in eo scilicet judicio ita instituto, quo ille suam majestatem et potentiam exuat, hoc pacto, יָשָׁר נוֹכַח עִמּוֹ *rectus* homo *disceptaret* (נוֹכַח pro יִהְיֶה נוֹכֵחַ *disceptans esset*) *cum illo;* ita si agat, non reformidet quilibet recti sibi conscius, qualis ego sum, si more insolito affligi se sentiat, cum eo in judicio congredi; neque enim ejus majestate terreatur. Et thesin mox ad hypothesin transfert, ut Jobus passim facit, quia ex rectorum numero se agnoscit: וָאֻפַּלְטָה לָנֶצַח מִשֹּׁפְטִי *et liber evaderem prorsus a judice meo*, quo Deum se intelligere, patet. Non dubitat, quin a tribunali sanctissimi justissimique Numinis victor suae causae sit rediturus, si modo Deus personam judicis erga se retineat, neque majestate ac potentia sua perterrefaciat. לָנֶצַח propr. *in purum putum* (nam verbum נָצַח arabice et syriace est: *pura, sincera fuit res*), hinc *prorsus*, ut Ps. 13, 5. 79, 5. Alii: *semper* (cf. supra 4, 20.), i. e. numquam non, et nullo non in judicio ita instituto, ut ille suam majestatem deponeret, causam evincerem, et me confiderem absolutum iri a judice meo. Hieronymus hunc Vs. sic reddidit: *proponat aequitatem contra me; et perveniet ad victoriam judicium meum.* Pro שָׁם *ibi*, legit שֵׂם (quod ipsum de-Rossi in quatuor reperit codd. a se inspectis, vid. Ejus *Scholia Critt.* p. 121.), pro יָשָׁר *rectus* יֹשֶׁר *aequitas*, pro נוֹכַח *litigans* נֹכַח *coram*, pro עִמּוֹ *cum eo* עִמִּי *mecum*, denique pro מִשֹּׁפְטִי *a judice meo* מִשְׁפָּטִי *judicium meum*, quod in codicibus quibusdam reperit de Rossi (vid. l. c.), et exprimitur etiam ab Alexandrino et Syro. Praefertur quoque מִשְׁפָּטִי recepto מִשֹּׁפְטִי a quibusdam recentiorum interpretum, a Schnurrero etiam (*Dissertatt.* p. 262.), „ut habeat," inquit, „verbum transitivum אֻפַּלְטָה suum nomen, sitque loquendi formula talis qualis exstat Habac. 1, 4." At vero verbum פָּלַט in Piel non transitive solum, verum et intransitive usurpatur, uti מָלַט ejusdem significationis.

8. Haec spectant ad ea, quae supra Vs. 3. optaverat: *utinam Deum invenire possim.* At quamcunque, inquit, me in partem convertam, sive antrorsum, sive retrorsum, sive dextrorsum, sive laevorsum, nusquam Deus mihi patet, cum quo disceptem. Per *ante*, *retro*, *dextrum*, *sinistrum* quatuor orbis plagae significantur. Videlicet faciem ad orientem solem converso (קֶדֶם s. פָּנִים) *faciei objectum* *anterior pars*, *a tergo* (אָחוֹר) est *occidens*, *auster* ad *dextrum* (יָמִין s. תֵּיבָן), et *septentrio* ad *sinistrum* (שְׂמֹאל). Quae pluribus exposuit Christ. Bened. Michaelis in Dissertat. *de locorum differentia ratione anticae*,

Digitized by Google

posticae, *dextrae*, *sinistrae*, Halae 1735. Repetita in *Sylloge Commentatt. Theologicar.* a D. J. Pott editt. Vol. V. p. 80. sqq. l. c. וְלֹא־אָבִין לוֹ *Non animadverto eum*, s. nihil percipio de eo; verbum הָבִין cum ל construitur, vid. supra 9, 11.

9. בַּעֲשֹׂתוֹ *In agere ejus*, i. e. cum operatur, ut infra 28, 26. Si ad sinistram aliquid operis facit. וְלֹא אֶחֱזֶה *Nec cerno*, s. conspicere possum ipsum. Est Futurum Cal verbi חָזָה, per apocopen et pausam sermonis, pro אֶחֱזֶה, supra 19, 26. 27., quod accentus in penultima indicat, coll. וְתַחֲזֶינָה Mich. 4, 11. Simili apocope legitur ex verbo עָשָׂה Deut. 10, 3. Ezech. 12, 7. וָאַעַשׂ. יַעֲטֹף יָמִין *Operit dextram*, concise, pro, si fuerit ad dextram s. austrum, eam plagam totam sic operit et occultat, ut non videam eum. Alii יַעֲטֹף intransitive vertunt: *operit se*, involvit sese velut vestimento. A dextra item inaccessum se praebet, densa caligine involutus et coopertus. Quamcunque in partem me verto, nusquam mihi comparet, ut cum eo agere possim. Ceterum quod Jobus hic tam ardenter optabat, id tandem obtinuit, quum Deus ex procella eum alloquitur, infra 38, 1. sqq., ubi tantum abest, ut suae causae bonitate fretus, ea, quam hic prae se fert, audacia, cum Deo disceptationem instituat, ut potius audaciam suam et temeritatem summisse confiteatur.

10. כִּי־יֵדַע דָּרֶךְ עִמָּדִי *Quia novit* Deus *viam*, quae est *mecum*, i. e. quam tenere soleo, meos mores et omnia mea. בְּחָנַנִי כַּזָּהָב אֵצֵא (subaudiendum sub initio אִם s. בַּאֲשֶׁר) *Quum probaverit me, sicut aurum exibo* e fornace, quum me diligentius exploraverit auri more in fornace, quod ut erat aurum, sic inde aurum exit, exibo et deprehendar purus ut aurum, integer et innocens, non alium me inveniet. Ideo cupio cum eo agere, coram ipso meum jus exponere. Sunt, qui id, quod de auro dicitur, ad afflictiones referant, per quas Jobus probaretur, ut aurum in fornace; quod, etsi a Deo gravissimis plagis sit affectus, adhuc integer et purus perstiterit. Sed videtur alter sensus simplicior, ut sese probandum Deo offerat, et undiquaque causae suae jus disquirat, fore, ut non alius appareat, quam integer. Cui sensui et proximus Versus est consentaneus.

11. בַּאֲשֻׁרוֹ אָחֲזָה רַגְלִי *In gressu ejus haesit pes meus*, gressum ab eo praescriptum tenuit pes meus, legi ejus obtemperavi, et actiones meas ad ejus regulam et praescriptum conformavi. Verbum אָחַז supra 17, 9. simpliciter cum Accusativo constructum, hic nomini אֲשֻׁר cum ב junctum *firmiter tenendi* notionem obtinet. דַּרְכּוֹ שָׁמַרְתִּי *Viam ejus custodivi*, observavi, ne alia, quam ipsius via incederem; leges, quas nos sequi vult, sum sequutus. וְלֹא־אָטִיתִי *Neque declinavi*, vel transitive potius, quum sit Hiphil, *non declinare* pedem meum *sivi*. אָטִי Futurum apocopatum formae Hiphil verbi נָטָה cum Camez loco Pathach, nam

Digitized by Google

alias est וְאַט pro וְאַטֶּה Hos. 11, 4. Sic וַיַּז *aspersit* Lev. 8, 11. יַךְ *percutiet* Hos. 6, 1.

12. מִצְוַת שְׂפָתָיו וְלֹא אָמִישׁ *Praeceptum labiorum ejus* quod attinet; *non recessi* ab eo. Sic מוּשׁ in Hiphil intransitive Ex. 13, 22. 33, 11. Jes. 46, 7. Ps. 55, 12. Alii transitive: *non moveo illud* e conspectu meo, coll. Mich. 2, 3. 4. Sed illud usu frequentius est. *Vav* ante לֹא h. l. post nomen מִצְוַת absolute positum *apodosin* indicat, ut apud Arabes פַּ si אַמָּא praecesserit. Ita Prov. 23, 24. יוֹלֵד חָכָם וְיִשְׂמַח בּוֹ quod attinet ad *genitorem sapientis, laetabitur eo.* Vid. et 1 Sam. 25, 27. 17, 20. Hieronymus: *a mandatis labiorum ejus non recessi.* Non expressit Vav ante לֹא, unde tamen minime sequitur, illud in suo codice non exstitisse; quamvis reperiantur codices a Kennicotto et de Rossio indicati, in quibus illud abest. מֵחֻקִּי *Prae statuto meo*, i. e. prae eo, quod ipse apud me statuerem; Dei praecepta meis statutis ac placitis longe anteposui. Alii: *ex statuto meo*, i. e. de more meo, pro re mihi consueta et ordinaria. Alii: *prae demenso mihi* cibo ac potu, magis quam res mihi ad victum necessarias, recondidi verba oris ejus; mihi cariora fuerunt victu meo constituto. Nam חֹק de victu quotidie necessario et velut demenso dicitur Prov. 30, 5. 31, 15. Gen. 47, 22. Sed prior sensus nobis concinnior videtur. Alexandrinus vertit ἐν κόλπῳ μου, et eum sequutus Hieronymus: *in sinu meo*, quasi בְּחֵקִי scriptum esset, quod tamen codicum adhuc inspectorum nullus exhibet. צָפַנְתִּי *Recondidi* sc. בְּלִבִּי *in corde meo*, ut Ps. 119, 11. plene dicitur. Loquutio a curiosa thesauri adservatione petita, quem quo tutiorem a furibus nos servemus, ad intimos recessus recondimus. אִמְרֵי פִיו i. q. מִצְוַת שְׂפָתָיו, ut supra 6, 10. Ps. 138, 4. Schnurrerus in *Dissertatt.* p. 263. prima hujus Versus vocabula, מִצְוַת שְׂפָתָיו, ad Versum superiorem trahenda censet, Syriaci permotus interpretis auctoritate, qui ita reddidit: *nec sprevi mandata labiorum ejus.* Et verbum חִטָּה eodem modo cum Accusativo junctum exhibent loca Deut. 27, 19. Thren. 3, 35. Jam vero Schnurrerus jungit verba וְלֹא אָמִישׁ מֵחֻקִּי, hoc sensu: *non recessi a statutis mihi datis*, ut pronomen ad מֵחֻקִּי denotet eum, ad quem statuta pertinent, perinde ac in formula illa Lev. 12, 6. זֹאת תּוֹרַת הַיּוֹלֶדֶת *haec est lex, quae spectat puerperam*; item 14, 2. Num. 6, 13. Sensu non dissimili Syrus: *nec recessi a voluntate ejus.* Sed pro מֵחֻקִּי ille interpres expressit מֵחֻקּוֹ, quod ipsum exhibet unus codicum a Kennicotto collatorum.

13. וְהוּא בְּאֶחָד *Et ipse* est s̄. persistit *in uno* sc. *verbo*, בְּדָבָר אֶחָד, in uno proposito et sententia; est immutabilis, ubi quid semel decrevit aut suscepit. Alii ב redundare putant, ex loquendi usu Arabibus familiari, qui ב saepe praedicato praeponunt, velut אללה בקדיר *Deus in potente*, i. e. est potens; item הו במומן *ille in credente*, i. e. est verus, fidelis. Cf. Ps. 68, 5.

Digitized by Google

Ita Chaldaeus et Hieronymus: *ipse enim solus est*, i. e. supremus Dominus, absoluto imperio omnia regens, omniumque fata et fortunas dispensans. Prior tamen sensus melius convenit ei quod statim additur: וּמִי יְשִׁיבֶנּוּ *et quis revocabit*, avertet *eum*, ab eo, quod semel decrevit. וְנַפְשׁוֹ אִוְּתָה וַיַּעַשׂ *Et anima ejus cupiit ac fecit*, i. e. cupit et facit statim. Ejus voluntas est ejusdem executio. Haec dicit rediens ad absolutam Dei potentiam, qua nunc in se utatur. Solus, inquit, est Omnipotens, qui quicquid vult, facit, qui et nunc me voluntate sua ac potentia afflixit ita graviter, licet innocentem, quamvis causam non intelligam: fecit, quia voluit.

14. כִּי יַשְׁלִים חֻקִּי *Nam*, pro libera sua voluntate, *perficiet statutum meum*, id quod in me statuit: quicquid de me decreverit, sive in bonum, sive in malum, absolvet. Nihil proficiam, etiamsi expostulem cum eo. Si me liberare volet, nemo impediet, et contra. וְכָהֵנָּה רַבּוֹת עִמּוֹ *Et talia multa* sunt *cum eo*, apud ipsum, talia multa ille absoluta sua potentia solet facere, quorum rationes nobis sunt incognitae, nec perscrutari a nobis possunt.

15. עַל־כֵּן מִפָּנָיו אֶבָּהֵל *Propterea ab ejus conspectu attonitus sum*, quia ita potens est, ut absolute, quicquid lubet, faciat, et hac potestate et in me utitur. אֶתְבּוֹנֵן וְאֶפְחַד מִמֶּנּוּ *Attendentem me exhibeo*, perpendo haec, *et paveo ab illo*, quum diligentius considero et animo reputo ejus tantam potentiam, cujus in me nunc specimen video, non possum, quin expavescam; totus horreo ejus potentiam et summam sapientiam considerans. Cf. supra 12, 13. 14. 16. 17.

16. וְאֵל הֵרַךְ לִבִּי *Et* sane *Deus mollivit cor meum*, i. e. colliquescit quasi afflictionibus, et velut consumsit; confregit afflictionum mole supervenientium, et infregit animum mihi. *Consternationem* et *infractionem animi* ea phrasis et Deut. 20, 3. 2 Reg. 22, 19. Jesaj. 7, 4. Jerem. 51, 46. notat. וְשַׁדַּי הִבְהִילָנִי *Et Omnipotens me consternavit*, attonitum reddidit tot malis ingruentibus.

17. כִּי־לֹא נִצְמַתִּי מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ *Quod non sum excisus ante tenebras*, i. e. antequam venirent tenebrae tantarum afflictionum, quae me undique obruerunt. מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ propr. *a facie tenebrarum*, i. e. ut hae tenebrae prorsus a me absconditae essent, antequam ingruerent. Alii: quod a tanta calamitatum mole non sum oppressus. Q. d. mirum est, quod vivam adhuc, et ipse obstupesco. Nam quis ferendis tot ac tantis malis, quae pertuli, par sit? Ante posterius hemistichium, וּמִפָּנַי כִּסָּה־אֹפֶל, repetendum כִּי־לֹא *et quod non a conspectu meo caliginem texerit*, i. e. quod me non interemerit, auferens a conspectu meo tot malorum horridas tenebras. Alii sine ellipsi τοῦ כִּי־לֹא sic vertunt: *ita ut a facie meu texisset* s. abdidisset *caliginem*. Sunt, qui אֹפֶל pro *mortis caligine* capiant, hoc sensu: *et quia a facie*

Digitized by Google

mea texit caliginem, i. e. quod mihi mortem invidet, unicum malorum remedium. Sic tamen אָפֵל minus accurate cum חֹשֶׁךְ convenit, quod *miseriarum*, quibus oppressus erat Jobus, *tenebras* significare, non est dubium.

Cap. 24, 1. מַדּוּעַ מִשַּׁדַּי לֹא נִצְפְּנוּ עִתִּים *Quare ab Omnipotente non sunt abscondita tempora?* עִתִּים *tempora* h. l. sunt rerum vicissitudines, bona aut mala, quae fiunt et ab hominibus geruntur, vid. not. ad Ps. 31, 16. Interrogatio est *admirantis* et *indignantis*, ut supra 18, 3. 21, 7. 33, 13. Cur non potius latent Deum, quae hic fiunt, quaeque deinceps inde a Vs. 2. enumerat, quod impii haec et illa tam multa et varia mala perpetrent? Quia si laterent Deum, non haberent pii, cur quererentur, et prae admiratione quasi stuperent, cur talia impunita dimittat? Cessaret enim expostulandi materia, si nihil Deus horum nosset, qui, ut inquit Habac. 1, 13., *mundior est oculis*, quam ut tam immania scelera ferret. Quae quidem quaestio, cur impiis impune liceret alios opprimere et atrocissima quaeque patrare, probi vero affligerentur, maxime pios torsit illius aetatis homines, ut patet ex Ps. 73, 2. 3. sqq. Jer. 12, 1. 2. sqq. Habac. 1, 1—7. וְיֹדְעָיו לֹא־חָזוּ יָמָיו *Et s. aut cognoscentes eum*, i. e. qui eum curant et colunt (vid. supra 18, 21. Ps. 36, 11.), pii ac probi, cur *non vident dies ejus?* i. e. quibus judicia in impios exserit, quo sensu *dies Dei* Jes. 2, 12. 13, 6. Jer. 46, 10. Joel. 1, 15. Amos. 5, 18. Apocal. 16, 14. (ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τοῦ Θεοῦ). Quare non vident probi vindictam Dei in improbos et remunerationem sui? Haec quidem dubitans dicit, adversum socios, qui existimabant, Deum non impunitos dimittere impios. Atqui aliter, inquit Vs. 2. sqq., videmus. Prius hemistichium in duobus codd. (altero Kennicotti, altero de Rossii a prima manu) omisso לֹא legitur: *quare sunt ab Omnipotente tempora occultata?* Neque negandi particulam Alexandrinus expressit: διατί δὲ, Κύριε, ἔλαθον ὧραι; Pro וְיֹדְעָיו in Chaldaica versione legitur וּדְחַכִּימִין יָתֵי, quod hebraice יֹדְעַי esset, et hoc ipsum in quibusdam codicibus et libris typis exaratis, a de Rossio indicatis, reperitur. Syrus: *quare a Deo non sunt absconditi impii, sed noscuntur, nec vident dies suos?* scil. quibus poenas luant. *Cognosci a Deo* cepit is interpres pro *ab eo curari*, ejus favorem experiri, ut Gen. 18, 19. Ps. 31, 8. 37, 18. Pro עִתִּים videtur עֲוִילִים legisse. Hieronymus: *ab Omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.* Quasi haec esset Jobi mens: certum est, humana tempora, et res hominum, non ignotas esse Deo: nihilominus pii ac probi ignorant, quo tempore et pondere impii ab eo plectantur.

2. Sequitur longa maleficorum series, quos, dum omnis generis sceleribus indulgent, impunitos abire sinit divina Nemesis.

Digitized by Google

Quid intendat Jobus, ad Vs. 1. dictum. Recte Alexandrinus huic Versui praemittit: Ἀσεβεῖς δὲ, et Hieronymus: *Alii* ... *Alii*, Vs. 5. — גְּבוּלוֹת יַשִּׂיגוּ *Terminos movent* s. *transferunt*, ut suos ipsi limites proferant et amplificent, quod scelus gravibus diris devovetur Deut. 27, 17., cf. ibid. 19, 14. Prov. 22, 28. יַשִּׂיגוּ quidam *attingunt*, i. e. apprehendunt, invadunt, ut Jes. 35, 10. 51, 11. Prov. 2, 19. al. interpretantur. Sed significantior redditur sensus, si verbum illud eodem, quo נָסַג significatu accipiamus, quod et uterque Deuteronomii locus, modo allatus, suadet. Ita et supra 9, 17. שְׂעָרָה pro סְעָרָה positum vidimus. עֶדֶר גָּזְלוּ וַיִּרְעוּ *Gregem rapiunt et pascunt*; summa impudentia et violentia greges aliis abactos palam ob omnium oculos pascunt.

3. חֲמוֹר vel collective sumi potest, *asinos* pupillorum abducunt, vel: *asinum* cujusque pupilli, unicum asellum, quo ille negotia sua conficiebat, et qui ei velut victum suppeditabat. יַחְבְּלוּ שׁוֹר אַלְמָנָה *Pignerantur bovem viduae*, quo illa agrum suum colebat, et in quo vitae sustentandae spem posuerat, quum Lex vetet id pignori accipi, quod pauperi sit necessarium, et quo carere non possit, cf. supra not. ad 22, 6. Aggravat scelus viduae persona, cui parcendum erat. Pro שׁוֹר Arabicus interpres חַוֹּב *vestem* posuit. Quod pro calami errore, loco חוֹר, haberi possit, quum Syrus, quem Arabs fere sequitur, תורה verterit, nisi et in codice no. 1012. a de Rossio signato בֶּגֶד *vestimentum*, a prima manu reperiretur. Videtur igitur ea lectio olim in pluribus codicibus exstitisse. Praeferenda tamen recepta lectio, quod חֲמוֹר שׁוֹר in priori hemistichio accuratius respondet.

4. נִטּוּ אֶבְיוֹנִים מִדֶּרֶךְ יַחְדָּו נִחְבְּאוּ עֲנִיֵּי־אָרֶץ *Declinare faciunt inopes a via*, ea superbia et violentia in pauperes saeviunt isti importuni, ut miseri illi e medio aufugiant, ne praedae et injuriae pateant. יַחְדָּו *Simul*, cuncti (ut supra 6, 2. 16, 10. 19, 12.) *abdunt sese pauperes terrae*, prae metu violentorum istorum. Pro עֲנִיֵּי, quomodo Masorethae ad marginem legendum jubent, et quod in pluribus codd. et editt. et ipsum in textu legitur, in plerisque libris editis in textu est עֲנָוֵי *humiles*, exiguo sensus discrimine, quum fere mansueti et modesti pauperes sint potentiorum injuriis et oppressionibus expositi, et vicissim, qui sunt pauperes, modestiores esse soleant et mansuetiores. E veteribus solus Chaldaeus exprimit lectionem ad marginem notatam, reliqui, inter quos et Symmachus ac Theodotion, alteram reddunt.

5. הֵן פְּרָאִים בַּמִּדְבָּר יֵצְאוּ בְפָעֳלָם *Ecce onagri*, i. e. *alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum*, ut optime Hieronymus haec verba transtulit. Aliud enim jam proponitur hominum sceleratorum genus, qui nullis putant teneri se legibus, sed eo praecipites et temere feruntur, quo rapit libido, et nullum aliud habent negotium, quam aliena rapere. Comparantur *onagris*,

Digitized by Google

ratione indomitae feritatis, quod illi nunquam mansuescunt, vid. infra 39, 5. 7. Gen. 16, 12. Jer. 2, 24. Hos. 8, 9. Ante פְּרָאִים similitudinis particulam esse subaudiendam, saepe omissam, docet res ipsa. Tanquam *onagri in deserto*, qui huc illuc circumcursant ad praedam, ita isti improbi tanta aviditate, quanta onagri, et ita efferati et indomiti יָצְאוּ בְפָעֳלָם *exeunt in opere suo*, scil. conficiendo versaturi, i. e. ad opus suum, i. q. לְפָעֳלָם, quod ipsum in codd. quibusdam legitur. In aliis כְּפָעֳלָם *quasi ad opus suum*. Et quodnam illis est peculiare opus, velut ars, unde sibi victum parent? מְשַׁחֲרֵי לַטֶּרֶף *Quaerunt praedam*, praedae inhiant. Similitudinis ratio in eo sita est, quod praedonibus victus e solitudine suppetit, ut onagris; alioquin enim onager non est e feris rapacibus. שָׁחַר est propr. *mane et summo studio quaerere*, ut supra 7, 21. 8, 5. Jes. 26, 9. Est autem in regimine מְשַׁחֲרֵי sequente litera servili (לַטֶּרֶף pro טֶרֶף), ut saepe, veluti Jer. 46, 8. יֹשְׁבֵי בָהּ *habitantes in ea*. עֲרָבָה לוֹ לָחֶם לַנְּעָרִים *Solitudo* est *ei*, unicuique impiorum, *panis pueris*, i. e. pro pueris ejus. Ex deserto sibi victum quaerit, et comparat cibum, unde et se, et suos alat. נְעָרִים *Pueros*, non liberos tantum, sed famulos et domesticos intellige, quorum ille opera utitur, et quos secum habet comites, ut Gen. 14, 24. Abrahamus petit tantum sibi ea restitui, quae comederint הַנְּעָרִים *pueri*, qui scilicet secum profecti fuerant. Sic *pueri* Latine servi aut famuli dicuntur. Quidam his verbis significari volunt, impios ex silvis et desertis a praetereuntibus rapere, unde vivant. Verum non eo tantum referenda videntur, sed generaliter, quod improbi onagrorum more, et ferarum in desertis praedae inhiantium, rapacitatem ubicunque possunt, etiam intra urbes, exerceant, rapientes undecunque et quacunque possunt, ut solitudo et desertum, i. e. rapina, quam exercent, sit illis, et eorum domesticis, panis et cibus, ut ex rapto, non aliunde, victum parent, et facultates suas augeant. Ita sunt etiam in urbibus tanquam latrones in silvis. Alexandrinus pro עֲרָבָה *solitudo* legit עֲרֵבָה, vel עָרְבָה *suavis est*, vertit enim: ἡδυνήθη δὲ αὐτῷ ἄρτος. Sic etiam Symmachus: ἡδὺς ἑκάστῳ αὐτῶν ἄρτος. Sunt, qui hunc Versum ad amplificationem miseriae pauperum (de quibus Vs. 4.) pertinere censeant, qui a violentis potentioribus suis fortunis sedibusque expulsi, cogantur in deserta spes opesque suas transferre, atque ritu onagrorum in solitudinibus divagari, una cum parvulis suis, ad victum sibi ex herbis radicibusque vulsis comparandum. Sed quum *onager* alias saepe pro *feritatis* imagine usurpetur (vid. loca superius allata), non est, quod dubitemus, illum et h. l. ad impudentes alienarum opum raptores designandos adhiberi, quibus praeterea melius convenit טֶרֶף *praedae* commemoratio, quam pauperibus.

6. בַּשָּׂדֶה בְּלִילוֹ יִקְצֹרוּ *In agro pabulum ejus* sc. pauperis, vel humilis (Vs. 4.) *demetunt* violenti isti alienorum praedatores.

Digitized by Google

De בְּלִיל vid. not. supra ad 6, 5. Sed concinnior sensus prodibit, si בְּלִילוֹ in duas partes divisum legatur, בְּלִי־לוֹ *non suo.* Ita Alexandrinus (ex Cod. Rom. lectione): *ἀγρὸν πρὸ ὥρας οὐκ αὐτῶν ὄντα ἐθέρισαν*, quod in Vulgata antiqua sic redditum: *agrum ante tempus non suum demessuerunt.* Hieronymus: *agrum non suum demetunt.* Chaldaeus: *in agro non suo metunt.* Syrus utrumque conjungit: *in agro farraginem non suam metunt.* De Rossi in nullo quidem codice בְּלִילוֹ divisim scriptum reperit, observat tamen, esse et inter Hebraeos interpretes, qui sic exponant. Alii haec de labore inopum explicant, ad quem ab impiis coguntur: *in agro farraginem ejus* scil. impii pauperes, demetere coguntur. Huic explicationi favet τὸ Chethib, יַקְצִירוּ, *metere faciunt.* Sed notat de Rossi: „Defective יקצרו, vel יקצורו plures sive mss. sive editi. Inter mss. hispanici accuratissimi.“ וְכֶרֶם רָשָׁע יְלַקֵּשׁוּ *Et vineam* s. *vineas*, scil. aliorum, *impius*, s. *impii vindemiant.* רָשָׁע *collective* dictum, ut עָרוֹם mox Vs. 11. Alii in Genitivo: *vineam impii*, i. e. inique partam sibi, quae jam *vinea impii*, eum ipse eam acquisivit, appellari queat, *vindemiant* iniqui isti alienarum opum raptores. Quod durius. Aliis רָשָׁע *vexatum*, *miseriis exagitatum* (cf. not. supra ad 3, 17.) notare volunt. In hunc sensum Hieronymus: *et vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.* Qui prius hemistichium de pauperibus ab impiis ad labores coactis intelligunt, eodem modo et posterius sic interpretantur: *et vineam impii vindemiant*, vindemiare coguntur. Vel: nil est iis reliquum quam ut in vinea impii divitis racemando victum sibi quaerant. Ita Alexandrinus: *ἀδύνατοι δὲ ἀσεβῶν ἀμπελῶνας ἄσιτοι καὶ ἀμισθὶ εἰργάσαντο.* Et Chaldaeus: *et vineam impiorum amputant.* Verbum יְלַקֵּשׁוּ, hoc solo loco occurrens, *vindemiare* vertendum esse, contextus videtur flagitare. Proprie *serotinos fructus colligere* notare credibile est. Nam מַלְקוֹשׁ est *pluvia sera*, quae nonissima frugibus ante messem verno tempore supervenit, et לָקֶשׁ est *cordum, foenum serum*, quod jam resectum rursum crescit, Amos. 7, 1. Hinc לָקַשׁ erit *fructus posteriores in anno colligere*, quasi a *serotino* faceres verbum *serotinare.* Graeci feliciter dicerent *ὀπωρίζειν*, a nomine *ὀπώρα*, quod fructus omnes aestivos et autumnales complectitur. Quia ergo, sicut messis primis anni mensibus fit, de ea dixerat, *in agro pabulum demetunt*, nunc de vindemia, quae posterius fit, dicit יְלַקֵּשׁוּ, i. e. sero et postea colligunt fructus vineae. De Rossi observat, in cod. suo no. 249. notato, legi יְלַקְּטוּ *colligunt*, verbum usitatum, „quod facillimo negotio (addit) a librariis mutari potuit in hodiernum יְלַקֵּשׁוּ. Ita etiam legit ex codd. exteris 109, notans tamen ad marginem: סא ש, id est, alios libros legere per ש.

7. Verbum יָלִינוּ plures *transitive* vertunt: *pernoctare faciunt* nudos sine vestimento, quomodo et Levit. 19, 13. Deut.

Digitized by Google

21, 23. Hiphil תָּלִין sumendum putant. Sed utroque hoc loco (quo תָּלִין non pro *secunda*, verum pro *tertia* feminini persona habenda) non minus ac reliquis locis V. T. omnibus, veluti supra 19, 4. infra 29, 19. 31, 32. verbum לוּן in Hiphil *intransitivam* potetatem retinet. Vertendum igitur: *nudi pernoctant absque veste*, eo quod nulla illis vestis reliqua, spoliati ea a duris istis et crudelibus praedatoribus. Cf. Exod. 22, 25. 26. מִבְּלִי propr. *ob defectum*, ut Vs. 8. supra 8, 11. 18, 15. Injuriam aggravat *noctis* circumstantia, quod in terris illis nocturnum frigus sine operimento vix est tolerandum. Paullo liberius, nec tamen ineleganter Hieronymus hunc Versum reddidit: *nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.*

8. Alia incommoda, quae pauperibus sic spoliatis accidunt, subjungit, ut injuriam exaggeret et atrociorem reddat. מִזֶּרֶם הָרִים יִרְמָבוּ *Ab imbribus montium madefiunt*, in locis montanis, ad quae illi sese recipere coacti sunt, a divitibus pulsi et eorum metu, quum veste sibi erepta careant, nudi coguntur sese exponere frigidis imbribus. Nam זֶרֶם non *inundationem* tantum, verum et *imbrem* notare, et eum quidem non foecundum, sed frigidum, semperque hoc nomen in malam partem poni, docuit Michaelis in *Supplemm.* p. 648. Recte igitur Hieronymus: *quos imbres montium rigant.* Et Jes. 4, 6. זֶרֶם cum מָטָר *pluvia*, tanquam ἰσοδύναμος, componitur. וּמִבְּלִי מַחְסֶה חִבְּקוּ־צוּר *Et ob defectum refugii amplexantur rupem*, in cavernas montium se abdunt, rupes subeunt, ubi multa incommoda ipsis perferenda. מַחְסֶה *Receptum* et *perfugium*, ubi quis tutus esse possit ad propulsandas coeli injurias, ut Jes. 4, 6. significat.

9. יִגְזְלוּ מִשֹּׁד יָתוֹם *Rapiunt a mamma pupillum.* שֹׁד h. l. idem valet, quod שַׁד, uti et Jes. 60, 16. 66, 11., i. e. *mammam.* Sic et Alexandrinus: ἥρπασαν ὀρφανοὺς ἀπὸ μαστοῦ. Alii a שָׁדַד *vastavit*, sic interpretantur: prae vastitate et rapacitate, quam exercent, ne pupillo quidem parcunt. Sic Hieronymus: *vim faciunt depraedantes pupillum.* Alii: *rapiunt de praeda pupilli.* Ita Syrus: *rapiunt de praeda pupillorum.* Et Chaldaeus: *rapiunt ex praeda pupilli.* Simplicius haud dubie, שֹׁד, ut diximus, de *mamma* h. l. intelligere, ut sensus sit, violentos istos et crudeles ab uberibus matrum parvulos abripere, matribus in duram servitutem adactis. Quidam Hebraeorum haec sic intelligunt, quod victum infantibus eripiant, id, unde vivebant pupilli. Sed quia in eo est, ut inhumanitatem improborum exaggeret, inhumanitas major erit, ab ubere pupillum abripere. וְעַל־עָנִי יַחְבֹּלוּ *Et* quod *super pauperem* sc. est, i. e. ejus vestimentum, *pignus accipiunt.* Quum verbum חָבַל alias semper cum nudo Accusativo rei aut personae, nusquam interjecta praepositione עַל construatur; R. Levi, subaudito מָה, et pronomine relativo, haec verba recte

Digitized by Google

mortui, i. e. qui hisce cruciatibus confecti perierunt, suspiria duxerunt. De Rossi huic lectioni מֵתִים favere existimat sequentis hemistichii nomen חֲלָלִים *occisorum.* — וְנֶפֶשׁ־חֲלָלִים תְּשַׁוֵּעַ *Et anima confossorum vociferatur*, scil. ex urbe; ipsimet letaliter vulnerati et caesi animam afflantes vociferantur, de injuria sibi facta querentes. נֶפֶשׁ *Anima*, pro ipsismet, vel pro spiritu, quem efflant. Sunt, qui intelligant eorum sanguinem et animam, ubi mortui sunt, velut vindictam exposcere, ut Gen. 4, 10. de sanguine Habelis dicitur. Sed praestat, de viventibus adhuc accipere, quod eorum ejulantium et acerbe inclamantium voces moestae audiantur, ex intimo pectore eductae et expressae. חֲלָלִים sunt vulnerati, saucii vulnere letali. Cf. Num. 19, 16. 23, 24. Jes. 66, 16. Chaldaeus: *occisi gladio.* וְאֱלוֹהַּ לָא יָשִׂים תְּפִלָּה *Et tamen Deus non imponit* sc. בָּם *istis, absurditatem*, non imputat eis, qui talia efficiunt, haec tanta scelera, poenam ab iis exigendo, et vindictam sumendo. De תְּפִלָּה propr. *insipidum, absurdum*, hinc *fatuum, pravum*, vid. not. ad 1, 22. Quidam haec verba hoc capiunt sensu: Adeo non punit Deus improbos, ut talia scelera ne pro factis quidem insulsis, ac laude carentibus, ipsis imputare videatur. Sed pro scelere graviore haud dubie sumendum est תְּפִלָּה. Sic enim et *grandia crimina* interdum nomine נְבָלָה *absurditatem, stultitiam* significante, appellantur, vid. e. c. Gen. 34, 7. Jud. 20, 6. Formulam שִׂים בּוֹ signare *alicui aliquid imputare*, ostendimus supra ad 4, 24. Ut vero h. l. בָּם subaudiamus, contextus poscere videtur. Alii tamen, subaudito עַל־לֵב, sic vertunt: *non ponit ad animum*, non attendit, nec curat (cf. Jes. 57, 1. Jer. 12, 11.) *pravum*, flagitia, nec punit ea. Alii: *et Deus non ponit absurditatem* in factis scilicet et rebus eorum, בְּמַעֲשֵׂיהֶם, nihil absurdi interponit, nihil illis accidere patitur aut immittit, quod vel tantillum illis sit insipidum, quod illis displiceat, vel parum succedat; imo vero rebus eorum omnibus et conatibus, licet improbis et nefariis, successum dat. Pro תְּפִלָּה in duobus codicibus תְּפִלָּה s. תְּפִילָה *oratio*, reperitur, quod et Syrus expressit: *et Deus non accipit preces eorum*, i. e. preces illorum ad se clamantium ex angustia, et violentia, qua opprimuntur, non exaudit. Cui interpretationi, pluribus recentiorum probatae, tamen Schnurrerus l. c. opposuit: „Sed quae sic statuitur ellipsis verborum עַל־לֵב, vereor omnino, ut exemplis atque usu loquendi possit comprobari.“ Schnurrerus vero et ipse quidem תְּפִלָּה legendum censet, sed id nomen conjicit a *judicandi* significatu, quo pollet verbum פָּלַל, lingua olim vigente valuisse *judicium*, ut locus noster sic reddi possit: *Deus judicium*, sententiam, *non interponit*, summum ac justum rerum omnium arbitrum se non demonstrat. Sententia quidem perquam apta, modo certa esset nomini תְּפִלָּה tributa *judicii* significatio. Sed licet frequenter illud in V. T. occurrat, nullus tamen est locus, cui *judicii* notio quadret. Ubique *preces* notat.

Digitized by Google

13. Deinceps persequitur alia scelera, quae ab improbis designantur, velut novo initio sumto novum texens catalogum vitiorum eorum. Affert autem hic in summa, quod lucem oderint et hominum conspectum, non quod non multi improborum, ii praesertim de quibus supra dixit, scelera pleraque propalam patrent, omni pudore exuto, et Dei ac hominum metu abjecto, sed quod alii sint, latrones, fures, et adulteri, quibus lux horrori est. Nam non de iisdem improbis haec omnia dicit, sed varia eorum genera attingit, quod si haec hi, illi illa, alii alia designent. הֵמָּה הָיוּ בְּמֹרְדֵי־אוֹר *Ipsi fuerunt inter eos, qui rebellant in lucem*, sive simpliciter *rebelles*, ut redundet ב ante מֹרְדֵי more Arabico, vid. not. ad 23, 13., i. e. lucem oderunt, horrent, et velut ei bellum indixerunt, contra ingenium hominum bene natorum et compositorum, qui omnes sicut et animantia bene composita natura lucem amant et quaerunt, ut e diverso inauspicata censentur animantia, quae lucem fugiunt. Cf. Joh. 3, 20. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων, μισεῖ τὸ φῶς. In quibusdam codicibus a Kennicotto et de Rossio inspectis legitur בְּמֹרְדֵי *sicut rebelles.* לֹא־הֵבִירוּ דְּרָכָיו *Non agnoscunt vias ejus* sc. lucis, וְלֹא יָשֻׁבוּ *neque manent*, versantur, agunt *in semitis ejus*, in viis lucidis; vias fugiunt, et loca, ubi videri possint, ne sua maleficia patrantes deprehendantur. Pro יָשֻׁבוּ in codicibus aliquibus legitur יָשׁוּבוּ, sive plene יָשׁוּבוּ *reversi sunt.* Quod ipsum et Hieronymus expressit: *nec reversi sunt per semitas ejus* scil. lucis. Idemque legitur in cod. Hebraeo-Persico de Rossii, et versione ejus Persica. Vid. *Scholia critt.* p. 121. In alio quodam de Rossii codice, numero 31 ab eo notato, pro יָשֻׁבוּ legitur יָלֻכוּ *ambulaverunt*, quomodo et Alexandrinus Syrusque verterunt. Schnurrerus in *Dissertatt.* p. 265. מֹרְדֵי־אוֹר legendum conjicit, quod *abscissos a luce* interpretatur, verbo מָרַד *abscindendi* notionem, Arabibus usitatam, tribuens. „Sunt igitur," inquit, מֹרְדֵי־אוֹר *abscissi a luce*, h. e. homines aerumnosi, a prosperitate omni remoti; lucem enim Hebraeis imaginem esse felicitatis, obvium est, atque vulgatum. Itaque etiam דַּרְכֵי־אוֹר et נְתִיבוֹת אוֹר sunt *viae, quas lumen illustrat*, coll. Cap. 22, 28., i. e. bona atque laeta vitae fortuna et conditio. Quod vero Jobus, postquam dixit hominum alios ab aliis, potentioribus, impune vim pati atque trucidari, addit, miseros hos per universam vitam iniquiore sorte usos esse, facit id eapropter, ut innuat, eo magis etiam mirum videri debere, quod talia permittere Deus possit. Sed verbum מָרַד in V. T. non alia, quam *rebellandi* notione occurrit; atque in formula מֹרְדֵי־אוֹר tam parum quicquam est absoni, ut ea potius poeta tali, qualis noster, minime indigna videatur.

14. לָאוֹר plures vertunt *sub s. ante lucem*, in crepusculo matutino. Sed quum ל nusquam alias pro *ante*, de tempore, usurpetur, et אוֹר oppositum sit τῷ לַיְלָה in altero hemistichio,

Digitized by Google

mallem: *ad lucem*, i. e. primo mane, ut primum ingruit diei lux, יָקוּם רוֹצֵחַ יִקְטֹל־עָנִי וְאֶבְיוֹן *surgit occisor*, s. *homicida*, ut recte Hieronymus, *ut interficiat inopem et pauperem*, qui mane ad opus suum tendebat, sedulitatis causa, quo diligentius opus faceret et acceleraret. Interdiu caedibus grassatur, וּבַלַּיְלָה יְהִי כַּגַּנָּב *noctu autem est tanquam fur*, noctu furis partes et personam assumit.

15. יְשִׁים — וְעֵין נֹאֵף *Et oculus adulteri observat crepusculum*, *dicendo: non conspiciet me oculus*, *et velamen faciei*, i. e. quod occultat faciem ab aliorum adspectu, *ponit*, adhibet. Vel: *ponit*, facit adulter noctem sibi velamen. Similiter adulteri Proverb. 9, 7. describuntur, quomodo tenebras quaerant, ut suam expleant libidinem. סֵתֶר h. l. non *latibulum* significat, sed *velamen*, ut consonum arabicum *tegumentum*, *velum* denotat.

16. חָתַר בַּחשֶׁךְ בָּתִּים Alius *perfodit in tenebris domos*, dum tenebrae favent, parietes perforant, et sic in domos irrumpunt. יוֹמָם חָתָמוּ־לָמוֹ *Interdiu occludunt sibi*, scil. *domos* s. *latebras*, vel: *semet ipsos;* חָתַם enim propr. est *obsignare*, hinc *occludere*, quasi, sigillo imposito, vid. Deut. 32, 34. supra 9, 7. infra 37, 7. Oppositum hoc ei quod proxime praecesserat, magis tamen cum sequentibus cohaeret, q. d. interdiu semet includunt, latitantes, et lucem reformidantes, לֹא־יָדְעוּ אוֹר *nesciunt lucem*, i. e. plane eam refugiunt, pati nequeunt hominum aspectum, hinc interdiu sese abdunt in latebras. Alii verbum חָתַם *designandi* significatu capiunt, atque subaudito אֲשֶׁר ante חָתָמוּ ita vertunt: *quas* scil. domos *interdiu designarant*, notarant sibi; is enim furum mos est, ut domos de die quadam nota, quasi sigillo impresso, insigniant, quas noctu sunt perforaturi. Ut Plautus de sectore zonario in *Trinumo* Act. IV. Scen. 2. Vs. 20. *Loca contemplat*, *circumspectat sese*, *atque aedes noscitat. Credo*, *edepol*, *quo mox furatum veniat speculatur loca.* Eundem sensum et Hieronymus expressit: *perfodit in tenebris domos*, *sicut in die condixerant sibi.* Sed prior ille verborum חָתָמוּ־לוֹ sensus melius cohaeret cum ultimis hujus versiculi verbis. Hium expressit etiam Alexandrinus: ἡμέρας ἐσφράγισαν ἑαυτούς, *interdiu obsignant semet*, sigillo velut imposito semet abscondunt et includunt, ut habet Symmachus: ἐν σφραγίδι κρύπτουσιν ἑαυτούς.

17. כִּי יַחְדָּו בֹּקֶר לָמוֹ צַלְמָוֶת *Nam pariter* s. una omnibus, *mane ipsis caligo mortis*, aurora illis est densissima caligo, numquam velint auroram, aut diem affulgere, ne deprehendantur quoquomodo, velint latere perpetuo. Nox eis grata est, ut aliis mane. Minus accurate Hieronymus: *si subito apparuerit aurora*, *arbitrantur umbram mortis.* כִּי יַכִּיר בַּלָּהוֹת צַלְמָוֶת *Quia agnoscit* quisque eorum (mutato numero ut saepius) *ter-*

Digitized by Google

rores umbrae mortis, sunt ei familiares et noti nocturni terrores, neque eos timet, aut curat, quasi sibi cum illis necessitudo et familiaritas intercederet, et cum illis ne noceant foetus aut partum inierit. Alii distinguunt in כִּי יַכִּיר, et כִּי capiunt pro כַּאֲשֶׁר *quum agnoscit* scil. אִישׁ לְרֵעֵהוּ, vel אֶת־רֵעֵהוּ *unus alterum*, quum se mutuo cognoscunt homines per lucem, q. d. ubi homines affulgente luce se invicem agnoscere possunt, id illis est perinde ac terrores densissimae caliginis, ut לָמוֹ *illis*, repetatur post בַּלְחוּת צַלְמָוֶת, tum enim vehementer metuunt, ne deprehendantur, aut detegatur eorum flagitium, ut si in summa caligine versarentur. Prior interpretatio simplicior et sensum elegantem fundit, quem et Alexandrinus expressit: ὅτι ἐπιγνώσεται ταραχὰς σκιᾶς θανάτου, quae aliis terriculamento esse solent, ipse familiaria habet. Eodem sensu Hieronymus: *et sic in tenebris, quasi in luce ambulant.*

18. קַל הוּא עַל־פְּנֵי־מַיִם *Levis* s. *celer est* (ut קַל 2 Sam. 2, 18. Jes. 5, 26. Joel. 4, 4.) sicut *super aquam*, subaudita comparandi particula, ב, ut supra 22, 16. Nah. 3, 12. Ps. 11, 1. al., i. e. celerrime, ut ea quae supra aquam feruntur, aufugit, ubi furtum, aut aliud facinus admisit. תִּקְקַל חֶלְקָתָם בָּאָרֶץ *Maledicta est eorum pars* s. *portio*, *in terra*, locus videlicet et regio, ubi versantur. In locis incultis, asperis ac desertis degunt, quae ideo sunt maledicta, ut contra terra culta dicitur *benedicta a Deo.* Quaerunt et eligunt sibi sedes in locis vastis et horrendis. לֹא יִפְנֶה דֶּרֶךְ כְּרָמִים *Nec se convertit*, respicit unusquisque eorum *ad viam vinearum.* Vineae in locis cultis sitae sunt, non procul ab urbibus. Isti ergo vineas versus se non convertunt, ibi non agunt, ne facile innotescant et comprehendantur, sed in viis obtortis et confragosis, et ab hominum frequentia remotis. Nonnulli hoc Versu exagitari putant audaciam et avaritiam eorum, qui non contenti opibus, quas fundit tellus, et spreta agricultura, mari se credunt, ut sibi divitias parent, vel ut piraticam exerceant. Alii hunc Versum et omnem reliquam Capitis partem pro *imprecatione* habent, inter hos Schnurrerus, qui in *Dissertatt.* p. 266. ait: „Versu 18. incipit exponere, non quid re ipsa eveniat, sed quid deberi a Deo istiusmodi hominibus existimet. Fas esse, ut flagitiosi illi celeriter abirent, instar rei alicujus levioulae, aquae innatantis, coll. Hos. 10, 7., et diris premeretur ipsorum sors.“ כְּרָמִים Schnurrero non sunt *vineae*, sed *viri boni*, *generosi*, ex vulgatissimo usu consonae vocis arabicae, ut sensus sit: *fas erat*, *ut viam generosorum numquam sit ingressus*, hoc est, ut eam sortem, qua nonnisi bonae indolis viros uti decet, numquam sit expertus. E veteribus Alexandrinum suae sententiae patronum laudare potuisset Schnurrerus. Ita enim ille: ἐλαφρός ἐστιν ἐπὶ πρόσωπον ὕδατος, καταραθείη ἡ μερὶς

Digitized by Google

αὐτῶν ἐπὶ γῆς, ἀναφανείη δὲ τὰ φυτὰ αὐτῶν ἐπὶ τῆς ξηρᾶ. Accuratius Hieronymus verba hebraea expressit: *levis est super faciem aquarum; maledicta sit pars ejus in terra, neque ambulet per viam vinearum.* Toto coelo a Jobi scopo aberrant, qui poenam improborum hic subjungi existimant, ac si diceret: et quae erit eorum merces? Leves erunt, ut res, quae super aquas natant, ut arundo, quae in aquis agitatur, sic illi fluctuabunt, abibunt et diffluent consumpti, cumque agris vineisque suis eradicabuntur. Verum ita Jobus ad sententiam sociorum accederet, quod Deus impios semper gravissime puniat, quum alio ille toto hoc loco spectet, et impune illos abire queratur.

19. צִיָּה גַּם־חֹם יִגְזְלוּ מֵימֵי־שָׁלֶג *Ariditas etiam*, i. e. et *calor rapiunt*, i. e. absorbent quam citissime *aquas nivis*, nivales, ex nive resoluta ortas. In verbis שְׁאוֹל חָטָאוּ mira brevitas, quae obscuritatem parit. Non dubium est, similitudinis notam deesse, et quae desunt explenda hoc modo: כֵּן שְׁאוֹל יִגְזֹל אֶת־אֲשֶׁר חָטָאוּ *sic infernum*, mors, *rapit* cito *eos qui peccant* (cf. Storrii *Observatt.* p. 334. not.). Non hoc vult Jobus, Deum ita punire promeritos, sed contra, eos mori, sicut ceteros, simulque significat, non lenta illos morte contabescere, ut magna ex parte probi, sicut Ps. 73, 14. dicitur, repentina eos morte et facili hinc tolli, non secus, ac subito aestu et siccitate nix resolvitur, et nivales aquae abeunt. Et hoc ad felicitatem eorum ostendendam attinet, quod quum totam vitam in sceleribus transegerint, impune et summo rerum omnium successu, facillime moriantur. Eadem plane sententia supra 21, 13. Mortem enim suavem, sine diutino languore intelligit, non violentam, aut diutinis cruciatibus advenientem, ex quibus judicari possit, eos a Deo puniri. At mors omnibus communis est, nec in poenam illis dici potest immitti.

20. יִשְׁכָּחֵהוּ רֶחֶם *Obliviscitur ejus uterus* maternus, i. e. mater, quae eum in utero gestavit, non tam ob tanta scelera, quae vivens commisit, quam quod repente et facile sit mortuus. Significatur communis mortuorum conditio, qui successu temporis etiam matribus in oblivionem veniunt. *Obliviscetur eos* maternus *uterus*, perinde ac si numquam nati fuissent, aut in lucem editi, ita esse desinent. Eodem, ad mortis descriptionem, spectant, quae sequuntur, מָתַק רִמָּה *dulcis est ei vermis id est*, ita suaviter est mortuus, ut in sepulchro dulcescere ei vermis videatur. מָתַק pro מָתֵק לוֹ dictum, ut supra 15, 21., יְבוֹאֲנוּ et יְלוֹנֵנוּ Cohel. 8, 15. Cf. supra 21, 33. מָתְקוּ־לוֹ רִגְבֵי נַחַל. Quomodo generis enallage erit inter verbum, et sequens nomen רִמָּה (quod est femininum), ceterum non inusitata, vid. e. c. Jes. 14, 11. Mal. 2, 6. Alii pro nomine formae מָשַׁל habent, collatis cognatis nominibus Jud. 9, 11. Prov. 16, 21., ut

Digitized by Google

sit vertendum: *dulcedo* s. *suavitas ejus est vermis.* Alii, adscito *sugendi* significatu, quem Syriacum מְתַק obtinet, interpretantur: *exsugit eum vermis.* עוֹד לֹא יִזָּכֵר *Ultra non memorabitur*, ex hominum memoria deletur. Sed idem et probis mortuis accidit, ut igitur eorum conditio piorum conditione deterior non esse videatur. וְתִשָּׁבֵר כָּעֵץ עַוְלָה *Et confringitur sicut arbor perversitas*, i. e. אִישׁ עַוְלָה *vir perversus*, homo nequam, vid. eandem ellipticam loquutionem Ps. 107, 24., coll. Ps. 43, 1. Arboris instar siccae, quae cito frangitur et evellitur, sic et improbus facile hinc tollitur sine cruciatu. Tantum abest, ut improbi semper scelerum suorum poenas luant, ut potius eos saepissime ut ceteros mortales mori, et impune hinc abire videamus. Schnurrerus, qui, ut supra ad Vs. 18. monuimus, imprecationes esse vult et hoc et sequenti Versu, hunc nostrum sic interpretatur: *debebat propinquis adeo fama ipsius invisa, unicuique ejus delectamentum putredo* (רִמָּה) *esse; debebat memoria ejus deleta, atque sic iniquitas, baculi* (עֵץ, ut Hos. 4, 12.) *instar fracta esse.*

21. רֹעֶה עָקָרָה לֹא תֵלֵד *Conterens* erat, dum viveret, et tamen conterebat *sterilem*, quae *non parit*, afflictam alioqui ex sterilitate magis affligebat, liberisque carentem, qui eam tueri potuissent, vexavit et oppressit. Verbum רָעָה h. l. eodem significatu capiendum, quo רָעַע (cf. not. supra ad 20, 10.), *conquassavit*, *confregit*, i. q. רָצַץ, mutato ץ more Chaldaeorum in ע, Ps. 2, 9. Jerem. 2, 16. Ita h. l. Chaldaeus: דְּמָרַע עָקָרָא דְּלָא תֵילַד *qui confringit sterilem*, *quae non parit.* Alii, retenta usitatiore verbi רָעָה notione, *depastus sterilem*, vertunt. Illud tamen graviorem sententiam inferre videtur. וְאַלְמָנָה לֹא יֵיטִיב *Nec viduae benefecit*, *μεμωσις*, pro exsugit et opprimit; ex viduitate sumit occasionem ejus affligendae, quod marito careret, a quo defenderetur. Formae יֵיטִיב similem vid. Ps. 138, 6., ad quem loc. not. cf. SCHNURRERUS suae de toto hoc loco sententiae (vid. supra ad Vs. 18.) convenienter, ad רָעָה subaudiendum יְהִי, verbum ipsum autem eo sensu sumendum censet, quem habet Proverb. 29, 3., ut haec prodeat sententia: *debebat nutrivisse uxorem sterilem*, *improlem*, *cui viduae factae nemo succurrisset.*

22. וּמָשַׁךְ אַבִּירִים בְּכֹחוֹ *Et traxit*, interim dum viveret, *robustos*, potentes, *robore suo*, i. e. sibi subjecit, simili loquutione usus et Psaltes 10, 9. Velut ad se et in rete suum trahit non imbecillos tantum et pauperes, sed et tandem, ubi hos oppressit, ne potentibus quidem parcit. Incommode aliqui verbum מָשַׁךְ ad Deum referunt, quod in sua potentia tales impios, etsi robustos, sit pertracturus ad supplicium. Sed prior sensus rectior, utpote qui seriei orationis et scopo Jobi, ostendentis, impios stabili frui prosperitate, magis convenit. יָקוּם וְלֹא

Digitized by Google

יָאֲמִין בַּחַיִּין *Surgit*, insurgit talis improbus in illos potentes, quos vult opprimere, *nec credit* quisque horum *potentum vitae*, i. e. diffidunt vitae suae (quo eodem sensu haec phrasis Deut. 28, 66. occurrit), ubi se ab improbis peti vident et oppugnari. Alii utrumque verbum יָקוּם et יַאֲמִין, ad unum improbum referunt, hoc sensu: an quum steterit, et se stabilem putarit, vitae suae diffidet? Alii utrumque ad potentem oppressum referunt: *surgit* scil. מִמַּנִּיו *a conspectu ejus*, eum fugiens, ac vitae suae metuens et diffidens. חַיִּין terminatione Chaldaica (coll. Dan. 7, 12.), ut מְלַיִן supra 12, 11. Sed hebraica terminatione בַּחַיִּים reperitur in duobus de Rossii codicibus. In paucis quibusdam aliis cum suffixo tertiae personae, בְּחַיָּיו *vitae suae*, quod ipsum et Alexandrinus et Hieronymus exhibent. Schnurrerus hoc et proximis, qui sequuntur, Versibus omnia prorsus evenire contraria illis, quae deberi a Deo istiusmodi hominibus antea dixerat, a Jobo contendi existimat: impios stabilem habere prosperitatem, atque adeo longaevos placida tandem morte exstingui. אֲבִירִים Schnurrero subjectum esse videtur, non obstante diversitate numeri, quum nomen subjecti plurale interdum sibi praedicatum jungat singulare, quod illi addit vim distributivam, et hoc ipso loco procedente oratione praedicata in pluralem numerum transeant. Itaque hunc Versum sic interpretatur: *potentiorum illorum quisque firmiter tenet* (verbo מָשַׁךְ tributa consoni arabici notione, *prehendit, tenuit*) *robur suum; resurgit etiam tum, cum ipse vitae suae diffisus esset.*

23. יִתֶּן־לוֹ *Det illi* scil. Deus, cujus nomen saepius in hoc libro reticetur, cum ex sensu manifestum est, quando ad eum aliquid referri debeat, aut de eo sit sermo, veluti supra 3, 20. infra 36, 31. לָבֶטַח *Ad confidentiam*, i. e. quaecunque ad vitam tranquille et secure agendam pertinent, וְיִשָּׁעֵן *et innitatur*, s. ut innitatur potentiae suae, quasi numquam sit nutaturus. Quia omnia sibi videt succedere, inde sit confidentior ad male agendum. וְעֵינֵיהוּ עַל־דַּרְכֵיהֶם *Et oculi ejus*, Dei, *sunt super vias eorum* (mutat numerum), i. e. videtur assidue Deus oculos intentos habere in eorum res et conatus, ut eos prosperet, eosque secundet. Formula, *oculi alicujus sunt super aliquo*, est anceps in malum et bonum prona, pro scopo et serie. In *malum* Jer. 16, 17. usurpatur, in *bonum* Zach. 12, 4. Jer. 39, 12., itemque cum אֶל 1 Reg. 8, 29. 52. Eodemque modo et hic illa capienda, ut sit eadem sententia, quae supra 10, 3. עַל־עֲצַת רְשָׁעִים הוֹפָעְתָּ *impiorum consilium illustras*. Alii, ut sit velut conclusio hujus loci per querelam, post enumerata eorum facinora, ut supra Vs. 12. post alia enumerata dixerat: *nec Deus illis* quicquam *pravi imputat*, sic nunc: haec faciunt, et ita eos Deus secundat, ut suae felicitati nitantur, quasi

Digitized by Google

numquam convellendi, *et tamen oculi Dei sunt super vias eorum*, videt omnia eorum facta, et tamen illos non punit, nec liberat oppressos de manu illorum. Ita Schnurrerus: *concedit illis Deus securitatem, quamvis eorum ratio ipsi sit bene perspecta.*

24. רוֹמּוּ *Tolluntur in altum*, in summum rerum fastigium evehuntur, dum vivunt. In quibusdam codicibus legitur cum Daleth דּוֹמּוּ *silent, quiescunt*, sensu minus idoneo. Idem tamen suo in codice videtur Chaldaeus legisse, qui אִתְרִיכוּ *exspectant* vertit. Et 1 Sam. 14, 9. דמּוּ *exspectare* significat. מְעַט וְאֵינֶנּוּ *Pauxillum, et non est* unusquisque illorum improborum, eo sensu, quo supra 21, 13. dixit, *momento*, sine cruciatu, non lenta morte, *in orcum descendunt*, ad εὐθανασίαν improborum describendam. וְנִמָּכוּ *Et consumuntur*, Hophal (pro הוּמָכוּ excidente Dagesch, ut in Niphal וַיִּיחָמוּ *et absoluti sunt*, pro יֻחַמּוּ Deut. 34, 8.) verbi מָכַךְ *consumsit, perdidit.* כְּכֹל *Sicut omnes* ceteri homines, ut Jud. 16, 17. כְּכָל־הָאָדָם. Alii cum Hieronymo: *sicut omnia*, scil. quae fragilia, caduca et mortalia sunt. יִקָּפְצוּן aliqui reddunt *occluduntur* scil. sepulchro. Alii post A. Schultensium ex significatione verbi arabici קפז proprie *salivit* (qua significatione hebraeum קָפַץ et Cant. 2, 8. et chaldaicum in Onkelosi versione Lev. 11, 21. occurrit), tum *mortuus fuit*, quod praesertim de morte repentina usitatum, *repente hinc tolluntur* vertunt. Hieronymus: *et auferentur.* Chaldaeus: *sicut omnia, quae succiduntur.* In paucis quibusdam codicibus pro יקפצון transpositis literis scriptum est יקצפון *effervescunt.* Quod et Alexandrinus videtur expressisse suo ἐν καύματι, et Syrus, qui *iracundi, furentes* vertit. וּכְרֹאשׁ שִׁבֳּלֶת יִמָּלוּ *Et sicut summitas spicae abscinduntur* facile et repente. Significat, hos non minus quam reliquos homines, ubi eorum tempus advenit, decuti, non secus ac capita aristarum, cum ad maturitatem pervenerunt, sed id eis esse cum ceteris hominibus commune. Schnurrerus: *Ad summum evecti, subita morte tolluntur, intereunt, ut reliqui homines omnes, et spicae instar arescunt.* יִמָּלוּ ducendum putat a verbo מָלַל, quod arabice significat *assare, torrere*, torrefieri autem de arista dictum idem esse ac maturescere. Nobis tamen sensus concinnior prodire videtur, si ad נָמַל (Gen. 17, 11.) referatur, ut de spicis intelligatur, quae decerpuntur, et exciduntur, seu resecantur.

25. וְאִם־לֹא אֵפוֹ *Quod si non nunc* scil. כֵּן הוּא *ita est*, ut dico, quod improbi ita tota vita floreant nec poenas dent, licet multos opprimant, et immania scelera patrent, at boni affligantur et opprimantur ab illis. Particula אֵפוֹ expletiva, hic conclusioni sermonis inservit, cf. supra 9, 24. מִי יַכְזִיבֵנִי *Quis mendacem me faciet?* quis erroris aut falsi me arguet seu convincet? וְיָשֵׂם לְאַל מִלָּתִי *Et ponet*, efficiet, *in nihilum sermo-*

Digitized by Google

nem meum, i. e. refellet, refutabit, et nihili esse ostendet, quae dico? Surgat, si quis vestrum est, qui me mendacii possit convincere; at nemo haec confutare ac falsa ostendere poterit, quum sensus et experientia haec satis superque vera esse comprobet. לְאַל i. q. לְלֹא (nam אַל interdum tantum negat) *in nihilum*, ut infra 39, 16., quemadmodum לֹא ut substantivum et supra 6, 21. usurpatum vidimus. Pro לְאַל reperitur לָאֵל *ad Deum*, in duobus de Rossii codd., et quibusdam libris editis ab eodem indicatis. Idem expresserunt Syrus: *et expendatur coram Deo sermo meus*, Symmachus, et Hieronymus, qui hunc Versum sic vertit: *quod si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum; et ponere ante Deum verba mea?* i. e. me apud illum accusare, quasi loquutus videar contra Deum, aut minus recte de eo sentiam. לָאֵל praeferunt quoque Michaelis ac Doederlein. Sed recte monuit de Rossi in Varr. Lectt. ad h. l.: „Melior videtur communis lectio, quam sequuntur LXX et Chaldaeus, quaeque respondet praecedenti יַכְזִיבַנִי *quis mendacem ostendet me, ponetque in nihilum sermonem meum, faciet, ut non sit*, s. *subsistat sermo meus?*“

Digitized by Google

BILDADUS.

Cap. 25.

Bildadus quum non haberet, quod responderet ad id, quod Jobus de felicitate improborum et proborum afflictionibus objecerat, in eo non insistit, imo ne attingit quidem; sed id tantum oppugnat, et in eo immoratur, quod Jobus se innocentem dicens optarat et postularat cum Deo contendere, ac coram illo causam suam agere, ac jus defendere. Ostendit, ut et ante alii socii, prae Deo, cujus summa sit potentia, non esse, quod se homo justum dicat aut purum, quum ne sublimia quidem et coelestia corpora coram eo pura sint aut lucida. Eodem argumento et supra 4, 18. 15, 15. Eliphasus usus fuerat. Nihil igitur novi adducit Bildadus, sed tantum iterat, quae ab illis, imo et a se ipso prius dicta fuerant. Sed haec nihil ad ea, quae Jobus de prosperitate impiorum, et proborum calamitatibus dixerat.

Cap. 25, 2. מֶמְשָׁל *Dominari*, i. e. dominium, Infinitivus Hiphil, qui h. l. intransitive pro nomine usurpatur, ut הַרְבֵּה *multitudo*, 2 Sam. 1, 4., et הַשְׁקֵט *quies*, *tranquillitas*, Jes. 32, 17. accipere. וְפַחַד *Et pavor*, active, majestas, quam omnes revereri et metuere debemus, ut infra 31, 25. עִמּוֹ *Cum eo*, apud eum, de quo supra Jobus satis loquutus est, et ex proposito satis apertum est, quando in hoc libro de Deo sermo fiat, et mox eum nominabit. Est apud eum summa et absoluta potestas, majestas et imperium in omnia. Item par est, omnia eum formidare ob tantam potentiam et majestatem. Quomodo ergo audes eum provocare in certamen? id quod Jobus supra 23, 4. ausus fuerat. Qua quaeso fronte eum aggredieris? עֹשֶׂה שָׁלוֹם בִּמְרוֹמָיו *Faciens pacem in sublimibus suis*, in coelis suis pacem et concordiam summam conciliat, sua majestate et terrore pacate regit coelestia, omnes ei angeli et coelestes orbes ac corpora, etsi magnus eorum sit numerus et contrariis saepe motibus ferantur, ei tamen summa parent concordia, ut nihil prorsus illic sit, quod non uno animo ei se subjiciat. Quomodo ergo non tremendus sit? Qui ausit homo optare cum eo disceptare?

3. הֲיֵשׁ מִסְפָּר לִגְדוּדָיו *Num est numerus turmis*, turmarum *ejus?* Innumerae sunt ejus copiae, quas paratas habet, si quis eum oppugnare, aut cum eo contendere velit, ut nemo sit, qui ei resistere

Digitized by Google

possit. Quid tu ages, homuncio? וְעַל־מִי לֹא־יָקוּם אוֹרֵהוּ *Et super quem non surgit lux ejus?* Nihil ei est ignotum, in omnia penetrat ejus lumen. Amplificatur Dei potestas et sapientia ex efficacitate agendi, et pertingendi ad omnes res creatas, omnia inferiora despiciendo, et suae cognitionis lumine clarissimo cuncta perlustrando. אוֹרֵהוּ pro אוֹרוֹ, ut supra 24, 23. עֵינֵיהוּ pro עֵינָיו; item לְמִינוֹ et לְמִינֵהוּ Gen. 1, 11. 12. 21. Sed PAREAU in *Commentat. de immortalitatis notitiis* p. 190. not. אוֹרֵהוּ interpretatur *punitor ejus* sc. Dei. Habet אוֹרֶה pro Participio verbi אָרָה, consoni arabici verbi significatu, *ira* vel *indignatione aestuavit*, capiendi: *Dei punitorem* vero *angelum* illum, vel ministrum dici existimat, quo utatur Deus, ut inter coelites omnes aeque ac inter terrae incolas vindictam, ubi opus sit, exerceat.

4. Cf. supra 4, 17. 18. 14, 4. 15, 15.

5. Verbum יַאֲהִיל aliqui ad nomen אֹהֶל *tentorium* referunt (coll. וַיֶּאֱהַל *tentorium fixit*, Gen. 13, 12.), hac sententia: *usque ad lunam tentorium non figit*, i. e. tanta est Dei sanctitas, ut nec coelum sidereum, nec quae sub illo, digna mundaque satis sint, ut sint habitaculum ei, inter quae tentorium suum figat. Verum posteriori hemistichio, וְכוֹכָבִים לֹא־זַכּוּ בְעֵינָיו *nec stellae mundae sunt in oculis ejus*, sensus multo congruentior prodibit, si יָהֵל *splendebit*, a verbo הָלַל, legas, quod hodie quidem in uno tantum Kennicotti codice reperitur, sed olim in pluribus codd. exstitisse, inde patet, quod illud ipsum יָהֵל a veteribus omnibus, quamvis varie, est expressum. Si vulgatum יַאֲהִיל quis *splendet* vertere velit, is verbo אָהַל significationem τοῦ הָלַל tribuat necesse est, sicut אָכַף et כָּפַף communem *curvandi* notionem habent. Ut vicissim Jes. 13, 20. יַהֵל pro יַאֲהִיל *tentorium figet*, reperitur. Nam quod quidam יַהֲלִיל mutatum dicunt in יַהֲאִיל, unde per metathesin יַאֲהִיל ortum sit, aut יַהֵל per Aleph epentheticum extractum esse in יַאֲהִיל, merito ut Grammaticorum commentum explosum a SCHULTENSIO in *Institt. ad Fundamm. L. H.* p. 491., et a MICHAELE in *Suppll.* p. 335., qui quidem horum verborum sensum hunc facit: *usque ad lunam lux est*, i. e. omnia sublunaria tenebrosa, nebulosa, impura. Alii: si a superioribus orbibus descendatur deorsum versus, ad lunam usque; omnia tenebrosa et opaca prae Deo reperientur, quasi ideo non *solis* meminerit, quod inter superiora corpora *ad lunam usque*, omnium siderum postremum et infimum, connumeretur. Ego mallem cum Hieronymo: *ecce! luna etiam non splendet.* עַד sequente antecedente *negandi* particula *ne quidem* est vertendum, ut 2 Sam. 17, 22. עַד־אַחַד לֹא־נֶעְדָּר *ne unus quidem desideratus fuit, qui non transiit Jordanem.* Ex. 14, 20. לֹא־נִשְׁאַר בָּהֶם עַד־אֶחָד *Non relictus fuit ex eis ne unus quidem.* Vid. et Deut. 2, 5, Jud. 4, 16. Vav ante לֹא apodosi inservit, nam proprie sic est vertendum: *en! ad lunam usque*, s. *vel lunam* ipsam quod attinet, *nec is splendet.* Sed in multis codd. illud Vav abest.

Digitized by Google

JOBUS.

CAP. 26.

Jobus non tam respondet ad Bildadi dicta, quam eum ridet potius, quod ea attulerit, quae parum ad rem faciant, imo ab instituto aliena. Nihil enim ille de felicitate impiorum, aut afflictionibus piorum dixerat, quod illis Jobus objecerat; tantum de Dei potentia et sanctitate dixerat. Sed Jobus aeque ac illum Numinis potentiam et sapientiam nosse inquit, ac multo etiam ampliora et augustiora de ea dicere posse, ut et mox toto capite longe magnificentius de ea disserit, ab imis mundi rebus orsus, et ad suprema usque progrediens.

CAP. 26, 2. מָה־עָזַרְתָּ לְלֹא־כֹחַ *Quam adjuvisti* eum *cui non robur est!* invalidum. Ambigunt interpretes, num hoc ad duos Oratores priores, quibus Bildadus auxiliatum venerat, an ad ipsum Jobum, aut ad Deum, cujus causae hic ultimus, non minus reliquis, se assertorem et patronum profitebatur, sit referendum. Ex triplici facie secundam, cum majori interpretum parte, praetulerim, ut falsa cum ironia Bildadum rideat, nihil in medium afferentem, quod ad rem faciat, quod prius intactum, aut sibi aeque, aut multo melius perspectum non sit, uti reliquo capite abunde docet. Ante alterum hemistichium, הוֹשַׁעְתָּ זְרוֹעַ לֹא־עֹז, est מָה repetendum: quam *servasti*, sustentasti, *brachium* cui *non* est *potentia*, brachium invalidum, i. e. me, omnibus exhaustum ac destitutum viribus.

3. Posteriori hemistichio iterum praemittendum מָה *quam* egregie! תּוּשִׁיָּה *Prudentiam*, rationem, vid. not. ad 5, 12. 6, 13. לָרֹב *Secundum multitudinem*, i. e. copiose, s. multiplicem. Hieronymus: *plurimum*. Cf. Gen. 30, 30. 48, 16. Zachar. 14, 14. Neh. 9, 25. הוֹדַעְתָּ *Notam fecisti*, ostendisti. Multum scilicet acuminis ostendisti!

4. אֶת־מִי הִגַּדְתָּ מִלִּין *Apud quem*, i. e. cui *indicasti* (verbum הִגִּיד h. l. cum Accusativo personae construitur, ut infra 31, 37. Ex. 43, 10.) *sermones?* i. e. haec exposuisti, verba fecisti?

Digitized by Google

Hieronymus: *quem docere voluisti?* Eum, qui te melius haec novit, et qui de Dei potentia plus dicere possit, quam tu. An me putes tam rudem esse, ut isthaec ignorem? Convertit risum in manifestam indignationem. וְנִשְׁמַת־מִי יָצְאָה מִמֶּךָּ *Et halitus cujus*, cujusnam spiritus *ex te exiit?* certe non Dei spiritus, quum tam pervulgata et supervacua edisseras.

5. A Bildado adumbratam divinae excellentiae ὑποτύπωσιν jam peritiori penicillo Jobus persequitur, vividioribusque coloribus illuminat. Dicit, eam Dei majestatem esse, quae non coelos tantum et sidera impleat, sed quae mundi universitatem, a summo ad imum complectatur, et prorsus nihil sit, quod ejus oculos fugiat, potestati non subsit, vimque omnipotentem, et per abditissima penetrabilem, non persentiscat. Hinc poetico sermone usus, ait profundissima Oceani, quaeque ejus inaccessos gurgites incolunt, atque Orcum et Tartara (quae vulgaris opinio in ipso telluris meditullio, infra Oceanum collocat), manium et animarum sedem oculo Numinis pervestigari, et ad ejus praesentiam contremiscere. רְפָאִים יְחוֹלָלוּ *Manes ipsi tremunt*, מִתַּחַת מַיִם וְשׁׂכְנֵיהֶם *inferius aquae* sub terra pariter tremunt *et incolae earum.* Sic Jovem suum depingunt Poetae, qui coelum, terras, maria, solo nutu aut nictu concutiat; ad cujus vocis sonum Manes imi, et pallida Ditis regna contremiscant. Haud secus Ps. 135, 6. Jova dicitur *fucere quae vult, in coelo, terra, et omnibus abyssis.* Simplicius quoque, Orcinis missis, inferorumque umbris et manibus, abditas omnes creaturas, terrae marisve sinu inclusas, intelligere liceret. Cf. Apoc. 20, 13, ubi conjunguntur *mare* et *orcus.* De Orci aut Inferorum situ, ex veterum pervagata opinione, versus orbis terraeque centrum, atque infra Oceanum constituto, vid. quae J. H. Vossius observavit ad locum illum Virgilii *Georg.* I, 241. sqq. de australi hemisphaerio Oceani aquis immerso:

— — — — — — — — *at illum*
Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.

Ceterum רְפָאִים esse *mortuos*, Orci incolas, *Manes*, nos dubitare non sinunt loca Ps. 88, 11. (ad quem loc. not. vid.) Prov. 2, 18. 9, 18. Jes. 14, 9. et cf. ad eum loc. not. Verbi חוּל forma Piel alias quidem fere *formandi*, et *pariendi* significatum obtinet, hoc tamen loco vix alia quam *intremiscendi* significatione accipi potest, qua in Cal et Hiphil saepius occurrit, vid. Jes. 23, 5. Jer. 51, 29. Hab. 3, 10. Ps. 96, 9., unde nomen חִיל *terror*, Exod. 15, 14. מִתַּחַת h. l. adverbialiter ponitur, ut supra 18, 16. Jos. 2, 11. Jes. 14, 9.

6. Intima etiam terrae ita ejus conspectui patent, ac si nuda essent, et sine ullo operimento; eo etiam Dei intelligentia ac potentia pertingit. אֲבַדּוֹן, propr. *perditio*, et Prov. 15, 11. cum שְׁאוֹל, ut ἰσοδύναμον, jungitur, et ex ceteris quoque, quibus legitur, locis, infra 28, 22. 31, 12. Ps. 88, 12., manifestum est,

Digitized by Google

intima terrae loca, manium sedes, illo nomine designari, quamvis denominationis ratio sit incerta. Hebraei *terrae centrum* eo nomine appellari existimant, quod ibi res quae sunt, sint nobis velut perditae, utpote procul a nostro conspectu. Alii, quod quae in eum descendunt, pereunt.

7. נֹטֶה צָפוֹן עַל־תֹּהוּ *Extendens aquilonem super inane*, q. d. Deus extendit admirando opere coelum ita, ut nobis aquilo, i. e. polus arcticus adsurgat sursum, nec tamen fulcrum habeat, ut cortinae expansae illo opus habent, ne decidant. *Aquilonis* (צָפוֹן) nomine significatur totum hemisphaerium nostrum, quod aquilonare est et superius, ubi nobis polus elevatur, alter enim polus nobis sub horizonte nostro deprimitur. *Extendendi* verbum, נָטָה, de coelo, tentorii instar distento protritum, Ps. 104, 2. Jes. 40, 22. 42, 5. 44, 24. 51, 13. Zach. 12, 1., unde coelum Gen. 1, 6. רָקִיעַ dicitur, i. e. *expansum deductum*. תֹּלֶה אֶרֶץ עַל־בְּלִימָה *Suspendit terram super nihilum*, non ex nihilo significat haec creata, coelum et terram, ut quidam volunt, sed haec velut super vacuum et nihilum niti, hemisphaerium, quod a nobis conspicitur, velut super inane extensum esse, terram autem appensam super nihilum, quia ponderibus, ut Cicero ait (*Tuscul.* 5, 24.), librata suis, veluti nihilo nititur, quasi se ipsa fulciat, quum in centro mundi posita coelum undique circumfusum habens et aerem, in medio mundi sine ullo fulcro pendeat. בְּלִימָה nomen ex בְּלִי *defectum, abolitionem* significante, et מָה, conflatum, q. d. *nihil quicquam*, ut בְּלִיַּעַל, e בְּלִי et יַעַל (cf. not. ad Ps. 18, 5.) compositum. Similiter Ovidius (*Fast.* 6, 269.) dixit: *Terra pilae similis, nullo fulcimine nixa.*

8. צֹרֵר־מַיִם בְּעָבְיוֹ *Constringens aquas in nubibus suis*, velut in vasis quibusdam, aut in utres colligat; et notanter *nubes Dei* appellat, quod ejus opus, non cujusquam hominum sint, qui vapores e terra aut mari sublatos in nubes conflet, ubi aquae velut colligatae videntur, quod illic contineantur, quamdiu Deo visum fuerit, donec ejus mandato eas in terram effundant in usum hominum et plantarum. וְלֹא־נִבְקַע עָנָן תַּחְתָּם *Nec finditur nubes sub illis.* Nubes in aëre pendentes, quum ex aquis conflatae sint, quae suapte natura descendunt, nec uno loco permanent, non tamen finduntur, nec totae erumpunt, sed singulari Dei providentia tamdiu aquas continent, dum eo ventis perlatae sint, ubi suas aquas demittant; ac ne tum quidem totae erumpunt simul, sed guttatim aquarum stillas fundunt, quantum his inferioribus rigandis necessarium esse Deus statuit.

9. מְאַחֵז aliqui *claudens* vertunt, adscita verbi harmonici arabici et syriaci significatione, *claudere fores*, qua ipsa verbum אָחַז Neh. 7, 3. legitur. Sic verba מְאַחֵז פְּנֵי־כִסֵּה ita vertenda erunt: *claudens*, occludens, operiens *faciem solii*, i. e. solium suum Deus nubibus abscondit, oculisque mortalium eripit. Sed

Digitized by Google

potest retenta usitata verbi אָחַז notione nostrum מְאֹחֲזוֹ *prehendere, tenere faciens* explicari, i. e. faciens, ut omnia firmiter et solide cohaereant et contignentur. Sic verbum erit architectonicum, significans, quod *lapis lapidem tenet*, aut, *trabs muro inseritur*. Ita Cal 1 Reg. 6, 10. וַיֶּאֱחֹז אֶת־הַבַּיִת בַּעֲצֵי אֲרָזִים *contignavit aedem tabulatis cedrinis*, proprie, apprehendit et connexuit trabes inter se, aut parietibus utrinque adjunxit. Et Hophal 2 Chr. 9, 18. *Sex gradus solii, et scabellum auro tectum*, לַכִּסֵּא מְאֻחָזִים *throno coagmentata*. Sic et hic: *continere facit*, contignat et coagmentat *faciem throni* sui, i. e. coeli superficiem, ut in eo postea nubes consternantur, ut in altero hemistichio sequitur. Quum enim aër, praesertim ille superior, fit liquidissimum corpus, vix in eo viderentur posse nubes et vapores densiores consistere, ideo veluti coagmentatur et consolidatur a Deo, ut nubes continere possit. פְּנֵי־כִסֵּהּ *Facies solii*, designat fornicem coeli nobis obversam, aërem supernum, ultra quem Dei solium positum. Ad rem cf. Ps. 104, 3. כִּסֵּהּ idem quod כִּסֵּא ultima Aleph, ut 1 Reg. 10, 19., quomodo et in multis codd. a Kennicotto et de Rossio indicatis h. l. scriptum reperitur. פָּרַשׂ עָלָיו עֲנָנוֹ *Expandit super eum*, thronum sūum, *nubem suum*, s. collective, *nubes suas*, tanquam aulaea. Verbum quadriliterum פָּרְשַׂז cum Pathach sub prima radicali loco Chirek scribitur, juxta Syrorum morem. Ejusdem cum פָּרַשׂ infra 36, 29. 30. notionis esse, docet orationis series, etsi additi ad finem ז ratio certa vix reddi queat.

10. חֹק *Statutum*, h. l. fines praescriptos significat, ut infra 38, 10. Prov. 8, 27. 29. חָג *Velut circino definivit, circumscripsit*, aut in toto circuitu *circumduxit*, verbum hoc solo loco occurrens, cujus significatio tamen certa est ex nominibus cognatis supra 22, 14. Jes. 40, 22. Prov. 8, 27. et synonymo Jes. 44, 13. עַד־תַּכְלִית אוֹר עִם־חֹשֶׁךְ *Ad finem*, i. e. confinia *usque lucis cum tenebris*, i. e. ad extremum veluti locum, ubi lux et tenebrae se tangere videntur. Nimirum Horizon, quem dicimus, pro lucis ac tenebrarum termino haberi poterat a vulgo, cum interdiu supra cum lucem ubique apparere viderent, infra vero nil nisi meras esse tenebras fingerent. Hunc autem terminum Deus pingitur duxisse super aquas, maris videlicet, quo terram undique cinctam fingebat popularis opinio. Intelligitur ergo magnum illud et immensae altitudinis spatium, quod supra terram circinatum videtur, et cujus extrema in parte ubique coelum cum terra conjunctum apparet.

11. עַמּוּדֵי שָׁמַיִם יְרוֹפָפוּ *Columnae coelorum contremiscunt*, tonitrubus concussae. יְרוֹפָפוּ non ad radicem רוּף est referendum, sed ad רָפַף, quod arabice *palpitavit*, et רפרף *motitavit alas* denotat. Chaldaeis quoque רפרף est *motitavit, intremuit*, sicque a Chaldaeo Job. 9, 6. pro יְתַפַּלְצוּן ponitur. וְיִתְמַהּוּ מִגַּעֲרָתוֹ *Et attoniti sunt*, pavore corripiuntur, *ab increpatione ejus*. Verbum תָּמַהּ *obstupuit, attonitus fuit*, h. l. transfertur ad designandam

Digitized by Google

columnarum coeli *commotionem*, quia qui pavore attoniti reddun-tur, toti cohorrescunt et commoventur. Sunt, qui montes et solidiores terrae partes h. l. *columnas coeli* dici existiment, quod velut illis innitatur, et terra velut orbis totius fundamentum ac firmamentum sit. Sed coelo ipsi tribuuntur a nostro columnae, similitudine desumta a vastis aedificiis, quorum moles columnis sustentari et fulciri necesse est. Sistitur coelum ut templum aliquod, aut augustum palatium, cujus ipsi postes et columnae ad vocem imperiosam tanti Numinis contremiscunt et vacillant, ut orbis videatur subruendus ac suo e loco movendus. Recte Schultens: „Inter fulmina et tonitrua sublime tectum mundi, super capita nostra suspensum, quantum est, intremiscit.“ Cf. similem locum Nahum. 1, 5.

12. Verbo רָגַע sunt qui tribuant *quiescendi* significatum, quem utique formam Hiphil habere, non potest dubium esse loca Deut. 28, 65. Jes. 34, 14. Jer. 31, 2. 47, 6. 50, 35. inspicienti, et nomina ab Hiphil deducta מַרְגּוֹעַ Jer. 6, 16., et מַרְגֵּעָה Jes. 28, 12. *quietem* designant. Hinc nostra verba sic reddunt: *robore suo quiescit mare*, procellis commotum sedatur. Ita Alexandrinus: *ἰσχύϊ μὲν κατέπαυσεν τὴν θάλασσαν*. At formam Cal verbi illius obtinere contrariam *commovendi* notionem, manifestum est ex Jes. 51, 15. Jer. 31, 35., quo utroque loco legitur: רֹגַע הַיָּם וַיֶּהֱמוּ גַּלָּיו *commovet mare*, *et strepunt fluctus ejus*. Ubi *sedandi* notioni plane non est locus. Conferendum est arab. رَعَبَ (literis postremis transpositis) *commovit*, *inquietavit*. Contrarium in altero hemistichio sequitur: et rursum בִּתְבוּנָתוֹ מָחַץ רָהַב *intelligentia sua percutit*, i. e. domat, compescit *ferociam* s. *superbiam*, elationem maris, aquas, quae intumuerant, et fluctus sedat; velut ferociam deprimit. Divina potentia et providentia, qua in procellis sedandis, fluctibus componendis, pelagique ferocia coërcenda et castiganda sese exserit, saepius praedicatur, veluti Ps. 65, 8. 77, 17. 18. 93, 3. 4. 104, 7. 107, 23. 29. Jer. 5, 22.

13. בְּרוּחוֹ שָׁמַיִם שִׁפְרָה *Per spiritum suum coelos ornavit*, miro et vario ornatu stellarum et siderum. שִׁפְרָה plures habent pro tertia masculina Praeteriti Piel cum *He paragogico*, deficiente Dagesch formae Piel characteristico in litera Schvate instructa, ut in שִׁלְּחָה Ezech. 17, 7. 31, 4. Sed quum שִׁפְרָה Exod. 1, 15. nomen sit proprium (formae שִׁפְחָה) a שָׁפַר chaldaice *decorus*, *elegans fuit*, et שִׁפְרָא *pulchritudo*, *decor*; malim h. l. pro nomine capere, ut ita sit reddendum: *per spiritum suum coeli* sunt *pulchritudo*, i. e. summa conditi pulchritudine et elegantia. חוֹלָלָה יָדוֹ נָחָשׁ בָּרִחַ *Formavit manus ejus serpentem fugacem* s. *mobilem*. Alii vertunt *serpentem vectis* s. *vectuosum*, quasi vectis more, ab uno extremo januae ad alterum permeantis, sic spatiosum et sinuosum. Cui interpretationi tamen minus convenit, quod Jes. 27, 1. נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן statim נָחָשׁ בָּרִחַ *serpens tortuosus*,

Digitized by Google

sinuosus, dicitur. *Coeli* ejusque ornatus mentio in hemistichio priori non sinit nos dubitare, significari h. l. *draconem coelestem*, s. sidus draconis, quod est inter duas ursas, et multas spiras habens serpentis in morem, ejus figuram plane in coelo referens, non procul a polo Arctico, septenis, ut volunt, orbibus sese intorquens, ac ursam minorem circumiens, cauda tandem sua, tanquam vecte, eam a majori ursa separans. Sic de hoc sidere VIRGILIUS *Georgic.* 1, 244.: *Maximus hic* (ad polum arcticum) *plexu sinuoso elabitur anguis Circum, perque duas in morem fluminis Arctos.* Arabibus quoque hic ἀστερισμὸς חַיָּה *serpens* dicitur, et תַּנִּין *draco*. Cf. IDELER *über den Ursprung und die Bedeut. der Sternnamen* p. 33. Est hoc sane maximum et maxime conspicuum in coelo sidus (Virgilio *Georg.* 1, 205. *lucidus anguis* dictum), dignum propterea, cujus prae ceteris mentionem faceret poeta, postquam in universum dixisset, divinam sapientiam et coelos siderum ornatu decorasse. Cf. quae ex Arati Phaenomenis Cicero affert *de natura Deorum* L. II. Cap. 42. Neque quo minus coelestem draconem sive serpentem h. l. intelligamus impedit, quod *fugax* appellatur. Est enim epitheton ornans a serpentibus terrestribus desumtum, qui, sive tranent aquam, sive humi reptent, variis sinubus se movent, oculisque spectantium se subducunt.

14. אֵלֶּה *Ista*, quae hactenus dixi, ut supra 18, 21. קְצוֹת sunt *extremitates*, extremae partes, orae, lineae, ut infra 28, 24. Ex. 25, 18. Jes. 40, 28. דַּרְכָיו *Viarum*, i. e. actionum, operum, *ejus*, ut infra 40, 19. Prov. 8, 22. Delibavi tantum, inquit, exiguam partem operum admirabilium Dei, ne me omnia putetis enarrasse, vix, imo ne vix quidem extremam partem attigi. וּמַה h. l. non est exaggerantis, sed extenuantis, ut Ps. 56, 5. 89, 48. *quantillus*. De שֶׁמֶץ vid. not. supra ad 4, 12. Haud male Symmachus: τί δὲ ψιθύρισμα τῶν λόγων αὐτοῦ ἀκούσομεν. *Quam tenuis est susurrus verbi, quod de eo* (בוֹ) *audivimus*, s. נִשְׁמַע in Niphal accepto, *auditum est nobis*. Quam sane paucula de Dei operibus intelligimus? Crassores sumus et stupidiores, quam ut vel millesimam partem ejus mirabilium actionum comprehendere possimus. וְרַעַם גְּבוּרֹתָיו מִי יִתְבּוֹנָן *Et tonitru potentiarum ejus quis intelligat?* i. e. perpendat et animo consideret pro dignitate et merito? רַעַם *tonitru* oppositum שֶׁמֶץ דָּבָר τῷ *susurro*, q. d. quae nobis innotuere de Deo ejusque immensis virtutibus sunt velut susurrus in comparatione ad tonitru.

Digitized by Google

JOBUS.

Cap. 27. 28.

Desierunt loqui tres socii. Nam tertius, Zophar, cujus ordo erat, ut nunc post Bildadum loqueretur, prorsus tacet; tacent et reliqui duo, nihil habentes ultra, quod adversus Jobum afferre possint, a quo videbant ita pertinaciter suam defendi innocentiam, in qua impugnanda illi praecipue toti erant. Tacentibus igitur illis, quum exspectasset aliquantum Jobus, num denuo sermonem instituere vellent, liberius jam et amplius loquitur quinque quae sequuntur Capitibus, idque duabus orationibus, una, quae hoc Capite et proximo continetur, altera tribus a 29. ad 31. Suam innocentiam, jus suum acerrime defendit, afferens se numquam eorum sententiae accessurum, a quibus tam inhumaniter damnaretur ut impius et sceleratus. His duobus Capitibus praefatus primum cum jurejurando solenni se eorum sententiae, quamdiu vitam egerit, non subscripturum, sed in sua innocentia perstaturum affirmat (27, 2—7.). Quae autem cunque antea de impiorum lauta conditione et impunitate passim dixisset, tantum tamen se abesse, ut propterea istis invideat, aut minus caram pietatem et virtutem habeat, ut potius maxime infelicem illorum sortem esse sibi sit persuasum, quippe qui destituantur spe et fiducia in Deo, ad quem, si alii eum deficiant, confugere possit pius, cujus summa est voluptas recte factorum conscientia, qua sustentatus laeto atque tranquillo animo mortem exspectat (Vs. 8. 9. 10.); quum contra impius, utcunque floreat, et, dum vivat, summa in laude versetur, hac tamen semper cogitatione discrucietur necesse sit, fore, ut aliquando, ac, si non ipso vivente, certe tamen suam post mortem, Deus, justissimus scelerum vindex, domus suae rerumque suarum omnium ignominiosa ruina sit declaraturus, qualis fuerit ille, qui, dum vitam ageret, apud homines tanto in honore et pretio habitus esset (Vs. 12—23.). Dehinc toto Capite 28. unici et summi boni, i. e. verae sapientiae, laudes exsequitur, docens primum, talem ejus esse praestantiam, ut pretiosissimis rebus, quas hominum industria omni ope exquirere, ac improbo labore ex imis terrae visceribus eruere nititur, ante-

Digitized by Google

cellat (Vs. 1—6.). Addens secundo loco, non minus absconditam esse, et investigatu difficilem, quam optabilis per se est, et supra omnem aestimationem posita (Vs. 7—18.). Tandem tertio loco docet, illius ab uno Deo notitiam petendam esse, quae nempe in Dei cultu, et virtutis notitia sita sit (Vs. 19—28.).

Cap. 27, 1. וַיֹּסֶף אִיּוֹב *Addidit Jobus*, i. e. perrexit, ut infra 29, 1. 36, 1. Quum amici (ut recte observat Jarchius) nihil amplius haberent, quod opponerent, ab Elihu ideo reprehensi, 32, 16. מָשָׁל propr. *similitudo*, *sententia figurata*, de omni sermone poetico, sententioso et gravi dicitur, vid. Num. 21, 27. 23, 7. Ps. 49, 5. et ibi not. Mich. 2, 4. Hab. 2, 6. שְׂאֵת *Attollere* de voce dicitur et Jer. 17, 16. Jes. 24, 14. Gen. 25, 38. al.

2. חַי־אֵל *Vivit Deus!* i. e. quam certum est Deum vivere, jurisjurandi formula, ut 1 Sam. 20, 3. 25, 26. Ez. 14, 16. הֲסִיר מִשְׁפָּטִי Qui (subaudiendum pronomen relativum, ut et in altero hemistichio ante הֲמַר, et ut 24, 21.) *removit judicium*, jus, *meum* (cf. Zeph. 3, 15. Jes. 40, 27.), i. e. qui me jure meo privavit, innocentem me tanquam impium tractans. „Crimini data Nostro haec ipsa verba ab Elihu 34, 5. 6., et quidem ea serie, ut liqueat, מִשְׁפָּט esse *jus*, *causaeque justitiam*, quam sibi *denegatam* et *detractam* innuat. Non est blasphemum, nec a persona Jobi abhorrens; sed liberius tantum, et paulo crudius verbum, quod nihil aliud, rite excussum, sonat, quam, *Deus me sine culpa tam saevum in morem adflixit.*“ A. Schultens. וְשַׁדַּי pro וְחַי שַׁדַּי quam certum est, Omnipotentem vivere, qui הֲמַר *amaritudine affecit*, i. e. acerbe et graviter afflixit, summo moerore affecit, ut 2 Reg. 4, 27. Ruth. 1, 20.

3. כִּי *Quod*, explicativum h. l. est, sequitur enim res, super qua juratur. כָּל־עוֹד *Omne adhuc*, pro כָּל־עֵת עוֹד *omni tempore*, *quo adhuc*. Hieronymus: *donec superest*. Cf. עוֹד כָּל־יְמֵי הָאָרֶץ Gen. 8, 22. Ante נִשְׁמָתִי בִּי subaudi iterum relativum, *quo halitus meus in me est*, i. e. quoad vixero, de anima vitali נְשָׁמָה Gen. 2, 7. 1 Reg. 17, 17. dicitur. Cum nostra phrasi convenit illa 1 Sam. 9, 9. כִּי־כָל־עוֹד נַפְשִׁי בִּי. Meram periphrasin vitae et alterum continet hemistichium, וְרוּחַ אֱלוֹהַּ בְּאַפִּי *et* quamdiu *spiritus Dei in me est*, quamdiu hac vita a Deo mihi concessa frui dabitur. Loquutio deprompta ex Gen. 2, 7., ubi Deus in nares hominis spiritum vitae insufflasse dicitur. Non sunt audiendi, qui *afflatum divinum* s. spiritus divini h. l. significari existimant.

4. אִם־תְּדַבֵּרְנָה *Si loquentur*, i. e. ut recte Hieronymus, *non loquentur*. Est enim jurisjurandi formula Hebraeis familiaris, qua imprecationem solent omittere, conditione tantum posita, cf. not. ad Ps. 89, 36. et 1 Sam. 3, 17. 24, 22. Ps. 132, 3. 4. — עַוְלָה *Iniquum*, et רְמִיָּה *dolum*, s. *mendacium*, quod negat se

Digitized by Google

prolaturum, confessionem impietatis et proditionem innocentiae h. l. significat, ut ex iis, quae proxime sequuntur, apparet. Inique facerem, inquit, et dolose, si me sontem et improbum faterer, sicut vos mihi extorquere vultis, ac ita meam causam proderem, et innocentiam, de qua mihi conscius sum, abnegarem. Cf. supra 6, 30. Alii occupari volunt a Jobo suspicionem, se pietatem velle deserere, interposito solenni jurejurando, se et in posterum vitam sine impietate et dolo acturum. Sed praestat, ut diximus, ob ea, quae sequuntur, prior sententia, quam et Schnurrero placuisse video, qui in *Dissertatt.* p. 268. ad nostrum locum haec notavit: „Non id agit Jobus, ut universe ab omni mendacio doloque alienum se profiteatur; sed hoc nominatim mendacii genus negat, se unquam, quoad viveret, commissurum, ut sociorum sententiam, qua ipsum sceleris reum, adeoque justa a Deo poena affectum pronunciassent, admittat atque probet."

5. חָלִילָה לִּי אִם־אַצְדִּיק אֶתְכֶם *Profanum sit mihi*, sit mihi ut res profana et impura (abominandi formula, cf. Jos. 22, 29. Gen. 18, 25. 44, 7.), *si justificem vos*, quae recte Hieronymus ita reddidit: *absit a me, ut justos vos esse judicem*, ut vos justos et veraces habeam in hoc negotio, ut vestram de me sententiam probem, me meritas scelerum meorum poenas luere. עַד־אֶגְוַע *Donec exspiravero*, ut supra 3, 11., i. e. עַד־יוֹם מוֹתִי (2 Sam. 6, 23.) ad mortem usque, quod et in sequenti repetendum. לֹא־אָסִיר תֻּמָּתִי מֶמֶּנִּי *Non removebo*, s. auferri sinam, *integritatem meam a me*, ut me negem integrum et innocentem; non desinam tueri meam innocentiam.

6. בְּצִדְקָתִי חָזַקְתִּי וְלֹא אַרְפֶּה *Justitiam meam teneo, nec dimittam eam*, quam semel tuendam suscepi innocentiam, numquam missam faciam, sed eam strenue defendam. לֹא־יְחָרֵף לִבָּבִי מִיָּמַי *Non carpit cor meum de diebus meis* quicquam, conscientia mihi est integerrima, quae me nulla in parte condemnat; ergo ne memet calumniabor. *Cor* pro conscientia tritissimum, vid. 1 Joa. 3, 20. חָרַף *Conviciari, probro adficere*, primario valuit *carpsit*, ut Arabum חרף de *fructibus decerpendis* usurpatum. *Carpere* pro *obtrectare, reprehendere*, in omnibus linguis dicitur. מִיָּמַי *diebus meis* scil. ullum. Alii post יְחָרֵף subaudiunt אוֹתִי *me*, et מִיָּמַי valere existimant *inde a* primis *diebus meis*, s. vitae meae. Ita Hieronymus: *neque enim reprehendit me cor meum in omni vita.* Alii: *propter dies vitae meae* sc. male transactos.

7. יְהִי כְרָשָׁע אֹיְבִי *Erit sicut impius inimicus meus*, וּמִתְקוֹמְמִי כְּעַוָּל *et insurgens in me*, adversarius meus, *tanquam perversus.* Eum opertet qui mihi hac in causa adversabitur, impium haberi et perversum. Perversitas enim est et ingens scelus, innocentem oppugnare et damnare. Ostendit, quanto odio ardeat impietatis, quippe qui vel suspicionem ejus, in se conjectam, toto

Digitized by Google

pectore abominetur, dirissimam omnium imprecationum hanc numerans, ut quis similis fiat improbo. Vos me, inquit, impium esse tenditis. Ego vero tam longe absum ab impietatis studio, ut non inveniam, quid vel capitali hosti meo dirius imprecari possem, improbitate ejusque fructibus. Sic 1 Sam. 25, 26. יִהְיוּ כִנָבָל אֹיְבֶיךָ *fiant sicut Nabal inimici tui.* Apposite A. Schultens observat, Jobum his verbis simul inculcatum voluisse, se, quae in superioribus passim de felicitate improborum disputasset, non sane disputasse ex invidia, aut cupiditate consimilis sortis, sed tantum ad refellendam calumniam adversus se ob calamitates innocenti divinitus immissas concitatam. Alii hoc Versu a Jobo tacite taxatos existimant socios, jam adversarios suos factos, hoc sensu: Quisquis mihi in hac causa adversatur, tandem aliquando injustitiae condemnabitur. Id quod vere factum, vid. infra 42, 7. 8., ad quod h. l. sit praelusum. Et Schnurrerus l. c. Jobum non quoscunque inimicos innuere putat, sed illos ipsos, quibuscum in disputatione versetur, adversarios, quos significet pro illis habendos esse, qui injustam causam tueantur, adeoque male agant. Sensus prius a nobis propositus planior, et ad seriem accommodatior videtur. Hoc Versu BERNSTEIN in Commentat. super Jobi libro (*Analekten* Vol. I. P. III. p. 133.) Jobum certamen cum adversariis aptissime claudere arbitratur, quae dehinc inde a Vs. 7. usque ad 28, 28. sequuntur, ab alia manu inserta esse: nam quae Vs. 7 — 23. hujus Capitis legimus plane cum iis, quae Jobi adversarii contendunt, consentire, Capitis 28. argumentum vero Jobi personae non convenire, et quum et rerum et verborum compositio simillima sit ei, quam in ultima Elihui oratione invenimus, eidem scriptori tribuendum esse hoc Caput, cui omnes Elihui sermones tribuendi sint. Verum quod ad reliqua hujus Capitis attinet, ea apte cum iis, quae praecedunt, cohaerere, ostendimus in Argumento hujus pericopae. Cf. quae infra ad Vs. 13. dicentur. De Cap. 28. vide quae ad ejus initium notabimus.

8. Hujus Versus interpretationem ambiguam reddunt verba יִבְצַע et יִשָּׂל. Prius illud aliqui capiunt *lucrum faciendi* notione. ut Habac. 2, 9. Jer. 6, 13. Ez. 22, 27. Ps. 10, 3. Prov. 1, 19., coll. arab. بَصَعَ *collegit, comportavit.* Alii vero sumunt *abscindendi* significatu, ut supra 6, 9. Jes. 38, 22. Joel. 2, 8. Amos 9, 1., et ex altero hemistichio נַפְשׁוֹ *vitam ejus* subaudiunt, hoc sensu: quae spes superest improbo, *cum abscindet* sc. אֱלוֹהַּ *Deus, vitam ejus?* Cui sententiae consone posterius hemistichium ita vertunt: *quum extraxerit Deus animam suam,* e corpore? ut sit יִשָּׂל pro יִשַּׂל (Deut. 28, 40.) a verbo נָשַׂל, quod et Arabibus *extraxit, sustulit, amovit* denotat, Ex. 3, 5. Deut. 7, 1. 22. 19, 5. Jos. 5, 15. 2 Reg. 16, 6. Verum ad hanc radicem יִשָּׂל referri plane nequit, salva analogia grammatica, juxta quam potius est futurum Cal forma apocopata verbi שָׁלַח (ut יָרֵב a רָבָה Gen.

Digitized by Google

43, 34.). Id plures h. l. *quietum*, *tranquillum reddidit* notare volunt, hoc sensu: *si Deus pacatam reddiderit animam ejus*, i. e. concesserit ei vivere in summa tranquillitate et prosperitate, de qua hoc ipsum verbum שָׁלָה et supra 12, 6. 21, 23. usurpatum. Obstat tamen huic interpretationi, quod verbum שָׁלָה in Cal nusquam transitivo significatu reperitur. Ego non dubito, שָׁלָה h. l. significatione convenire cum שָׁלַל arab. سلل *extraxit* (unde Imperativus שָׁל *exue*, Ex. 3, 5.), ut jam plura in hoc libro vidimus verba, ultima tantum radicali quiescente aut geminata diversa, communes habere significatus; cf. not. supra ad 20, 10. Ergo vertendum: *quum extrahet Deus animam ejus* e medio corporis. Corpus Chaldaeis *vagina*, נְדָנָה, audit, ut ex Dan. 7, 15. cognoscitur. Et arabicum verbum proprie et usitatissime dicitur de ense, quum evaginatur, unde سَيْف *gladius strictus*. In priori vero hemistichio יִבְצַע capio *lucrum faciendi*, *corradendi* notione; vid. supra hujus notae initio. Recte nostrum Versum interpretatus est Syrus: *quaenam est spes hypocritae*, *qui opes acquisivit*, *quum Deus animam suam ei ademerit?* Eodem sensu Chaldaeus: *quae est spes hypocritae* (propr. *delatoris*, calumniatoris), *si opes inique partas collegit*, *quando Deus animam ejus excusserit?* Hieronymus: *quae est enim spes hypocritae*, *si avare rapiat*, *et non liberet Deus animam ejus?* Retulit יִשָּׂל ad נְשָׁל *extraxit* se. *e calamitate*, et posterius hemistichium etiam pro interrogatione accepit. Ingeniosa est Schnurreri conjectura, יִשָּׂל scriptum esse pro יִשְׁאַל *requiret*, *exiget* (vitam ejus) Arabum more, quibus solenne est יסל scribere pro ישאל, nec desunt in hebraicis exempla ejusmodi scriptionis, qua א omittitur, velut in שְׁלָתְךָ *petitio tua*, 1 Sam. 1, 17. pro שְׁאֵלָתְךָ Esth. 5, 6. Impius, callidusque pietatis simulator, quantumvis divitiarum corraserit, quantumcunque honoribus et deliciis circumfluat, et si ad extremum usque halitum duret afflantis fortunae lenis atque secunda aura, ut propterea pro sincere probo ac bono a vulgo habeatur, tamen si ad exitum vitae vocatur, hac angi necesse est sollicitudine, fore, ut Deus, justissimus scelerum vindex, vel postquam e vita excesserit, familiae, rerumque suarum omnium ignominiosa ruina, hominibus sit ostensurus, qualis fuerit ipse. Id quod mox inde a Versu 14. latius persequitur. Minime igitur impii sortem invidendam a se haberi significat.

9. צָעָקָתוֹ — הֲצַעֲקָתוֹ *Numquid clamorem ejus audiet Deus*, *cum venerit super eum angustia?* Impiorum infelicitatem ex eo probat esse maximam, quod, quum conscii sibi esse debeant, se Deum sibi infensum habere, cum durum aliquid patiantur aut timeant, minime sperare possint, ab illo impendentis mali se consequuturos esse effugium. In sensum paulo diversum tres hosce Versus, 8. 9. 10., dellexit Schnurrerus, novum eis argumentum a Jobo propositum existimans, ex quo intelligere socii debeant,

Digitized by Google

ipsum recte factorum conscientia gaudere; criminum enim conscius si esset, profecto se non tam audacter ad ipsum Numen provocaturum, neque enim profanum hominem a Deo quicquam sperare posse; qua ipsa argumentatione, sed brevissimis verbis, quoque usus est Cap. 13, 16. Nomine צְעָקָה h. l. non *supplicationem*, vel auxilii implorationem, sed clamorem ortum ex sensu doloris intelligi observat.

10. אִם־עַל־שַׁדַּי יִתְעַנָּג Aut *num poterit Omnipotentem delectari?* אִם interrogationem indicat, ut 6, 5. 10, 4. 5. Num cum animi tranquillitate et gaudio unquam Dei meminisse, et fiduciam suam ponere in illo poterit? Schnurrerus haec verba ab Alexandrino monet scite versa: *μὴ ἔχει παῤῥησίαν ἐναντίον αὐτοῦ*, qui similiter 22, 26. habet: *εἶτα ἐν παῤῥησίᾳ ἔσῃ ἐναντι Κυρίου*, et videri omnino hanc significationem *confidentiae* etiam reliquis locis Jes. 58, 14. et Ps. 37, 4. convenientiorem, quam quae huic verbo vulgo tribuitur *delectari Deo*, quamvis fatetur, esse inter utramque non magnum discrimen. יִקְרָא אֱלוֹהַּ בְּכָל־עֵת An (repetito אִם) *invocabit Deum omni tempore?* Male factorum conscientia fiduciam ei eripit, ut ad Deum, quem sibi infensum suspicatur, orare non audeat, nec in angustia sperare ab illo patrocinium possit.

11. Ut eo magis omnem a se amoveret suspicionem, quasi felicitati improborum inviderit, et pietatem suaque deque haberet, jam clarius se explicaturum promittit, quam teneat Deus rationem agendi cum improbis, etiamsi vitam eis concesserit omnibus fortunis abundantem. Verba אוֹרֶה אֶתְכֶם בְּיַד־אֵל non sunt ita vertenda: *docebo vos per manum*, i. e. opem, auxilium *Dei*, quasi, divinitus edoctus, quorsum Chaldaeus tendit; *docebo vos per prophetiam Dei.* Sed praefixum ב ante יַד h. l. objecto significando inservit, ut Ps. 63, 7. אֲרוֹנֵן־בָּךְ *meditor in te*, quasi: cogitationes meae versantur in iis quae ad te pertinent, i. e. meditor de te, s. te. Et eadem, quae hic, verbi nostri constructio Prov. 4, 11. בְּדֶרֶךְ חָכְמָה הוֹרִיתִיךָ *sapientiae viam tibi ostendo*, te doceo. Vid. et Ps. 25, 8. 12. 32, 8. Ita et Jobi verba sic erunt reddenda: *docebo vos de manu Dei*, i. e. de iis, quae Deus agere solet, quae in suo regimine rerum humanarum esse manifeste exserunt. Hunc esse genuinum verborum hebraeorum sensum, arguit hemistichium alterum, אֲשֶׁר עִם־שַׁדַּי לֹא אֲכַחֵד *quae sunt apud Omnipotentem, non celabo*, quae sunt recondita apud eum consilia. עִם *apud*, ut 12, 16. 15, 9. 23, 14.

12. Non opus mihi erit hac in re prolixa probatione, הֵן־אַתֶּם כֻּלְּכֶם חֲזִיתֶם *En! vos omnes vidistis*, sc. quae vobis dicam; ea tantum, quae ipsi experientia estis edocti, vobis a me in memoriam erunt revocanda. וְלָמָּה־זֶּה הֶבֶל תֶּהְגֶּלוּ *Quare ergo vanitate vanescitis?* Cur tam vana et falsa affertis de proborum statu felici et lauto, poenis vero impiorum, quibus adversa omnia

Digitized by Google

in terris evenire, iisque vivis ac viventibus praedam suam extorqueri contenditis, ut hinc me omni miseriarum genere afflictum scelerum reum convincatis, quum tamen nemini ad res humanas paulo diligentius attendenti obscurum esse possit, Deum rationes longe alia, quam vos perhibetis, cum hominibus agere solere.

13. זֹאת חֵלֶק־אָדָם רָשָׁע עִם־אֵל *Haec portio* est *hominis impii cum Deo*, penes Deum, quam a Deo feret, h. e. quod cum illo lucrabitur pro impietate sua. וְנַחֲלַת עָרִיצִים מִשַּׁדַּי יִקָּחוּ *Et* haec est veluti *hereditas potentum*, quam *ab Omnipotente accipient*. עָרִיצִים h. l. sunt formidabiles, in malam partem, tyranni, qui potentiâ suâ alios opprimunt iisque terrori sunt. Idem Zophar supra 20, 29. dixerat, concludens recensum poenarum, quas impii a Deo ferunt. Nunc ergo in iis, quae sequuntur, Jobus videtur sociorum sententiae accedere, ac dum impiorum poenas enarrat, sibi ipsi obloqui, et propriam sibi causam jugulare, quum antea bonos in miseriis versari, quovis autem scelere contaminatos florere, et hujus vitae bonis ad extremum usque halitum adfluere contendisset. Plerique statuunt haec eo consilio a Jobo afferri, ne, quia supra de felicitate improborum dixerat, propterea pro impio habeatur, quasi istos laudet et sequi velit; nunc igitur eum cum sociis agnoscere, instabilem esse istorum felicitatem eosque poenas tandem acerrimas daturos: nec tamen *semper* hoc fieri, ut dicebant socii, sed de sensu deprehendisse, ut et ipsi deprehendere potuerant, aliter saepe accidere. Sed non quid *aliquando* accidat, aut quid impiis accidere debeat, sed quid plerumque ac ordinario, secundum normam divinae justitiae, fieri soleat, proxima declarat oratio. KENNICOTTUS in *Dissertat. Generali in V. T.* p. 539. seq. ed. Bruns. (Brunov. 1783. 8.), quae inde ab hoc Versu usque ad Capitis finem leguntur Zopharo conjicit tribuenda esse. „Loquutus est," inquit, „*ter* Eliphasus, cui Jobus *ter* respondit. Loquutus est *ter* Bildad, cui Jobus *ter* respondit. Sed loquutus est Zophar *bis* tantum, nisi tertia vice loquatur, atque hisce verbis. Confusionem hac ratione solvo. In Cap. 25. tertio loquitur Bildad. In Cap. 26. ad 27, 12. tertio respondet Jobus, ideoque series tertiae hujus responsionis nunc interturbatur verbis 27, 1. וַיֹּסֶף אִיּוֹב שְׂאֵת מְשָׁלוֹ וַיֹּאמַר, quae videntur efficere titulum Capitis 28. Finito Jobi ad Bildad responso in 27, 12. Zophar, tertio ferociens, exorditur eo ipso axiomate, quo prius desierat Cap. 20, 29. Cessante Zopharo, fine Cap. 27. *suscipit Jobus suam* de sapientia *parabolam*." Quae nec EICHHORNIO improbabilia visa sunt, vid. ejus *Allgemeine Bibliothek der bibl. Literat.* P. II. p. 616.; in versione tamen vernacula receptum sequutus est textum. Sed ad Kennicotti sententiam suam hujus pericopae interpretationem instituit STUHLMANN (*Hiob, ein religiöses Gedicht, aus dem Hebr. neu übersetzt, geprüft und erläutert*, Hamburg 1804. 8.) p. 157. vers. coll. Animadvers.

Digitized by Google

p. 76. seqq. Verum enim vero, utut speciosa illa sit conjectura, quo minus tamen ei subscribamus, illud nos impedit, quod, ea adscita, et huic Versui verba וַיַּעַן צוֹפַר הַנַּעֲמָתִי וַיֹּאמַר, וַיַּעַן אִיּוֹב וַיֹּאמַר et similiter Capiti 28. aut verba, aut, ut Kennicottus vult, ea verba, quae nunc 27, 1. leguntur, praemitti necesse erit. Estne vero credibile, formulas illas, si unquam in textu exstiterint, in his solis, totius libri locis adeo plane evanuisse, ut earum nec vola nec vestigium in versione ulla antiqua, aut ullo in codice deprehendatur? Adde, quod, si hanc pericopam Zopharo tribuas, Jobi, quae sequitur, oratio Cap. 28., nihil continebit, quod ab eo refutandum adversarium faciat. J. P. Benc in *Specim. Animadvers.* Schultensianae Jobi versioni addito p. 246., ea, quae inde ab hoc Versu ad finem usque Capitis leguntur, existimat esse praecaventis Jobi, ne quid reliquum videretur superesse, quod dictis a se prolatis, denuo, atque tertia jam quoque vice, reponi a Zopharo forte posset. Huic tamen adspectui nimium refragantur, quae Vs. 11. 12. 13. praefationis instar mox dicendis praemittuntur, quibus plane et diserte se velle expositurum dicit, quid ipse sentiat de sorte et conditione improborum, a divina justitia ipsis assignata. Neque difficile adeo est intellectu, quanam potissimum in re a sociis Jobus dissentiat. Contenderant illi, impios semper vivos videntesque scelerum poenas luere, et sic eorum clandestinam impietatem manifestam reddi a justitia divina, etiamsi per aliquod tempus floruerint, hominibusque fuco probitatis et virtutis imposuerint. Quae persuasio fons erat falsae illius suspicionis, quam de Jobi, ex summo felicitatis fastigio tam subito deturbati, sincera pietate conceperant. Ostendit igitur Jobus, solere impios saepissime toto vitae suae cursu florere, per nefas omne ad culmina rerum grassari, eoque in fastigio fortunarum ad mortem usque vigere; nihilominus tamen repositam esse apud Deum vindicem eorum poenam, quum domus injustis artibus ad maximam potentiam provecta post mortem illorum tandem aliquando pejus sit ruitura, quam consurrexerat, ut hac ratione omnibus appareat, quales fuerint isti, qui dum viverent, omnibus redundabant ornamentis. Longe alia Jobi erat ratio. Is enim, adeo nullorum malefactorum sibi conscius, ut iterum iteramque summum Numen innocentiae suae testem provocare audeat, non solum ipse e florentissimo statu subito dejectus, gravissimo morbo intolerandisque doloribus afflictus jacebat, verum et liberis se omnibus et universa sua familia orbatum, ac ita modo plane inaudito se tractatum videbat. Quae omnia tamen non valuerunt probitatis suae conscientiam, suamque justitiae divinae fiduciam vel minimum labefactare; spem potius certissimam retinebat, fore, ut sua innocentia tandem aliquando, et, si non dum inter vivos esset, certe tamen suam post mortem, a justissimo vindice omnibus manifesta reddatur (19, 25. sqq.). Hac igitur ratione longe diversus ab impio, cui nulla ejusmodi spes, quin quaevis infausta ac funesta timenda (supra Vs. 8.).

Digitized by Google

14. Recte observavit A. Schultens, ita digestam esse hanc tractationem, ut *primo* exponantur judicia divina in posteritatem et familiam praepotentem improbi, post mortem ejus inumbitura, ad male parta mala dissipanda; *secundo* depingatur thesaurus, cumulatissimus irae ejusdem in ipsam improbi personam effundendus, statim ad mortem, et ultra eam. Prior pars a Vs. 14. ad Vs. 19. deducitur, posterior a Vs. 19. ad finem Capitis decurrit. Venit ergo primo numerosissima florentissima progenies, quae opulentam patris hereditatem cernens, stabilem sibi potentiam et gloriam despondet. אִם־יִרְבּוּ בָנָיו לְמוֹ־חָרֶב *Si multiplicati fuerint filii ejus, ad gladium* sc. destinati erunt, s. multiplicati erunt, ut gladio perimantur. וְצֶאֱצָאָיו לֹא יִשְׂבְּעוּ־לָחֶם *Et soboles* s. nepotes *ejus* (ut supra ad 5, 25.) *non saturabuntur pane.* Λιτότης, i. e. fame peribunt. Alexandrinus: προσαιτήσουσιν, *mendicabunt*, contra, quam Ps. 37, 25. dicatur, *non vidi justum derelictum, nec posteros ejus quaerentem panem.*

15. שְׂרִידָיו *Superstites* ex posteris *ejus.* Hieronymus: *qui reliqui fuerint ex eo*, sc. a gladio et fame. Versa בַּמָּוֶת יִקָּבְרוּ quidam interpretantur: *peste confecti sepelientur*, ut Chaldaicis *pestis* dicitur מוֹתָא, quod 2Sam. 24, 13. pro hebraeo דֶּבֶר in versione Chaldaica exstat. Alii: *in* ipsa *morte sepelientur*, i. e. subito, cum vix exspiraverint. Rectius alii: *dum moriuntur, erunt simul sepulti*, nec aliam habebunt sepulturam, quam mortem; mors ipsis erit sepultura, quatenus vel obruantur, vel morgantur, vel devorentur, vel absorbeantur. Ita Vavassor: „Est haec proprie insepultura. Mors illos sua sepeliet, nihil praeterea honoris supremi consequuturos. Vult enim, mortem iis futuram pro sepultura, quasi qui inhumati projiciantur, aut jaceant sane inopes et infleti: quorum interitum honore sepulturae cognati, affines, ipsae conjuges, carere patiantur.“ Eadem impiis minatur Jeremias, 8, 2. 14, 16. 16, 4. 6. 22, 18. 19. Huic expositioni bene concinit posterius hemistichium: וְאַלְמְנֹתָיו לֹא תִבְכֶּינָה *et viduae ejus*, non impii patris, sed uniuscujusque superstitum ejus (שְׂרִידָיו), i. e. eorum *non plorant*, non honestam habebunt sepulturam, ad quam pertinent etiamnum in Oriente mulierum planctus et naeniae, vid. Amos 5, 16. 17. cf. Jahn *Bibl. Archäologie* P. I. Vol. II. §. 241. p. 536.

16. אִם־יִצְבֹּר כָּעָפָר כָּסֶף *Si cumulaverit ut pulverem argentum*, eadem formula exstat Zach. 9, 3., quae haud dubie proverbialis. Additum ibidem: *et sicut lutum platearum aurum*, pro quo nostro loco: וְכֶחֳמַר יָכִין מַלְבּוּשׁ et si tanta copia quanta *lutum paraverit vestimenta.* Non solum aurum, argentum, et gemmae, sed etiam vestes a veteribus in thesauris recondebantur. Vid. Esr. 2, 69. Neh. 7, 70. Proinde a Virgilio *Aeneid.* Lib. IX. Vs. 26. describitur Messapus: — — — *dives pictaï vestis et auri.* Et, Susis captis, Alexander, referente Plutarcho, in regiis

Digitized by Google

thesauris reperit πορφύρας Ἑρμιονικῆς τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων, *purpuras Hermionicas talenta quinque millia, quae annos decem minus ducentis ibi reposita fuerat.*

18. בָּנָה כָּעָשׁ בֵּיתוֹ *Aedificat ut tinea domum suam.* Tineae domus est tenuis quidem folliculus, in quo tinea veste conditur; ille tamen mox disperit, ubi primum ab homine vestis excutitur. Tam facile ac repente domus ac familia impii corruit, etiamsi vivo ac vidente raptore steterit ac durarit, sine metu ruinae. Alii similitudinem in eo positam existimant, quod sicut tinea rodendo sibi aedificat domum, damnoque ac dispendio alterius suum sibi domicilium exstruit, quod tamen in se est ruinosum, atque intus velut erosum; ita et impius alienas res corrodendo et vorando domum suam erigere ac stabilire moliens, eandem simul demoliatur, opibus et fortunis, quas injuste corrasit, excutiendus. עָשׁ est *tinea*, ut supra 13, 28. Jes. 50, 9. 51, 8. Ps. 39, 12. In altero hemistichio similiter depingit cladem et subversionem posteris impii incumbentem, in quorum ruinis appareat, omnem illam fortunam domus opulentae, ad instar levidensis casulae, sponte corruere: וּכְסֻכָּה עָשָׂה נֹצֵר *et sicut tugurium*, quod *fecit custos* agrorum, ut pergulam, quam ad breve tempus sibi facit ὀπωροφύλαξ, ita domus improbi erit. Custodes fructuum tuguria ex levi materia compingunt aestate, dum fructus pendent. Cf. not. ad Jes. 1, 8. et Niebuhrii *Descript. Arab.* p. 158. Haec collectis fructibus diruuntur vel negliguntur, et hyeme ac pluvia superveniente facile, ac velut sponte sua, corruunt. Similiter domus improbi sua post fata mox collabitur. נֹצֵר Chaldaeus bene נָטַר פֵּרֵי *custos fructuum* reddidit.

19. Hoc Versu plerique existimant hoc dici, diviti, quando cubitum it, bonorum suorum integram constare possessionem, quando vero mane expergiscitur, nil ex iis superesse, eumque se omnibus exutum et spoliatum videre. יִשְׁכַּב ex proprietate vocis reddunt: *it cubitum*, *ad somnum in lecto se componit*, cui ex opposito respondeat עֵינָיו פָּקַח *oculos aperuit*, e somno mane excitatus scilicet. יֵאָסֵף vero *sublatus est*, et לֹא substantive, ut supra 6, 21. 11, 11., *Nihil* vertunt; unde haec prodit sententia: Impius dives it cubitum, absque ut aliquid ablatum sit; sed ubi oculos suos aperit, nihil adest. Sive, ut Schultensius eundem sensum expressit: *dives est, quum cubitum it, nec quidquam ablatum; evigilat, et nihil superest.* Sententia per se quidem bona, sed quae pro hac serie languidior est, nec Jobi instituto satis congruit. Id requirit potius, ut יִשְׁכַּב de *morte* accipiatur, ut supra 3, 13. 24, 12. Ps. 41, 9. 88, 6. Jes. 14, 18. 57, 2. לֹא יֵאָסֵף *Non colligetur* sc. in sepulchrum, non sepelietur cum honore in monumentis majorum. Plene phrasis exstat Gen. 25, 8. 49, 29. *colligi ad populos suos*, sive, ut Jud. 2, 11. dicitur, *ad*

Digitized by Google

patres suos. Plenius 2 Reg. 22, 20. אֶסְפְּךָ עַל־אֲבֹתֶיךָ וְנֶאֱסַפְתָּ *colligam te ad patres tuos, et colligeris ad monumenta tua.* Absolute, ut hic, Num. 20, 26. Jes. 57, 1. Describitur igitur nostris verbis subita, violenta et ignominiosa impii mors: *dives occumbet*, mortem oppetet, *nec sepelietur*, esca feri volucribusque rapacibus. Idem exitus malis denunciatur Jerem. 8, 2. לֹא יֵאָסְפוּ וְלֹא יִקָּבֵרוּ *non colligentur* in monumentis majorum, *nec sepelientur, sterquilinium in superficie terrae erunt.* Et Ex. 29, 5. *In agro*, i. e. sub dio *cades*, לֹא תֵאָסֵף וְלֹא תִקָּבֵץ *non colligeris nec congregaberis* majoribus in sepulchro; *feris terrae, et avibus coeli in escam te tradam.* Pro יֵאָסֵף in Cod. Cassellano et duobus de Rossii codd. legitur יֵאָסֹף, et in uno Kennicotti plene יֵאָסוֹף. Active vertit quoque Alexandrinus: *καὶ οὐ προσθήσει, et non adjiciet*, sc. colligere. Sed recepta scriptura praeferenda. Repentinum inopinatumque occasum, qui impium cum maxime opulentia omni circumfluentem tollit, depingit alterum hemistichium: עֵינָיו פָּקַח וְאֵינֶנּוּ quum *oculos suos* quis *aperuerit, non amplius aderit*, intra oculi momentum perit; media ex opulentia et felici omnium rerum abundantia abripitur, omnia relinquere coactus. Cf. Ps. 49, 18. Luc. 12, 20. Subitam impiorum mortem superius passim, ut 21, 30. sqq. 24, 19. sqq. nimio disputandi ardore et vi concitati affectus abreptus, ut *εὐθανασίαν* et partem felicis istorum sortis non sine exaggeratione descripserat. Illa nunc sedatiori animo tractat, repentinum improbi letum ut maxime sibi terribile depingens.

20. Pluribus describitur gravis improbi florentis ruina, per necopinata Dei judicia, fluminis, vel venti instar, cum opprimentis, ut ludibrium et exemplum simul fiat orbi terrarum. Cum minime putaverit, mediis in lautitiis, subito profligabitur. תַּשִּׂיגֻהוּ כַמַּיִם בַּלָּהוֹת *Consectantur*, et apprehendunt *eum instar aquarum*, celerrime et inopinato irruentium, ut effugere non liceat, *terrores*, mora cum suis terroribus, cf. supra 18, 14. Ps. 73, 15. — לַיְלָה גְּנָבְתּוּ סוּפָה *Noctu*, quum securus quieti se dederit, *furtim* quasi, *abripiet ipsum turbo*, nil tale opinantem rapit, et in exitium propellit. Eadem formula supra 21, 18. usurpata.

21. יִשָּׂאֵהוּ קָדִים וַיֵּלַךְ *Tollet eum eurus, et abibit*, tempestas suppliciorum divinitus ingruentium subito correptum istum hominem rotabit, et in perniciem abripiet. יֵלַךְ *Ire* h. l. absolute pro *perire*, ire in maximam malam rem, ut Jes. 50, 11. et alias. קָדִים recte ab Hieronymo *ventus urens*, et ab Alexandrino *καύσων* redditum. „Allusum enim ad *ventum urentem* et venenatum, quem Arabes סָמוּם *Samûm* vocant, et חָרוּר *Hharûr*, cum hoc tenui discrimine, quod חָרוּר a *calore adurente*, חָרַר, nomen trahens, *nocturno* potius *vento* tribuatur; ut סמום *pestifer* et *siderator*, שָׁמַם *diurno* magis competit. Uterque dicitur שָׁפַר *percutere venenato aestu*, et vocabulo שַׁעֲרָה in Sacris passim

Digitized by Google

designatur. Hujus pestiferi venti creberrima mentio in Itinerariis eorum, qui Orientem peragrarunt; unde discimus, non solum momento perimi, qui eo adflantur, sed et corpora eorum horrendum plane in modum foedari, nigrescere, computrescere.“ A. Schultens. Multa de hoc vento ex Itinerariis congessit Oedmann *in den Vermischten Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heiligen Schrift*, P. IV. Cap. 1. Cf. not. ad Jes. 27, 8. וישערהו Hieronymus bene: *et velut turbo rapiet eum* reddidit. Cf. Ps. 58, 10. coll. 148, 14. ש pro ס, ut supra 9, 17. 24, 2. Alexandrinus: *καὶ ἁρπάσει αὐτόν*. Matth. 21, 44. ממקומו *E loco suo*, in quo antea stabat, quemque se obtenturum sperarat, ut supra 8, 18.

22. וישלך עליו *Et projiciet* sc. Deus (cujus nomen in hoc libro saepius jam vidimus omitti, ubi orationis series illud subaudiendum ostendit) *super eum* sc. רעות *mala* illa et infortunia quibus repente opprimitur, ולא יחמול *nec parcit* illi, ut nullius fuerat misertus, ita et sine misericordia pessum dabitur. Alii ad וישלך e Versu superiori subaudiunt קדים, ut sit: *projiciet se ventus*, i. e. irruet *in eum*. Schnurrerus ממקומו itidem ex Vs. 21. subaudiendum censet. „Locus, inquit, in quo versatur impius, is est, qui persona induitur hominemque suis manibus sursum vibrare dicitur, hoc modo: *eumque locus suus sursum projicit inclementer, ut e manibus ipsius evolet;* quae quidem figura, quanquam audacior, minime incredibilis videri potest, quum Hebraeis saepiuscule *locus agnoscere* vel *abnegare aliquem*, imo pedestri adeo oratione, Levit. 18, 25. 28. *evomere terra suos incolas* dicatur. Dubito tamen an וישלך עליו verti possit: *sursum projicit:* nec *loco manum* tributam esse a poeta, mihi persuadere possum, ne quidem tum, si prosopopoeia illa usus esset. Multo concinnius videtur, suffixum ad ממנו ad Deum referri, hoc sensu: *a manu Dei fugiet* perimente, quam tamen non effugere potest. Alii *aufugiendi* verbum h. l. capiunt *evanescendi* notione (cf. supra 9, 25.), ut haec sit sententia: manus Dei efficiet, ut aufugere, i. e. interire et prorsus disparere cogatur.

23. ישפק עליו כפיו *Plaudet*, complodet, *super illis* impiis, super eorum repentina ac ignominiosa ruina *volus suas* se. unusquisque, visa impiorum ruina laetitiam animi testans ac demonstrans. Cf. Thren. 2, 15. Nah. 3, 19. ישפק cum *Sin* i. q. יספק supra 20, 22. Ad quod subaudiendum est Participium ejusdem verbi, ut impersonaliter sit exprimendum, ut supra 4, 19., et h. l. in altero hemistichio, וישרק עליו ממקומו *et sibilabitur super eum e loco suo*, ex ipso illo loco, quem coactus est relinquere. Vel: super eum *e loco suo* dejectum, Sibilum, irrisionis signum, ut Jer. 25, 9. 49, 17. 50, 13. Zeph. 2, 15. Suffixum מו in hoc Versu repetitis vicibus usurpatum, collective est capiendum. Gaudentibus et irridentibus omnibus occidit impius, post vitam

Digitized by Google

felicissime lautissimeque transactam gravissimo mactatus exitio, in quo omnes supplicium a Deo scelerum vindice illi inflictum agnoscunt. Contra pius si vel maxime, dum vitam agit, a Deo affligatur et iniquo ac inhumano vulgi judicio ut impius condemnetur, certissimam tamen alit spem, fore, ut aliquando tandem justissimum Numen suam innocentiam sit omnibus patefacturum.

Cap. 28. In hujus Capitis nexu cum superiori constituendo magnopere laborarunt interpretes, quorum varias valdeque inter se discrepantes opiniones recensuit expenditque A. Schultens. Ea tamen sententia, quae plurimorum tulit calculos, huc redit, demonstrare Jobum hac pericopa, providentiae divinae rationes ab homine penetrari non posse: penetrare quidem eum terrae viscera, et abditissima quaeque scrutari, sed sapientiam in arcanis Dei consiliis positam, cur boni adfligantur, mali laute et feliciter vivant, ab hominibus pervestigari minime posse. Sed oculos retorquenti ad ultimam Capitis clausulam, et colophonem veluti ante dictorum: *dixit homini, ecce timor Dei sapientia est*, haud potest obscurum esse, agi toto Capite de sapientia, non Dei ipsius, sed hominis, quam nempe, Deo monstratore, acquirit, quaeque ab ipso revelata, ipsius quoque donum est (cf. Jacob. 1, 5.). Ea est, quae insigni prosopopoeia hic inducitur, tanquam, a mortalium oculis longe secluса, atque immensum dissita, imo eorum pedatui inaccessa, acerrimisque conatibus impervestigabilis, quamvis terrarum mariumque abditissimos sinus eorum labor impiger, vigilque industria permeaverit. Praeclarum autem illud Sapientiae aut verae Religionis encomium, etsi tanquam *πάρεργον* ultra seriem orationis excurrere videtur, minime aberrat a scopo, neque est, quod hic de nexu admodum laboremus. Nempe Jobus in eo erat, ut omnem suspicionem irreligiosi animi a se depelleret, cui ansam praebuerat superior circa bonorum et malorum conditionem disputatio. Id jam luculenter facere inceperat praecedenti Capite, quo hypocritarum poenas describit et exitium miserum; quibus scilicet, ex veri boni contemtu, sola hujus mundi caduca bona sunt in pretio. Nunc quodnam sit summum illud bonum, quae vera Sapientia mortalibus caecis incognita; quave via ad illam contendere detur, demonstrat: *Undenam Sapientia, aut quae sedes intelligentiae?* (Vs. 12.). Omnibus divitiis, fluxis et evanidis illis, possessio praeponderat sapientiae, quae in pio Dei cultu et fuga mali est posita. Ea hic inducitur tanquam persona quaedam, sedes incolens mortalibus ignotas, et nisi ducem viae Deus se praestiterit, inaccessas. Non enim patet hominibus, qui viscera terrae pervestigant, ex imisque tenebris abditissimas ejus opes eruunt, nec volucribus, quamvis volatu quaquaversum ferantur, et summa aeque petant atque ima; sed illius ab uno Deo notitia petenda est. Erudito et copioso Commentario hoc Caput illustravit Pareau ad calcem *Commentationis immortalitatis et vitae fu-*

Digitized by Google

turae notitiis rel. *(Sermo Jobi de sapientia, mortuis magis cognita quam vivis, sive Jobeidis Cap.* 38.) p. 229. seqq. Ex Viri Doctissimi sententia et Zophari tantopere sibi arrogantis sermo, et quaecunque praeterea cum hic, tum ceteri etiam duo censores de regimine divino protulerant audacius, et quae praesertim in tertio certamine temere arripuerat Bildadus ex commenticia Eliphasi auctoritate, haec igitur cuncta Jobum eo tandem permovisse censenda sunt, ut regimen illud a mortalibus pervestigari non posse, de industria ostenderet. „Hoc autem," pergit, „fecisse mihi videtur Capite 26. et 28., quae duo Capita arctissimo et argumenti et consilii et ipsius adeo quoque sermonis nexu ita conjuncta esse arbitror, ut Caput 27. alieno inter utrumque loco positum sit. . . . . Sic enim, qui Capite 26. ex incomprehensae magnitudinis divinae consideratione ratiocinatus fuerat Jobus de regiminis divini cognitione homini non concessa, eundem jam Capite 28., ex irritis conatibus mortalium, qui aliis quidem rebus et difficillimae inquisitionis et maxime pretii detegendis comparandisque idonei sint, huic vero se prorsus impares animadvertant, idem conficere, unusquisque sponte agnoscat." Fatetur tamen ipse Vir Doctissimus, se nullam hujus transpositionis auctoritatem proferre posse sive ex codicibus Mss., sive ex vetustissimis versionibus. Neque videtur nobis ea transpositione opus esse, si Capitis 27. et 28. nexum eum statuamus, quem supra exposuimus.

1. כִּי h. l. non rationem proximorum indicat, sed latine est *sane*, *profecto* reddendum, ut alias initio sermonis, veluti Jes. 15, 1., ad quem loc. vid. not. edit. tert. מוֹצָא, propr. *exitus*, *egressio*, *locus*, *unde quid egreditur* (cf. not. ad Ps. 65, 9.), h. l. notat argenti *venam (einen Gang)*, e qua e terra eruitur. Alexandrinus: *τόπος ὅθεν γίνεται*. Nomini מוֹצָא in altero hemistichio ut *ἀοδύναμον* respondet מָקוֹם *locus*, domicilium quasi, locus natalis, Prov. 27, 8. Ante יָזֻקּוּ multi subaudiunt אֲשֶׁר בּוֹ vel אֲשֶׁר שָׁם, ut sit: *est locus auro, in quo liquant*, i. e. liquatur, tertia Pluralis impersonaliter accepta, ut Hieronymus: *auro locus est, in quo conflatur*, quasi indicetur auri natalis generatio et officina subterranea. Sed quum verbum זָקַק de auro *liquato* ab aurifice, et ab aliis metallis ac faecibus separato purgatoque dicatur (Ps. 12, 7. Mal. 3, 3. 1 Chron. 28, 18. 29, 4.); rectius simpliciter אֲשֶׁר subauditur, *est vena argento*, *locus*, patria *auro*, quod *conflant* mortales. זָקַק ad utrumque metallum est referendum, quod hominum industria e terrae visceribus eruitur, et ab ipsis coctum tusumque suos in usus convertitur.

2. מֵעָפָר יֻקַּח *Ferrum ex terra sumitur*, expromitur, educitur. עָפָר h. l. *humus*, *terra*, ut supra 5, 6. 8, 19. Alterum hemistichium, וְאֶבֶן יָצוּק נְחוּשָׁה, sunt qui ita vertant: *et lapis fundit aes*, sensu quidem per se bono, sed quem non admittunt verba hebraea, quae, si illum voluisset vates exprimere, potius

Digitized by Google

ita essent sonatura: וְאֶבֶן יְהֻצַּק נְחוּשָׁה, nam אֶבֶן, quod est feminei generis, ejusdem quoque generis verbum requirit, et נְחוּשָׁה, quod h. l. exstat, non est proprie nomen substantivum (etsi infra 40, 18. 41, 19. substantive usurpetur), sed femininum adjectivum, cujus masculinum נְחוּשׁ supra 6, 12. aderat, cum substantivo feminino אֶבֶן jungendum, ut 2 Sam. 22, 5. קֶשֶׁת־נְחוּשָׁה *arcus aeneus.* Igitur hebraea ita sunt transferenda: *et lapidem fundit aeneum* sc. fundens s. homo, i. e. lapidem aes continentem liquat homo, et sic ex eo aes elicit. Quem ipsum sensum eleganter Hieronymus expressit: *et lapis calore solutus in aes vertitur.* Syrus: *et ex lapidibus funditur aes.* *Aes* enim, ut ait PLINIUS *Hist. Nat.* 34, 1. et 36, 27., *fit ex lapide aereso, quem vocant Cadmiam; et igne lapides in aes solvuntur.* Minus commode alii, subaudito עָפָר ex priori hemistichio, verba sic reddunt: *lapidem fundit* terra *aeneum.* Aliqui יְצוּק pro Participio *Pahul* verbi יָצַק habent. Ita et A. Schultens, qui illa dictione *fusum conflatumque metallum* notari existimat, et quidem ἄπαξ λεγόμενον illud esse vult, ut sit: *fusum quid, massa fusa.* Hinc vertit: *et lapis fusilis, aes*, repetas, *ex terra tollitur*, ut sit periphrasis *aeris*, et alludi simul ad matricem ejus, lapidem aerosum. Sed *lapis fusilis* rectius אֶבֶן יְצוּקָה diceretur; et omnis haec interpretatio coactior est. Praestat, יְצוּק pro tertia Futuri Cal verbi צוּק, i. q. יָצַק, habere, ut et infra 29, 6. occurret. Haud moror veterum interpretum inter se discrepantes versiones, in quibus excutiendis per totum hoc Caput otium nobis fecit Pareau.

3. קֵץ שָׂם לַחֹשֶׁךְ *Finem ponit tenebris* sc. homo (is enim, ut ex tota sequentium serie patet, intelligendus), aperiendo viscera terrae, luci subjicit loca prius ei inaccessa, minuitque tenebrarum spatia, lampadibus, quae horrorem subterraneae noctis in fodinis discutiant, et metalla eruentibus praeluceant. לְכָל־תַּכְלִית *Ad omnem consummationem* scil. חֹשֶׁךְ *tenebrarum*, qua significantur extremi earum limites infra terram. Cf. 26, 10. אֶבֶן אֹפֶל וְצַלְמָוֶת *Lapidem* usque *caliginis et umbrae mortis*, i. e. ad lapides densissimis obductos tenebris, et sub terra altius abstrusos. Describuntur infimae montium cavernae, siliceaeque radices, ad quas homines penetrant.

4. Hunc Versum ad audacissimum illum metalla e visceribus terrae effodiendi laborem esse referendum, suadet universae hujus pericopae series et scopus. Sed quaenam potissimum hujus laboris pars significetur, haud est adeo intellectu facile. Prae ceteris eorum expendi meretur sententia, qui de subitis fluxibus aquarum, quibus metallorum fossores infestari solent, agi volunt. Ac horum quidem aliqui, vocі נָר tributa *fontis* significatione, ab arabico נָרַת *fluxit*, Versum sic interpretantur: etsi *torrentes erumpant* suis *ex fontibus, oblivioni dati a pede*, i. e. nullo humano pede tentati, *attenuantur tamen ab homine* illos exhauriente, ac *mo-*

Digitized by Google

ipsum recte factorum conscientia gaudere; criminum enim conscius si esset, profecto se non tam audacter ad ipsum Numen provocaturum, neque enim profanum hominem a Deo quicquam sperare posse; qua ipsa argumentatione, sed brevissimis verbis, quoque usus est Cap. 13, 16. Nomine צְעָקָה h. l. non *supplicationem*, vel auxilii implorationem, sed clamorem ortum ex sensu doloris intelligi observat.

10. אִם־עַל־שַׁדַּי יִתְעַנָּג Aut *num poterit Omnipotentem delectari?* אִם interrogationem indicat, ut 6, 5. 10, 4. 5. Num cum animi tranquillitate et gaudio unquam Dei meminisse, et fiduciam suam ponere in illo poterit? Schnurrerus haec verba ab Alexandrino monet scite versa: *μὴ ἔχει παῤῥησίαν ἐναντίον αὐτοῦ*, qui similiter 22, 26. habet: *εἶτα ἐν παῤῥησίᾳ ἔσῃ ἐναντι Κυρίου*, et videri omnino hanc significationem *confidentiae* etiam reliquis locis Jes. 58, 14. et Ps. 37, 4. convenientiorem, quam quae huic verbo vulgo tribuitur *delectari Deo*, quamvis fatetur, esse inter utramque non magnum discrimen. יִקְרָא אֱלוֹהַּ בְּכָל־עֵת An (repetito אִם) *invocabit Deum omni tempore?* Male factorum conscientia fiduciam ei eripit, ut ad Deum, quem sibi infensum suspicatur, orare non audeat, nec in angustia sperare ab illo patrocinium possit.

11. Ut eo magis omnem a se amoveret suspicionem, quasi felicitati improborum inviderit, et pietatem suaque deque haberet, jam clarius se explicaturum promittit, quam teneat Deus rationem agendi cum improbis, etiamsi vitam eis concesserit omnibus fortunis abundantem. Verba אוֹרֶת אֶתְכֶם בְּיַד־אֵל non sunt ita vertenda: *docebo vos per manum*, i. e. opem, auxilium *Dei*, quasi, divinitus edoctus, quorsum Chaldaeus tendit; *docebo vos per prophetiam Dei.* Sed praefixum ב ante יד h. l. objecto significando inservit, ut Ps. 63, 7. אָהְגֶּה־בָּךְ *meditor in te*, quasi: cogitationes meae versantur in iis quae ad te pertinent, i. e. meditor de te, s. te. Et eadem, quae hic, verbi nostri constructio Prov. 4, 11. בְּדֶרֶךְ חָכְמָה הוֹרְתִיךָ *sapientiae viam tibi ostendo*, te doceo. Vid. et Ps. 25, 8. 12. 32, 8. Ita et Jobi verba sic erunt reddenda: *docebo vos de manu Dei*, i. e. de iis, quae Deus agere solet, quae in suo regimine rerum humanarum sese manifeste exserunt. Hunc esse genuinum verborum hebraeorum sensum, arguit hemistichium alterum, אֲשֶׁר עִם־שַׁדַּי לֹא אֲכַחֵד *quae sunt apud Omnipotentem, non celabo*, quae sunt recondita apud eum consilia. עִם *apud*, ut 12, 16. 15, 9. 23, 14.

12. Non opus mihi erit hac in re prolixa probatione, הֵן־אַתֶּם כֻּלְּכֶם חֲזִיתֶם *En! vos omnes vidistis*, sc. quae vobis dicam; ea tantum, quae ipsi experientia estis edocti, vobis a me in memoriam erunt revocanda. וְלָמָּה־זֶּה הֶבֶל תֶּהְגָּלוּ *Quare ergo vanitate vanescitis?* Cur tam vana et falsa affertis de proborum statu felici et lauto, poenis vero impiorum, quibus adversa omnia

Digitized by Google

in terris evenire, iisque vivis ac viventibus praedam suam extorqueri contenditis, ut hinc me omni miseriarum genere afflictum scelerum reum convincatis, quum tamen nemini ad res humanas paulo diligentius attendenti obscurum esse possit, Deum rationes longe alias, quam vos perhibetis, cum hominibus agere solere.

13. זֶה חֵלֶק־אָדָם רָשָׁע עִם־אֵל *Haec portio* est *hominis impii cum Deo*, penes Deum, quam a Deo feret, h. e. quod cum illo lucrabitur pro impietate sua. וְנַחֲלַת עָרִיצִים מִשַּׁדַּי יִקָּחוּ *Et* haec est veluti *hereditas potentum*, quam *ab Omnipotente accipient*. עָרִיצִים h. l. sunt formidabiles, in malam partem, tyranni, qui potentiâ suâ alios opprimunt iisque terrori sunt. Idem Zophar supra 20, 29. dixerat, concludens recensum poenarum, quas impii a Deo ferunt. Nunc ergo in iis, quae sequuntur, Jobus videtur sociorum sententiae accedere, ac dum impiorum poenas enarrat, sibi ipsi obloqui, et propriam sibi causam jugulare, quum antea bonos in miseriis versari, quovis autem scelere contaminatos florere, et hujus vitae bonis ad extremum usque halitum adfluere contendisset. Plerique statuunt haec eo consilio a Jobo afferri, ne, quia supra de felicitate improborum dixerat, propterea pro impio habeatur, quasi istos laudet et sequi velit; nunc igitur eum cum sociis agnoscere, instabilem esse istorum felicitatem eosque poenas tandem acerrimas daturos: nec tamen *semper* hoc fieri, ut dicebant socii, sed de sensu deprehendisse, ut et ipsi deprehendere potuerant, aliter saepe accidere. Sed non quid *aliquando* accidat, aut quid impiis accidere debeat, sed quid plerumque ac ordinario, secundum normam divinae justitiae, fieri soleat, proxima declarat oratio. KENNICOTTUS in *Dissertat. Generali in V. T.* p. 539. seq. ed. Bruns. (Brunsv. 1783. 8.), quae inde ab hoc Versu usque ad Capitis finem leguntur Zopharo conjicit tribuenda esse. „Loquutus est," inquit, „*ter* Eliphasus, cui Jobus *ter* respondit. Loquutus est *ter* Bildad, cui Jobus *ter* respondit. Sed loquutus est Zophar *bis* tantum, nisi tertia vice loquatur, atque hisce verbis. Confusionem hac ratione solvo. In Cap. 25. tertio loquitur Bildad. In Cap. 26. ad 27, 12. tertio respondet Jobus, ideoque series tertiae hujus responsionis nunc interturbatur verbis 27, 1. וַיֹּסֶף אִיּוֹב שְׂאֵת מְשָׁלוֹ וַיֹּאמַר, quae videntur efficere titulum Capitis 28. Finito Jobi ad Bildad responso in 27, 12. Zophar, tertio ferociens, exorditur eo ipso axiomate, quo prius desierat Cap. 20, 29. Cessante Zopharo, fine Cap. 27. *suscipit Jobus suam* de sapientia *parabolam*." Quae nec EICHHORNIO improbabilia visa sunt, vid. ejus *Allgemeine Bibliothek der bibl. Literat.* P. II. p. 616.; in versione tamen vernacula receptum sequutus est textum. Sed ad Kennicotti sententiam suam hujus pericopae interpretationem instituit STUHLMANN (*Hiob, ein religiöses Gedicht, aus dem Hebr. neu übersetzt, geprüft und erläutert*, Hamburg 1804. 8.) p. 157. vers. coll. Animadversa.

Digitized by Google

p. 76. seqq. Verum enim vero, utut speciosa illa sit conjectura, quo minus tamen ei subscribamus, illud nos impedit, quod, ea adscita, et huic Versui verba וַיַּעַן אִיּוֹב וַיֹּאמַר, et similiter Capiti 28. aut verba וַיֹּסֶף אִיּוֹב וַיֹּאמַר, aut, ut Kennicottus vult, ea verba, quae nunc 27, 1. leguntur, praemitti necesse erit. Estne vero credibile, formulas illas, si unquam in textu exstiterint, in his solis, totius libri locis adeo plane evanuisse, ut earum nec vola nec vestigium in versione ulla antiqua, aut ullo in codice deprehendatur? Adde, quod, si hanc pericopam Zopharo tribuas, Jobi, quae sequitur, oratio Cap. 28., nihil continebit, quod ab refutandum adversarium faciat. J. P. Berg in *Specim. Animadvers.* Schultensianae Jobi versioni addito p. 246., ea, quae inde ab hoc Versu ad finem usque Capitis leguntur, existimat esse praecaventis Jobi, ne quid reliquum videretur superesse, quod dictis a se prolatis, denuo, atque tertia jam quoque vice, reponi a Zopharo forte posset. Huic tamen adspectui nimium refragantur, quae Vs. 11. 12. 13. praefationis instar mox dicendis praemittuntur, quibus plane et diserte se velle expositurum dicit, quid ipse sentiat de sorte et conditione improborum, a divina justitia ipsis assignata. Neque difficile adeo est intellectu, quanam potissimum in re a sociis Jobus dissentiat. Contenderant illi, impios semper vivos videntesque scelerum poenas luere, et sic eorum clandestinam impietatem manifestam reddi a justitia divina, etiamsi per aliquod tempus floruerint, hominibusque fuco probitatis et virtutis imposuerint. Quae persuasio fons erat falsae illius suspicionis, quam de Jobi, ex summo felicitatis fastigio tam subito deturbati, sincera pietate conceperant. Ostendit igitur Jobus, solere impios saepissime toto vitae suae cursu florere, per nefas omne ad culmina rerum grassari, eoque in fastigio fortunarum ad mortem usque vigere; nihilominus tamen repositam esse apud Deum vindicem eorum poenam, quum domus injustis artibus ad maximam potentiam provecta post mortem illorum tandem aliquando pejus sit ruitura, quam consurrexerat, ut hac ratione omnibus appareat, quales fuerint isti, qui dum viverent, omnibus redundabant ornamentis. Longe alia Jobi erat ratio. Is enim, adeo nullorum malefactorum sibi conscius, ut iterum iteramque summum Numen innocentiae suae testem provocare audeat, non solum ipse e florentissimo statu subito dejectus, gravissimo morbo intolerandisque doloribus afflictus jacebat, verum et liberis se omnibus et universa sua familia orbatum, ac ita modo plane inaudito se tractatum videbat. Quae omnia tamen non valuerunt probitatis suae conscientiam, suamque justitiae divinae fiduciam vel minimum labefactare; spem potius certissimam retinebat, fore, ut sua innocentia tandem aliquando, et, si non dum inter vivos esset, certe tamen suam post mortem, a justissimo vindice omnibus manifesta reddatur (19, 25. seqq.). Hac igitur ratione longe diversus ab impio, cui nulla ejusmodi spes, quin quaevis infausta ac funesta timenda (supra Vs. 8.).

Digitized by Google

14. Recte observavit A. Schultens, ita digestam esse hanc tractationem, ut *primo* exponantur judicia divina in posteritatem et familiam praepotentem improbi, post mortem ejus inhumatura, ad male parta mala dissipanda; *secundo* depingatur thesaurus, cumulatissimus irae ejusdem in ipsam improbi personam effundendus, statim ad mortem, et ultra eam. Prior pars a Vs. 14. ad Vs. 19. deducitur, posterior a Vs. 19. ad finem Capitis decurrit. Venit ergo primo numerosissima florentissima progenies, quae opulentam patris hereditatem cernens, stabilem sibi potentiam et gloriam despondet. אִם־יִרְבּוּ בָנָיו לְמוֹ־חָרֶב *Si multiplicati fuerint filii ejus, ad gladium* sc. destinati erunt, s. multiplicati erunt, ut gladio perimantur. וְצֶאֱצָאָיו לֹא יִשְׂבְּעוּ־לָחֶם *Et soboles* s. nepotes *ejus* (ut supra ad 5, 25.) *non saturabuntur pane.* Λιτότης, i. e. fame peribunt. Alexandrinus: προσαιτήσουσιν, *mendicabunt*, contra, quam Ps. 37, 25. dicatur, *non vidi justum derelictum, nec posteros ejus quaerentem panem.*

15. שְׂרִידָיו *Superstites* ex posteris *ejus.* Hieronymus: *qui reliqui fuerint ex eo*, sc. a gladio et fame. Verba בַּמָּוֶת יִקָּבְרוּ quidam interpretantur: *peste confecti sepelientur*, ut Chaldaeis *pestis* dicitur מוֹתָא, quod 2Sam. 24, 13. pro hebraeo דֶּבֶר in versione Chaldaica exstat. Alii: *in* ipsa *morte sepelientur*, i. e. subito, *cum vix exspiraverint.* Rectius alii: *dum moriuntur, erunt simul sepulti*, nec aliam habebunt sepulturam, quam mortem; mors ipsis erit sepultura, quatenus vel obruantur, vel morgantur, vel devorentur, vel absorbeantur. Ita Vavassor: „Est haec propria insepultura. Mors illos sua sepeliet, nihil praeterea honoris supremi consequuturos. Vult enim, mortem iis futuram pro sepultura, quasi qui inhumati projiciantur, aut jaceant sane inopes et infleti: quorum interitum honore sepulturae cognati, affines, ipsae conjuges, carere patiantur.“ Eidem impiis minatur Jeremias, 8, 2. 14, 16. 16, 4. 6. 22, 18. 19. Huic expositioni bene concinit posterius hemistichium: וְאַלְמְנֹתָיו לֹא תִבְכֶּינָה *et viduae ejus*, non impii patris, sed uniuscujusque superstitum ejus (שְׂרִידָיו), i. e. eorum *non plorant*, non honestam habebunt sepulturam, ad quam pertinent etiamnum in Oriente mulierum planctus et naeniae, vid. Amos 5, 16. 17. cf. Jahn *Bibl. Archäologie* P. I. Vol. II. §. 241. p. 539.

16. אִם־יִצְבֹּר כָּעָפָר כָּסֶף *Si congregaverit ut pulverem argentum*, eadem formula exstat Zach. 9, 3., quae haud dubie proverbialis. Additum ibidem: *et sicut lutum platearum aurum*, pro quo nostro loco: וּבְחֹמֶר יָכִין מַלְבּוּשׁ et si tanta copia quanta *lutum paraverit vestimenta.* Non solum aurum, argentum, et gemmae, sed etiam vestes a veteribus in thesauris recondebantur. Vid. Esr. 2, 69. Neh. 7, 70. Proinde a Virgilio *Aeneid.* Lib. IX. Vs. 26. describitur Messapus: — — — *dives pictaï vestis et auri.* Et, Susis captis, Alexander, referente Plutarcho, in regiis

Digitized by Google

thesauris reperit *πορφύρας Ἑρμιονικῆς τάλαντα πεντακισχίλια, συγκεκμένης ἐξ ἐτῶν δέκα δέοντων διακοσίων, purpuras Hermionicas talenta quinque millia, quae annos decem minus ducentis ibi reposita fuerat.*

18. בָּנָה כָעָשׁ בֵּיתוֹ *Aedificat ut tinea domum suam.* Tineae domus est tenuis quidem folliculus, in quo tinea veste conditur; ille tamen mox disperit, ubi primum ab homine vestis excutitur. Tam facile ac repente domus ac familia impii corruit, etiamsi vivo ac vidente raptore steterit ac durarit, sine metu ruinae. Alii similitudinem in eo positam existimant, quod sicut tinea rodendo sibi aedificat domum, damnoque ac dispendio alterius suum sibi domicilium exstruit, quod tamen in se est ruinosum, atque intus velut erosum; ita et impius alienas res corrodendo et vorando domum suam erigere ac stabilire moliens, eandem simul demoliatur, opibus et fortunis, quas injuste corrasit, excutiendus. עָשׁ est *tinea*, ut supra 13, 28. Jes. 50, 9. 51, 8. Ps. 39, 12. In altero hemistichio similiter depingit cladem et subversionem posteris impii incumbentem, in quorum ruinis appareat, omnem illam fortunam domus opulentae, ad instar levidensis casulae, sponte corruere: וּכְסֻכָּה עָשָׂה נֹצֵר *et sicut tugurium*, quod *fecit custos* agrorum, ut pergulam, quam ad breve tempus sibi facit ὀπωροφύλαξ, ita domus improbi erit. Custodes fructuum tuguria ex levi materia compingunt aestate, dum fructus pendent. Cf. not. ad Jes. 1, 8. et NIEBUHRII *Descript. Arab.* p. 158. Haec collectis fructibus diruuntur vel negliguntur, et hyeme ac pluvia superveniente facile, ac velut sponte sua, corruunt. Similiter domus improbi sua post fata mox collabitur. נֹצֵר Chaldaeus bene נְטַר פֵּרֵי *custos fructuum* reddidit.

19. Hoc Versu plerique existimant hoc dici, diviti, quando cubitum it, bonorum suorum integram constare possessionem, quando vero mane expergiscitur, nil ex iis superesse, eumque se omnibus exutum et spoliatum videre. יִשְׁכַּב ex proprietate vocis reddunt: *it cubitum*, *ad somnum in lecto se componit*, cui ex opposito respondeat עֵינָיו פָּקַח *oculos aperuit*, e somno mane excitatus scilicet. וְאֵינֶנּוּ vero *sublatus est*, et אֵין substantive, ut supra 6, 21. 11, 11., *Nihil* vertunt; unde haec prodit sententia: Impius dives it cubitum, absque ut aliquid ablatum sit; sed ubi oculos suos aperit, nihil adest. Sive, ut Schnurrerus eundem sensum expressit: *dives est, quum cubitum it, nec quidquam ablatum; evigilat, et nihil superest.* Sententia per se quidem bona, sed quae pro hac serie languidior est, nec Jobi instituto satis congruit. Id requirit potius, ut יִשְׁכַּב de *morte* accipiatur, ut supra 3, 13. 24, 12. Ps. 41, 9. 88, 6. Jes. 14, 18. 57, 2. לֹא יֵאָסֵף *Non colligetur* sc. in sepulchrum, non sepelietur cum honore in monumentis majorum. Plene phrasis exstat Gen. 25, 8. 49, 29. *colligi ad populos suos*, sive, ut Jud. 2, 11. dicitur, *ad*

Digitized by Google

patres suos. Plenius 2 Reg. 22, 20. אֹסִפְךָ עַל־אֲבֹתֶיךָ וְנֶאֱסַפְתָּ *colligam te ad patres tuos, et colligeris ad monumenta tua.* Absolute, ut hic, Num. 20, 26. Jes. 57, 1. Describitur igitur nostris verbis subita, violenta et ignominiosa impii mors: *dives obcumbet*, mortem oppetet, *nec sepelietur*, esca feri volucribusque rapacibus. Idem exitus malis denunciatur Jerem. 8, 2. לֹא יֵאָסְפוּ וְלֹא יִקָּבֵרוּ *non colligentur* in monumentis majorum, *nec sepelientur, sterquilinium in superficie terrae erunt.* Et Ez. 29, 5. *In agro*, i. e. sub dio *cades*, לֹא תֵאָסֵף וְלֹא תִקָּבֵץ *non colligeris nec congregaberis* majoribus in sepulchro; *feris terrae, et avibus coeli in escam te tradam.* Pro יֵאָסֵף in Cod. Cassellano et duobus de Rossii codd. legitur יֵאָסֹף, et in uno Kennicotti plene יאסוף. Active vertit quoque Alexandrinus: *καὶ οὐ προσθήσει, et non adjiciet*, sc. colligere. Sed recepta scriptura praeferenda. Repentinum inopinatumque occasum, qui impium cum maxime opulentia omni circumfluentem tollit, depingit alterum hemistichium: עֵינָיו פָּקַח וְאֵינֶנּוּ quum *oculos suos* quis *aperuerit, non amplius aderit*, intra oculi momentum perit; media ex opulentia et felici omnium rerum abundantia abripitur, omnia relinquere coactus. Cf. Ps. 49, 18. Luc. 12, 20. Subitam impiorum mortem superius passim, ut 21, 30. sqq. 24, 19. sqq. nimio disputandi ardore et vi concitati affectus abreptus, ut *εὐθανασίαν* et partem felicis istorum sortis non sine exaggeratione descripserat. Illa nunc sedatiori animo tractat, repentinum improbi letum ut maxime sibi terribile depingens.

20. Pluribus describitur gravis improbi florentis ruina, per necopinata Dei judicia, fluminis, vel venti instar, eum opprimentis, ut ludibrium et exemplum simul fiat orbi terrarum. Cum minime putaverit, mediis in lautitiis, subito profligabitur. תַּשִּׂיגֻהוּ כַמַּיִם *Consectantur*, et apprehendunt *eum instar aquarum*, celerrime et inopinato irruentium, ut effugere non liceat, *terrores*, mors cum suis terroribus, cf. supra 18, 14. Ps. 73, 15. — לַיְלָה גְּנָבַתְהוּ סוּפָה *Noctu*, quum securus quieti se dederit, *furtim* quasi, *abripiet ipsum turbo*, nil tale opinantem rapit, et in exitium propellit. Eadem formula supra 21, 18. usurpata.

21. יִשָּׂאֵהוּ קָדִים וְיֵלֵךְ *Tollet eum eurus, et abibit*, tempestas suppliciorum divinitus ingruentium subito correptum istum hominem rotabit, et in perniciem abripiet. יֵלֵךְ *Ire* h. l. absolute pro *perire*, ire in maximam malam rem, ut Jes. 50, 11. et alias. קָדִים recte ab Hieronymo *ventus urens*, et ab Alexandrino *καύσων* redditum. „Allusum enim ad *ventum urentem* et venenatum, quem Arabes סָמוּם *Samûm* vocant, et חָרוּר *Hharûr*, cum hoc tenui discrimine, quod חָרוּר a *calore adurente*, חָרַר, nomen trahens, *nocturno* potius *vento* tribuatur; ut סמום *pestifer* et *siderator*, שָׁמֵם *diurno* magis competit. Uterque dicitur שָׁעַר *percutere venenato aestu*, et vocabulo שְׁעָרָה in Sacris passim

Digitized by Google

designatur. Hujus pestiferi venti creberrima mentio in Itinerariis eorum, qui Orientem peragrarunt; unde discimus, non solum momento perimi, qui eo adflantur, sed et corpora eorum horrendum plane in modum foedari, nigrescere, computrescere." A. Schultens. Multa de hoc vento ex Itinerariis congessit Oedmann *in den Vermischten Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heiligen Schrift*, P. IV. Cap. 1. Cf. not. ad Jes. 27, 8. וִישַׁעֲרֵהוּ Hieronymus bene: *et velut turbo rapiet eum* reddidit. Cf. Ps. 58, 10. coll. 148, 14. ש pro ס, ut supra 9, 17. 24, 2. Alexandrinus: *καὶ λεκμήσει αὐτόν*. Matth. 21, 44. מִמְּקוֹמוֹ *E loco suo*, in quo antea stabat, quemque se obtenturum sperarat, ut supra 8, 18.

22. וְיַשְׁלֵךְ עָלָיו *Et projiciet* sc. Deus (cujus nomen in hoc libro saepius jam vidimus omitti, ubi orationis series illud subaudiendum ostendit) *super eum* sc. רָעוֹת *mala* illa et infortunia quibus repente opprimitur, וְלֹא יַחְמוֹל *nec parcit* illi, ut nullius fuerat misertus, ita et sine misericordia passum dabitur. Alii ad יַשְׁלֵךְ e Versu superiori subaudiunt קָדִים, ut sit: *projiciet se ventus*, i. e. irruet *in eum*. Schnurrerus מְקוֹמוֹ itidem ex Vs. 21. subaudiendum censet. „Locus, inquit, in quo versatur impius, is est, qui persona induitur hominemque suis manibus sursum vibrare dicitur, hoc modo: *eumque locus suus sursum projicit inclementer, ut e manibus ipsius evolet;* quae quidem figura, quanquam audacior, minime incredibilis videri potest, quum Hebraeis saepiuscule *locus agnoscere* vel *abnegare aliquem*, imo pedestri adeo oratione, Levit. 18, 25. 28. *evomere terra suos incolas* dicatur. Dubito tamen an יַשְׁלֵךְ עָלָיו verti possit: *sursum projicit:* nec *loco manum* tributam esse a poeta, mihi persuadere possum, ne quidem tum, si prosopopoeia illa usus esset. Multo concinnius videtur, suffixum ad מִיָּדוֹ ad Deum referri, hoc sensu: *a manu Dei fugiet* perimente, quam tamen non effugere potest. Alii *aufugiendi* verbum h. l. capiunt *evanescendi* notione (cf. supra 9, 25.), ut haec sit sententia: manus Dei efficiet, ut aufugere, i. e. interire et prorsus disparere cogatur.

23. יִשְׂפֹּק עָלֵימוֹ כַּפֵּימוֹ *Plaudet*, complodet, *super illis* impiis, super eorum repentina ac ignominiosa ruina *volas suas* sc. unusquisque, visa impiorum ruina laetitiam animi testans ac demonstrans. Cf. Thren. 2, 15. Nah. 3, 19. יִשְׂפֹּק cum *Sin* i. q. יִסְפֹּק supra 20, 22. Ad quod subaudiendum est Participium ejusdem verbi, ut impersonaliter sit exprimendum, ut supra 4, 19., et h. l. in altero hemistichio, וְיִשְׁרֹק עָלָיו מִמְּקוֹמוֹ *et sibilabitur super eum e loco suo*, ex ipso illo loco, quem coactus est relinquere. Vel: super eum *e loco suo* dejectum. Sibilum, irrisionis signum, ut Jer. 25, 9. 49, 17. 50, 13. Zeph. 2, 15. Suffixum מוֹ in hoc Versu repetitis vicibus usurpatum, collective est capiendum. Gaudentibus et irridentibus omnibus occidit impius, post vitam

Digitized by Google

felicissime lautissimeque transactam gravissimo mactatus exitio, in quo omnes supplicium a Deo scelerum vindice illi inflictum agnoscunt. Contra pius si vel maxime, dum vitam agit, a Deo affligatur et iniquo ac inhumano vulgi judicio ut impius condemnetur, certissimam tamen alit spem, fore, ut aliquando tandem justissimum Numen suam innocentiam sit omnibus patefacturum.

Cap. 28. In hujus Capitis nexu cum superiori constituendo magnopere laborarunt interpretes, quorum varias valdeque inter se discrepantes opiniones recensuit expenditque A. Schultens. Ea tamen sententia, quae plurimorum tulit calculos, huc redit, demonstrare Jobum hac pericopa, providentiae divinae rationes ab homine penetrari non posse: penetrare quidem eum terrae viscera, et abditissima quaeque scrutari, sed sapientiam in arcanis Dei consiliis positam, cur boni adfligantur, mali laute et feliciter vivant, ab hominibus pervestigari minime posse. Sed oculos retorquenti ad ultimam Capitis clausulam, et colophonem veluti ante dictorum: *dixit homini, ecce timor Dei sapientia est*, haud potest obscurum esse, agi toto Capite de sapientia, non Dei ipsius, sed hominis, quam nempe, Deo monstratore, acquirit, quaeque ab ipso revelata, ipsius quoque donum est (cf. Jacob. 1, 5.). Ea est, quae insigni prosopopoeia hic inducitur, tanquam, a mortalium oculis longe seclusa, atque immensum dissita, imo eorum pedatui inaccessa, acerrimisque conatibus impervestigabilis, quamvis terrarum mariumque abditissimos sinus eorum labor impiger, vigilque industria permeaverit. Praeclarum autem illud Sapientiae aut verae Religionis encomium, etsi tanquam πάρεργον ultra seriem orationis excurrere videtur, minime aberrat a scopo, neque est, quod hic de nexu admodum laboremus. Nempe Jobus in eo erat, ut omnem suspicionem irreligiosi animi a se depelleret, cui ansam praebuerat superior circa bonorum et malorum conditionem disputatio. Id jam luculenter facere inceperat praecedenti Capite, quo hypocritarum poenas describit et exitium miserum; quibus scilicet, ex veri boni contemtu, sola hujus mundi caduca bona sunt in pretio. Nunc quodnam sit summum illud bonum, quae vera Sapientia mortalibus caecis incognita; quave via ad illam contendere detur, demonstrat: *Undenam Sapientia, aut quae sedes intelligentiae?* (Vs. 12.). Omnibus divitiis, fluxis et evanidis illis, possessio praeponderat sapientiae, quae in pio Dei cultu et fuga mali est posita. Ea hic inducitur tanquam persona quaedam, sedes incolens mortalibus ignotas, et nisi ducem viae Deus se praestiterit, inaccessas. Non enim patet hominibus, qui viscera terrae pervestigant, ex imisque tenebris abditissimas ejus opes eruunt, nec volucribus, quamvis volatu quaquaversum ferantur, et summa aeque petant atque ima; sed illius ab uno Deo notitia petenda est. Erudito et copioso Commentario hoc Caput illustravit Pareau ad calcem *Commentationis immortalitatis et vitae fu-*

Digitized by Google

turae notitiis rel. *(Sermo Jobi de sapientia, mortuis, magis cognita quam vivis, sive Jobeidis Cap.* 38.) p. 229. seqq. Ex Viri Doctissimi sententia et Zophari tantopere sibi arrogantis sermo, et quaecunque praeterea cum hic, tum ceteri etiam duo censores de regimine divino protulerant audacius, et quae praesertim in tertio certamine temere arripuerat Bildadus ex commenticia Eliphasi auctoritate, haec igitur cuncta Jobum eo tandem permovisse censenda sunt, ut regimen illud a mortalibus pervestigari non posse, de industria ostenderet. „Hoc autem," pergit, „fecisse mihi videtur Capite 26. et 28., quae duo Capita arctissimo et argumenti et consilii et ipsius adeo quoque sermonis nexu ita conjuncta esse arbitror, ut Caput 27. alieno inter utrumque loco positum sit. . . . . Sic enim, qui Capite 26. ex incomprehensae magnitudinis divinae consideratione ratiocinatus fuerat Jobus de regiminis divini cognitione homini non concessa, eundem jam Capite 28., ex irritis conatibus mortalium, qui aliis quidem rebus et difficillimae inquisitionis et maxime pretii detegendis comparandisque idonei sint, huic vero se prorsus impares animadvertant, idem conficere, unusquisque sponte agnoscat." Fatetur tamen ipse Vir Doctissimus, se nullam hujus transpositionis auctoritatem proferre posse sive ex codicibus Mss., sive ex vetustissimis versionibus. Neque videtur nobis ea transpositione opus esse, si Capitis 27. et 28. nexum eum statuamus, quem supra exposuimus.

1. כִּי h. l. non rationem proximorum indicat, sed latine est *sane*, *profecto* reddendum, ut alias initio sermonis, veluti Jes. 15, 1., ad quem loc. vid. not. edit. tert. מוֹצָא, propr. *exitus*, *egressio*, *locus*, *unde quid egreditur* (cf. not. ad Ps. 65, 9.), h. l. notat argenti *venam (einen Gang)*, e qua e terra eruitur. Alexandrinus: *τόπος ὅθεν γίνεται*. Nomini מוֹצָא in altero hemistichio ut *ἀοδύναμον* respondet מָקוֹם *locus*, domicilium quasi, locus natalis, Prov. 27, 8. Ante יָזֻקּוּ multi subaudiunt אֲשֶׁר בּוֹ vel אֲשֶׁר שָׁם, ut sit: *est locus auro, in quo liquant*, i. e. liquatur, tertia Pluralis impersonaliter accepta, ut Hieronymus: *auro locus est, in quo conflatur*, quasi indicetur auri natalis generatio et officina subterranea. Sed quum verbum זָקַק de auro *liquato* ab aurifice, et ab aliis metallis ac faecibus separato purgatoque dicatur (Ps. 12, 7. Mal. 3, 3. 1 Chron. 28, 18. 29, 4.); rectius simpliciter אֲשֶׁר subauditur, *est vena argento, locus*, patria *auro*, quod *conflant* mortales. זָקַק ad utrumque metallum est referendum, quod hominum industria e terrae visceribus eruitur, et ab ipsis coctum tusumque suos in usus convertitur.

2. מֵעָפָר יֻקַּח *Ferrum ex terra sumitur*, expromitur, educitur. עָפָר h. l. *humus*, *terra*, ut supra 5, 6. 8, 19. Alterum hemistichium, וְאֶבֶן יָצוּק נְחוּשָׁה, sunt qui ita vertant: *et lapis fundit aes*, sensu quidem per se bono, sed quem non admittunt verba hebraea, quae, si illum voluisset vates exprimere, potius

Digitized by Google

ita essent sonatura: וְאֶבֶן תָּצוּק נְחֹשֶׁת, nam אֶבֶן, quod est feminei generis, ejusdem quoque generis verbum requirit, et נְחוּשָׁה, quod h. l. exstat, non est proprie nomen substantivum (etsi infra 40, 18. 41, 19. substantive usurpetur), sed femininum adjectivum, cujus masculinum נָחוּשׁ supra 6, 12. aderat, cum substantivo feminino אֶבֶן jungendum, ut 2 Sam. 22, 5. קֶשֶׁת־נְחוּשָׁה *arcus aeneus*. Igitur hebraea ita sunt transferenda: *et lapidem fundit aeneum* sc. fundens s. homo, i. e. lapidem aes continentem liquat homo, et sic ex eo aes elicit. Quem ipsum sensum eleganter Hieronymus expressit: *et lapis calore solutus in aes vertitur*. Syrus: *et ex lapidibus funditur aes*. *Aes* enim, ut ait Plinius *Hist. Nat.* 34, 1. et 36, 27., *fit ex lapide aeroso, quem vocant Cadmiam; et igne lapides in aes solvuntur*. Minus commode alii, subaudito עָפָר ex priori hemistichio, verba sic reddunt: *lapidem fundit* terra *aeneum*. Aliqui יָצוּק pro Participio *Pahul* verbi יָצַק habent. Ita et A. Schultens, qui illa dictione *fusum conflatumque metallum* notari existimat, et quidem ἄκλιτον illud esse vult, ut sit: *fusum quid, massa fusa*. Hinc vertit: *et lapis fusilis, aes*, repetas, *ex terra tollitur*, ut sit periphrasis *aeris*, et alludi simul ad matricem ejus, lapidem aerosum. Sed *lapis fusilis* rectius אֶבֶן יְצוּקָה diceretur; et omnis haec interpretatio coactior est. Praestat, יָצוּק pro tertia Futuri Cal verbi צוּק, i. q. יָצַק, habere, ut et infra 29, 6. occurret. Haud moror veterum interpretum inter se discrepantes versiones, in quibus excutiendis per totum hoc Caput otium nobis fecit Pareau.

3. קֵץ שָׂם לַחֹשֶׁךְ *Finem ponit tenebris* sc. homo (is enim, ut ex tota sequentium serie patet, intelligendus), aperiendo viscera terrae, luci subjicit loca prius ei inaccessa, minuitque tenebrarum spatia, lampadibus, quae horrorem subterraneae noctis in fodinis discutiant, et metalla eruentibus praeluceant. לְכָל־תַּכְלִית *Ad omnem consummationem* scil. חֹשֶׁךְ *tenebrarum*, qua significantur extremi earum limites infra terram. Cf. 26, 10. אֶבֶן אֹפֶל וְצַלְמָוֶת *Lapidem* usque *caliginis et umbrae mortis*, i. e. ad lapides densissimis obductos tenebris, et sub terra altius abstrusos. Describuntur infimae montium cavernae, siliceaeque radices, ad quas homines penetrant.

4. Hunc Versum ad audacissimum illum metalla e visceribus terrae effodiendi laborem esse referendum, suadet universae hujus pericopae series et scopus. Sed quaenam potissimum hujus laboris pars significetur, haud est adeo intellectu facile. Prae ceteris eorum expendi meretur sententia, qui de subitis fluxibus aquarum, quibus metallorum fossores infestari solent, agi volunt. Ac horum quidem aliqui, voci גָּר tributa *fontis* significatione, ab arabico גָּרָה *fluxit*, Versum sic interpretantur: etsi *torrentes erumpant* suis *ex fontibus, oblivioni dati a pede*, i. e. nullo humano pede tentati, *attenuantur tamen ab homine* illos exhauriente, ac *mo-*

Digitized by Google

ventur, i. e. abeunt, evaneseunt: cum repente stagnat specus metallica, et cuniculi irrumpentibus aquis inundantur, ea est ars et sapientia hominis, ut etiam profundissimas aquas exhauriat, et specus arefaciat. Nescio tamen, annon opera illa, qua aquae subterraneae machinarum ope ex metalli fodinis educuntur, plus requirat artificii, atque scientiae, praesertim Mechanices atque Hydraulices, quam ab illius minus excultae aetatis hominibus, artiumque omnium infantia, jure potest exspectari; quum nec multo seriore, Plinii, aetate, istiusmodi machinationes videantur cognitae fuisse. Certe nulla illarum mentio facta Libro 33. suae *Historiae Naturalis*, ubi multus est in describendis variis metallicorum laboribus. Simpliciter de hominibus ad metalla quaerenda in terrae infima sese demittentibus nostrum locum intelligere praestat. Hinc interpretationibus reliquis omnibus praeferendam duco eam, quam A. Schultens dedit: *rumpit* homo *alveum de pede montis; illi vero oblivioni traditi a pede, extenuantur prae homine, vagantur.* Quam interpretationem et ego meam facio, nisi quod in primo membro voci גָּר non censeo tribuendam esse notionem arabici גַּר *pes montis* (proprie *syrma ejus*, a גָּרַר *traxit, trahendo post se duxit*), quam nostro vocabulo Schultens vindicare studuit, et recepit quoque Michaelis in *Supplemm.* p. 364. Sed locis reliquis omnibus, V. T., quibus גָּר legitur, est vel tertia Praeteriti, vel Participium verbi גּוּר, quo non solum *peregrinari*, verum et *commorari, versari* significare constat. Ita Jes. 11, 6. וְגָר זְאֵב עִם־כֶּבֶשׂ *versatur lupus cum agno.* Et nostrum מֵעִם־גֵּר breviter dictum esse videtur pro מִמְּקוֹם שֶׁהָיָה גֵּר בּוֹ הָאָדָם *ex loco, quo versatur homo*, ut significetur, quod calcamus et super quo gradimur, solum, terrae superficies, inde ex qua noster ait hominem *vallem* s. *alveum, canalem perrumpere* (פָּרַץ נַחַל), quo non incommode designantur *canales deorsum acti*, quos sibi homo in montibus metalliferis effodit, quibusque aditum sibi parat ad terrae penetralia. פָּרַץ h. l. *transitive* capiendum, ut Gen. 38, 29. 2 Sam. 5, 20. Ps. 60, 3. Reliqua hujus Versus videntur de *fossoribus desidentibus in profundum*, postulante id serie, accipienda esse. Et ad verba quidem הַנִּשְׁכָּחִים מִנִּי־רָגֶל *oblivioni dati a pede*, quod attinet, patet Schultensiana conjectura, pingi illis fossores funibus suspensos et demissos in fodinas, ut jam altum quandam similitudinem induant, non sursum, sed deorsum volantium. Ea imagine usus Plinius *Hist. Nat.* L. XXXIII. Cap. 4. §. 21. *Alibi rupes inviae caeduntur, sedemque trabibus cavatae praebere coguntur. Is qui caedit, funibus pendet, ut procul intuentibus species, nefaria* [al. *ne ferarum*] *quidem, sed alitum fiat. Pendentes majore ex parte librant, et lineas itineri praefigunt. Itur, qua insistentis vestigiis hominis locus non est.* Quibus ultimis verbis describuntur tales, quos, ut noster ait, *pes destituisse*, et *oblivioni dedisse* videtur, quando officium ipsis suum negat, vel praestare nequit

Digitized by Google

in itinere illo subterranee. דָּלוּ מֵאֱנוֹשׁ *Pendent ab homine*, i. e. penduli demittuntur relictis hominibus. דָּלַל i. q. arab. دلا (دلت) *pependit deorsum.* Alias interpretationes vide in Scholiis uberioribus. Cui apprime convenit, quod subjicitur: נָעוּ *nutant*, vagantur, suspensi funibus, in vasto inani sese liberantes. Ita PLINIUS in fodinarum descriptione L. XXXIII. Cap. 4. *Is, qui caedit, funibus pendet. — Pendentes majore ex parte librant.*

5. אֶרֶץ מִמֶּנָּה יֵצֵא־לֶחֶם וְתַחְתֶּיהָ נֶהְפְּכָה כְּמוֹ־אֵשׁ Ad *terram* quod attinet, *ex qua egreditur panis, quod subtus est, subvertitur quasi igne*, i. e. alma mater a mortalibus metallorum venas perrepentibus et rimantibus, ita cuniculis quaquaversum actis suffoditur atque excavatur, ac si per ejus viscera saeviisset flamma. Bene Castalio: „Agunt per magna spatia cuniculos, et terram subeunt, non secus ac ignis facit, ut in Aetna et Vesuvio. Quin etiam occursantes sub terra silices igni rumpunt et aceto, dum illic gemmas et aurum quaerunt homines, quo numquam ullae quantumvis agrestes aut ferae penetraverunt bestiae, sed ne adspexerant quidem perspicacissimae (ut Versu 7. sequitur)." Simili prorsus sententia PLINIUS *Hist. Nat.* Libri XXXIII. initio: *Persequimur omnes ejus* (terrae) *fibras, vivimusque super excavatam. Imus in viscera ejus, et in sede Manium opes quaerimus, tanquam parum benigna fertilique, quaqua calcatur.* לֶחֶם *Panis* h. l. per metonymiam frumentum, ex quo fit panis, vel generatim *victus et cibus*, ut Ps. 14. *Vav* ante וְתַחְתֶּיהָ inservit apodosi, quum nominativus absolutus, אֶרֶץ, praecesserit, plane ut supra 23, 12., ad quem loc. not. vid. אֵשׁ pro בְּאֵשׁ, ut praefixum ב locis innumeris est subaudiendum, vid. NOLDII *Concordantt.* p. 162. ed. Tymp.

6. מְקוֹם־סַפִּיר אֲבָנֶיהָ *Locus sapphiri lapides ejus*, scil. terrae, in terrae lapidibus sapphiri locus natalis; gemmae inter saxa et cautes nascuntur eruunturque. וְעַפְרוֹת זָהָב לוֹ *Et glebae auri ei*, homini, sc. terra praebet, terrae nomen enim latet in suffixo ad אֲבָנֶיהָ. Alii relato לוֹ ad סַפִּיר, haec verba sic reddunt: *cui* (sapphiro) *pulveres sunt auri.* Significari putant certum genus sapphiri, aureis punctis, tanquam pulvere, conspersi, de quo vid. BRAUNIUM *de Vestitu Sacerdot. Hebraeor.* L. II. Cap. 12. p. 537. sqq. edit. sec. Sed *auratilis* ille sapphiri pulvisculus peculiari mentione vix dignus fuerit. Gemmarum miracula, et artificis naturae lusus, hac in parte, si tangere voluisset Noster, et plura, et illustriora dedisset.

7. נָתִיב *Semitam* istam, qua gemmas et metalla scrutatur homo (Vs. 3—6.), s. *semita* est illa, לֹא־יְדָעוֹ עָיִט *quam nox novit volucris rapax*, quod genus omnium est perspicacissimum. Nomini עַיִט, quod non quemvis volucrem, sed praesertim *rapacem* denotat, vid. Gen. 15, 11. Jes. 18, 6. 46, 11., respondet in altero hemistichio אַיָּה, *accipitris minoris* genus, acutissimi visus avis,

Digitized by Google

et propterea ad alias alites venandas adhibita. Vid. BOCHARTI *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 8. T. II. p. 779. seqq. ed. Lips., et not. ad Levit. 11, 14.

8. בְּנֵי־שָׁחַץ aliis sunt *filii elationis* s. superbiae, i. e. ferae superbae, aliis *filii proceritatis*, i. e. ferae proceriores, quae hominem superent mole ac vastitate corporis. Utrumque ex arabico شَحَّ *sustulit se*, *per superiora latus fuit*. Ex eodem fonte tamen et *animositatis*, *ferociae* notio peti potest, ut *bestiae audaciores ac ferociores* designentur. Iis in altero hemistichio speciatim *leo*, שַׁחַל, subjicitur. Ita sicut in Versu superiori in membro priori generale nomen עַיִט, in posteriore speciale אַיָּה commemorabatur, sic in hoc similiter Versu in membro priori totius cujusdam generis animalium nomen, in altero singula quaedam ex illo genere species ponitur. Verbum עָרַר h. l. nequit usitatiore Hebraeis *ornandi* significatu accipi, sed capiendum *transeundi*, *accedendi* significatione, quae Arabibus et Chaldaeis familiarior est, vid. e. c. Dan. 3, 27., cf. Prov. 25, 20., ubi Hiphil hujus verbi legitur *removendi* significatione, derivata a primaria *transeundi* notione.

9. Pergit in depingendis metallurgorum immanibus illis fossionibus in terrae visceribus, per quas montes tanquam a radicibus convelluntur, et durissimae etiam petrae improbo labore evincuntur. חָרִיתָם — בַּחַלָּמִישׁ *In silicem mittit manum suam et evertit e radice montes.* חַלָּמִישׁ notat *silicem*, coll. arabico هَلَمِيسٌ *pyrites*, *silex*, *quo extunditur ignis*, unde in universum de quovis saxo duriore usurpatur. Similiter PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXXIII. Cap. 4. §. 21.: *Cuneis eam* (silicem) *ferreis aggrediuntur, et iisdem malleis; nihilque durius putant, nisi quod inter omnia auri fama durissima est. Peracto opere cervices fornicum ab ultimo caedunt, dantque signum ruinae, eamque solus intelligit in cacumine montis pervigil. Hic voce, ictuve, repente operarios revocari jubet, pariterque ipse devolat. Mons fractus cadit in sese longo fragore, qui concipi humana mente non possit, et flatu incredibili. Spectant victores ruinam naturae.*

10. עֵינוֹ — בְּצוֹרוֹת *In petris rivos diffindit, et omne pretiosum vidit oculus ejus.* Quibus verbis describi videntur *corrugi*, quos vocat Plinius l. c., a *corrivatione*, ut putat, dictos, quum *flumina magno labore et impendio ducuntur in aurifodinas, ad ruinas montium lavandas.* H. S. Reimarus haec eo refert, cum in aurifodinis e scrobibus perterebratis aquae subterraneae erumpunt, quae fossoribus sunt venarum auri vel argenti indices. Haud spernenda A. Schultensii conjectura, figurate forsan prius colon esse accipiendum, ut homo *in rupibus rivos excidere* dicatur, quatenus auri, argentique venas illas divites sibi pretiosum illud metallum fundere cogit. NICETAS in *Catena: Venas quas-*

Digitized by Google

dam auri et argenti, vel materiam aliam metallicam sollicite indagans, lapides curiosius scrutatur, montes perfodit, et quod in fluviorum fundo est, rimatur.

11. Verba מִבְּכִי נְהָרוֹת חָבֹשׁ explicari possunt vel ita: *e fletu flumina ligat*, quod ad metallurgos hoc sensu applicant: e stillantibus guttis colligit metallicus majora fluenta, ad faciendos corrugos. Vel: *a fletu flumina* subterranea *obligat*, s. cohibet, i. e. corrugos pro arbitrio obturat obicibus, ne vel tantillum stillent. בְּכִי *Fletum*, hic pro *stillatione* dici, quomodo et Graeci Latinique suum δάκρυον, *lachryma*, usurpare solent, docet res ipsa.

13. לֹא־יָדַע אֱנוֹשׁ עֶרְכָּהּ *Nescit homo aestimationem ejus.* עֶרֶךְ proprie denotat *collationem* et *comparationem duarum rerum*, ut appareat quaenam melior. Hinc exstitit notio *taxationis*, *aestimationis*, qua indicatur pretium pro aliqua re pendendum (cf. verbum infra Vs. 17.). Ut inaestimabilis est sapientia, ita nullus homo quicquam tam pretiosum noscit, possidet, promere valet, quod ejus עֶרֶךְ *aequivalens pondus*, dici mereatur. Eandem sententiam posterius hemistichium exprimit: לֹא תִמָּצֵא בְּאֶרֶץ הַחַיִּים *non reperitur in terra viventium*, i. e. inter homines, qui hac in terra vivunt ac versantur, Jes. 38, 11. 53, 8. Ps. 27, 13.

14. Insigni prosopopoeia inducuntur abyssus et mare, contestantes solenniter, sapientiam penes se frustra quaeri. Quod si quis in fundum maris profundissimum se demitteret, non inventurus ibi esset sapientiam, ut nec, si vel totam maris amplitudinem pernavigaret.

15. סְגוֹר, sive, ut reliquis locis scribitur, סָגוֹר, *aurum* significare, et h. l. parallelum כֶּסֶף verisimile facit, et certius cognoscitur e locis 1 Reg. 6, 20. 21. 7, 49. 50. 10, 21. 2 Paral. 4, 20. 22. 9, 20., ubi ut adjectivum nomini זָהָב additum. Qua autem ratione differat heic סְגוֹר a reliquis, quae proxime Vs. 16. 17. 19. sequuntur, *auri* appellationibus, dissentiunt. Sunt, qui collato arabico סגר *accenso igne fervefecit olibanum*, vocem nostram *igne probe excoctum* interpretentur, ut *aurum purissimum* significetur. Sed verbum סָגַר apud Hebraeos et Aramaeos constanter *claudendi*, *occludendi* significatum obtinet, ut minime sit rejicienda antiquiorum Lexicographorum sententia, *aurum praestantissimum* esse סְגוֹר s. סָגוֹר ab *includendo* dictum, quod *in thesauros recondatur;* nam et alia *thesaurorum* vel *rerum pretiosarum* nomina apud Hebraeos, ut אוֹצָר, מַטְמוֹן, צָפוּן, sunt a verbis *recondendi*, *asservandi* significatione pollentibus ducta. Et 2 Paral. 3, 4. vocatur זָהָב טָהוֹר *aurum purum*, et Vs. 5. זָהָב טוֹב *aurum bonum*, quod locis supra sub hujus notae initio citatis זָהָב סָגוּר dicitur. וְלֹא יִשָּׁקֵל כֶּסֶף מְחִירָהּ *Nec adpendetur*, s. *adpendi potest*, *argentum* tanquam *pretium ejus*, ut sit ju-

Digitized by Google

stum pretium ejus. Alexandrinus: *καὶ οὐ σταθήσεται ἀργύριον ἀντάλλαγμα αὐτῆς.*

16. לֹא תְסֻלָּה בְּכֶתֶם אוֹפִיר *Non appenditur auro Ophirico.* Verbum סָלָה h. l. ut infra Vs. 19. et Thr. 4, 2. (ubi more Chaldaico סְלָא scriptum) proprie *in altum tollere*, usurpatur de rebus ponderandis, quae in trutinam elevantur, hinc *in libra adpendere.* Diversa plane, *rejiciendi* notione, idem verbum Thren. 1, 15. Ps. 119, 118. (vid. not. ibid.) usurpatur. כֶּתֶם aliud *auri* nomen, quod num a *recondendo* (Arabicum enim כָּתַם est *abdidit, celavit*), ut סָגוֹר (vid. not. ad Vs. 15.), dictum sit, an vero *a colore fulvo*, ut vult Michaelis, incertum. Hieronymus בְּתֶם אוֹפִיר *tinctos Indiae colores* reddidit (forsan a *maculandi* notione, quam verbum כֹּתֶם apud Aramaeos habet), quibus alii *vestes picturatas*, alii *lapides diversicolorios*, gemmas, intelligunt. De אוֹפִיר vid. not. ad Gen. 10, 28. שֹׁהַם interpretes plures *onychen*, alii *sardonychen* denotare existimant. Sed videtur potius *beryllus* illo nomine designari, quem pro hebraico שֹׁהַם posuit Graecus Alexandrinus Ex. 28, 20. et Ez. 28, 13. et h. l. Chaldaeus. Vid. libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumsk.* P. IV. Vol. I. s. *Bibl. Naturgeschichte* P. I. p. 42.

17. לֹא־יַעַרְכֶנָּה *Non aequabit eam*, pretium aut valorem ejus; cf. de nomine עֶרֶךְ ad Vs 13. זְכוּכִית a זָכַךְ *mundus, purus fuit*, aliis est *adamas*, purissima et nitidissima gemma, aliis *crystallus*, collato arabico زُجَاج, mutatione solenni سو כ in ج, aliis *vitrum*. Videtur utrumque, *crystallum* et *vitrum*, uno nomine זְכוּכִית comprehendi. Complectuntur sane utrumque Arabes suo بَلُّور, observante NIEBUHRIO *Descript. Arab.* Praef. p. XLI.

18. Nomen רָאמוֹת, quod et Ez. 27, 16. inter *res pretiosas* commemoratur, Hebraei *corallia rubra* notare asserunt, quod et Niebuhrio (vid. loc. ad Vs. 17. citat.) Judaeus doctus Mascatensis confirmavit. גָּבִישׁ *crystallum* designare videtur, collato Arabico جَبَشَ, quod idem cum جَمَسَ *concrevit frigore*, unde גָּבִישׁ Ezech. 13, 11. est *grando*. Refert autem PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXXVII. Cap. 2., ex generali antiquitatis opinione *oriri crystallum gelu vehementiore concreto*, additque: *non aliubi arte repetitur, quam ubi maxime hibernae nives rigent; glaciemque esse certum est, unde et nomen Graeci dedere.* Graecum enim *κρύσταλλος glaciem* significare constat. וּמְשֹׁךְ חָכְמָה מִפְּנִינִים *Et extractio sapientiae prae margaritis*, i. e. sapientiae comparatio praestat margaritarum e profundo extractioni. Alluditur enim ad modum, quo margaritae e fundo maris extrahi a veteribus solebant, quod vel urinando vel expiscando per retia factum esse, multis veterum testimoniis docet BOCHARTUS *Hieroz.* T. III. p. 604. sqq. Et sicut Latinis *protrahendi* verbum, ita et Hebraeis vocabulum מָשַׁךְ huic rei proprium esse ostendit. Opera, quae in sapientiae comparatione insumitur, a Jobo vocatur *extractio*

Digitized by Google

sapientiae, manifesta allusione ad hanc, quam descripsimus, vel concharum vel margaritarum extractionem; quae res est operosi plena laboris; sed quae, cum semel ex animi voto successit, insumptae operae non poenitet. Nomen פְּנִינִים semper legitur in *plurali*, quia margaritae in torquibus et monilibus plures conseri solent.

19. פִּטְדַת־כּוּשׁ *Topasius Cuschaeae*, i. e. Arabiae australis, vid. libr. nostr. ad Vs. 16. commemorat. p. 32. בְּכֶתֶם טָהוֹר לֹא תְסֻלָּה *Cum auro puro non appenditur;* de verbo סָלָה vid. ad Vs. 16.

20. וְהַחָכְמָה מֵאַיִן תָּבוֹא *Et sapientia*, sapientia igitur *unde veniet?* וְאֵי זֶה מְקוֹם בִּינָה *Et ubi* est *locus intelligentiae?* Pronomen demonstrativum זֶה interrogandi Particulae subjicitur per emphasin quandam, uti vernaculum *doch*, et similia, ut infra 38, 19. Redit ad id quod supra Vs. 12. dixit, ut tandem Vs. 23. locum doceat, unde petenda sit, et ubi inveniri possit sapientia.

21. וְנֶעְלָמָה מֵעֵינֵי כָל־חָי *Et abscondita est*, quum abscondita sit *ab oculis omnis viventis*, quum omnes mortales lateat, cf. Vs. 13. וּמֵעוֹף הַשָּׁמַיִם נִסְתָּרָה *Et a volucribus coelorum occultata est.* Ne quaeras: quid aves coeli ad sapientiam? Nempe id respondet ei, quod dictum supra Versu 7., *illius semitam ignorat avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Non magis pervia est haec sapientia hominibus ipsis, addit, quibus adeo nihil arduum est, ut in excavatae terrae penitissimis visceribus aurum pretiososque lapillos, per vias ipsis avibus incognitas, exquirant.

22. שְׁמָעָה — אֲבַדּוֹן *Perditio et mors dicunt: auribus nostris audivimus famam ejus.* מָוֶת h. l. non *mortem* ipsam, aut *mortuos*, sed *mortuorum sedes*, infernum, indicat, junctumque cum אֲבַדּוֹן cogitationi subdit loca abditissima, et terrae profundissimo sinu demersa, quae fatentur, ne sibi quidem perspectam esse sapientiam, nec apud se eam esse; ut jam supra Vs. 14. dictum fuerat. Sensus est, sapientiam procul habitare ab hominibus, sedesque e nostris dissitissimas occupare; sic ut in profundissimum terrae barathrum sese penetrantibus tenuis de ea quasi e longinquo rumor, aut levis susurrus ad aures accidat.

23. מְקוֹמָהּ — אֱלֹהִים *Deus solus intelligit viam ejus*, viam qua sit adeunda, *et ipse novit locum ejus, ubi* inveniatur. Non agitur de sapientia, quam Deus in operibus naturae exserit, quae sit hominibus impervia. Frigide enim admodum diceretur mundi opifex, qui per illam, qua pollet, quaeque ipsi innata est, sapientiam, cuncta administrat, *viam nosse*, quae ad eam ducat; aut *scire, ubinam lateat.* Sed de ea loquitur sapientia, qua Deus homines impertit. Nimirum Jobi scopus est, ut ostendat, se longissime abesse ab eo, ut Deum deserat, et ad impietatem prolabatur. Ratio est, quod religio, quae pietatem in Deum, et sanctissimas virtutis omnes leges tradit, vera est hominis sapientia (Vs. 29.).

Digitized by Google

Hanc tamen mortales per se ignorant, saltem pertenui tantum ejus afficiuntur sensu; solus Deus aditum ad eam hominibus ostendere potest, ab hoc uno illius notitia petenda est. Hunc sensum firmat Versus, qui proxime sequitur. Nam cum ibi dicitur Deus obtutu suo ultimas terrarum oras coelique immensa spatia pervadere, id neutiquam Deo propriam sapientiam spectat, quae ipsi cum sit domestica et intima, minimeque extra se quaerenda; sed eam, quae ad homines pertinet, frustra tamen ab iis proprio marte quaesitam.

24. כִּי־הוּא — יִרְאֶה *Nam ipse ad extrema terrae prospicit, sub omnibus coelis videt*, quaecunque sunt sub coelis, itaque nihil ignorat. Ex amplitudine divinae providentiae et potentiae, quae ad fines ultimos terrarum sese extendit, Deum solum viam sapientiae nosse, i. e. eam cognitam et perspectam habere, demonstrat.

25. לַעֲשׂוֹת לָרוּחַ מִשְׁקָל Quum *faceret ventis pondus; tum dixit homini* (Vs. 27.), i. e. jam inde a primo mundi satu, rerumque primordiis Deus homini, religione instituta, verae ac solidae sapientiae lumen impertiit. Qui igitur ad sapientiam penetrare cupit, ad creatorem suum redeat oportet, et primaevae revelationis vestigia relegat. Tum pernoscet, timere Deum, et recedere a malo, eam veram demum esse sapientiam. ל ante עֲשׂוֹת h. l. *quum, quando* notat, ut 2 Sam. 18, 29. לְשַׁלַּח *quum mitteret.* Ex. 14, 27. לִפְנוֹת בֹּקֶר *quum appeteret diluculum.* Vid. et Gen. 24, 63. Deut. 23, 12. Ps. 46, 6. Et h. l. Versu proxime pro לַעֲשׂוֹת est בַּעֲשׂוֹת. Vento *pondus*, מִשְׁקָל, tribuit, quia ille rebus quasi incumbit, et arbores ac plantas versus terram deprimit, tanquam si pondere aliquo premerentur. Sic etiam Plinius *Hist. Nat.* II, 48. *pondus incursumque ventorum* jungit. Pareau sensum hisce verbis inesse dicit: quoscunque habeant vires venti, eae omnes, nec plures nec pauciores ac ipso creatore iis tunc inditae fuere, cum hunc orbem in ordinem redigeret. וּמַיִם תִּכֵּן בְּמִדָּה *Et* quum *aquas libraret mensura*, quum quasi statera appenderet aquam, quam cuique loco attribuit, ut maria et flumina intra certam mensuram certosque fines se continerent. A. Schultens simul *librationem* significari existimat *exactissimam*, qua aquarum infinita illa vis et moles constantissime aequilibrium suum servat, ad legem altitudinis omnem suum motum fluxumque conformare coacta. Qua interpretatione tamen nescio, annon poetae nostro subtilior physices cognitio tribuatur, quam ab illa aetate jure exspectari posset.

26. בַּעֲשׂתוֹ לַמָּטָר חֹק *Quum faceret pluviae statutum*, i. e. quo tempore, quo loco, qua copia, quo fructu et eventu defluere debeat, וְדֶרֶךְ לַחֲזִיז קֹלוֹת *Et viam* quam parat *fulguri vocum*, i. e. tonitruum, ut infra 38, 2. Ex. 9, 23. 28. *Fulgur tonitruum* est fulgur quod tonitrua comitari solent, et quod tonitrua producit. חֲזִיז, praeter h. l. bis tantummodo, infra 38, 25. et Zach. 10, 1. obvium, *fulmen* notat, forsan ab arab. حزّ *fidit, secuit nubes.*

Digitized by Google

27. אָז רָאָהּ וַיְסַפְּרָהּ *Tunc*, quum hanc admirandam rerum universitatem *ordinaret*, *vidit* non solum ipse *eam*, sapientiam, sibi perspectam eam habuit, verum et *enarravit eam*, declaravit et manifestam fecit nobis, ut ex istis operibus suis discere possimus, illum omnium solum esse sapientem. הֱכִינָהּ *Aptavit eam*, ut scilicet res omnes illa aptarentur, ex qua sunt elegantia formae et figurae. Haud tamen rejicienda Doederlinii conjectura, legendum videri חֲבָרָהּ *intellexit eam*, e commate 23. „Respondet enim אֲשֶׁר רָאָה *vidit*. Nemo praeter Deum scit, quid vere sapiens, quid factu optimum sit.“ Cui conjecturae pondus sane haud leve accedit eo, quod ea postea aliquot codicum et librorum editorum, a Kennicotto et de Rossio enumeratorum, consensu firmata est. וְגַם־ חֲקָרָהּ *Quin et pervestigavit eam*, ejus abditissimos et profundissimos sinus pertentatos a se cognitos habuit.

28. Qua vero tunc mortales impertiit sapientia, ut illis proprie destinata et accommodata, in eo est posita, ut revereantur et colant Deum, et abstineant se a malo. Cf. not. ad Vs. 25. Longiore utique circuitione usus Noster, qua ad propositam sibi metam perveniret, quod tamen minime abhorret a veterum, etiam optimorum, scriptorum more, apposite observante Bouillierο. „Miram, profecto, inquit, vim habet haec Orientalium scriptorum methodus, qua rem intentam longa circuitione differunt; fallentes lectoris animum, quasi a scopo aberrarent, ut tanto majori pondere eum percellant, eique altius infigant sua monita. Paris est indolis splendida illa comparatio supra Cap. 6, 15—21. in infidos amicos instituta, ubi luxuriem nonnullam forte reprehendat morosior Criticus. Tales apud Homerum occurrunt innumerae, quas inscite nimis carpsit Perraltus, *syrmaticas* vocans, quasi longum post se syrma traherent; dum revera vis quaedam et venustas propria inest, ut egregie ostendit Boilojus observatione critica in Longinum *sexta*. Nec abludit ab eo, quem memoravimus, figuratae orationis ambitioso circumduetu, visio nocturna, quam sibi oblatam memorat Eliphasus, supra 4, 12. sqq., et tam operose et magnifice describit, in id tantum spectantem, ut Numinis summa puritas et sanctitas adferatur. Prolatis exemplis superadjici potest Oda Horatiana (Epod. 2.): *Beatus ille, qui procul negotiis*, quae nativam rurs deliciarum picturam prima fronte exhibet ac rusticae vitae studia et tranquillitatem unice complecti videtur; cum verum Poetae intentum in fine demum se prodat, deridendi scilicet, in Alphii foeneratoris persona, quaestuosorum hominum vanitatem, qui dum libera otia, et quietem anhelare prae se ferunt, paucorum dierum spatio aegre elapso, ad negotia iterum et quaestum ultro revolvuntur.“

Digitized by Google

JOBUS.

Cap. 29. 30. 31.

Superiori sermone finito, quum videret Jobus, nihil habere adversarios, quod ipsi reponerent, post breve silentium, novam justae suae causae demonstrationem aggreditur, atque omnes praegressas querimonias et contestationes legitimas fuisse ostendere nititur. Eum in finem primo jucundam exhibet picturam pristinae suae felicitatis, qua virtutis et religionis omnis studiosissimus cum Dei tum hominum favorem et approbationem summam expertus fuisset, cum certissima spe, illam felicem conditionem ad finem usque vitae suae duraturam esse (29.). Jam vero omnia contraria sibi evenisse quam quae sperarat, queritur, atque, ut ex ea rerum conversione magis appareat dolendi ac miserendi causa, descriptioni vitae florentissimae et magno cum honore actae subjungit imaginem status sui praesentis tristissimi, quo se objectum dolet ludibriis et vexationibus hominum vilissimorum, quorum et illiberale et stolidum ingenium, et natalium sordes ac vilitatem, et quae ab illis ad ignominiam foeda, ad dolorem acerba pertulerit, ostendit et amplificat. Describit porro vim morbi multiplicem, angores varios, a quibus sic afficitur animus, et corpus attenuatur ac solvitur, ut possit jam haberi mortuus, et vita usque adeo misera cum morte non immerito commutari (30.). Ut vero ostendat, quam immerito talia ac tanta patiatur, adversum socios, qui nunc ex vi malorum Jobo immissorum, improbum eum fuisse pronunciabant, toto Cap. 31. docet, idque jurejurando confirmat, quam in florente statu integraque fortuna religiose vitam instituerit et pie, quam severas leges sibi ipse scripserit, quo minus ullo modo Deum offenderet, quam diligenter castitatem et justitiam coluerit. Ostendit item, quam erga domesticos et peregrinos, turbamque nudam ac famelicam, liberalem se humanumque praebuerit. Quomodo neque in divitiarum magnitudine sibi gavisus fuerit, aut in aliorum, quos infensos habuit, infortunio laetatus. Quorum omnium Deum testem ac judicem esse cupit, et ab alio, judiciali ritu, librum conscribi, quem circumferret

Digitized by Google

et recitaret publice, ut innocentiae suae publicum et illustre testimonium.

Cap. 29, 1. Etsi his verbis, וַיֹּסֶף אִיּוֹב שְׂאֵת מְשָׁלוֹ וַיֹּאמַר *Et addidit Jobus attollere*, perrexit proferre *sententiosam suam orationem* (cf. ad 27, 1.) *dixitque*, significare poeta voluit, Jobum, interposita aliquantula mora subjecisse ea quae sequuntur, ita ut, orationis serie interrupta, penitus necesse non sit, ad eandem referri sententiam; quia tamen attexuntur, aliqua ratione conjuncta esse debent. Sunt, qui putent, enarrationem, quae sequitur, pristini sui status florentis, eo pertinere, quod quum multa graviter et ornate de sua pietate ac de vera sapientia dixisset, quae tamen non excepta essent a sociis ea attentione ac reverentia, quam erant merita, quia ex praesenti Jobi conditione verba ejus aestimabant, jam subeat ejus animum illius temporis recordatio, quo verba sua erant effata atque oracula, omnesque ab ejus ore pendebant. Ac si diceret: utinam Deus pristinas mihi redderet fortunas! majore cum observantia verba mea exciperetis, quam nunc, ob meas calamitates, facitis. Sed affectui Jobaeo magis accommodate videtur, statuere, Jobum crimine impatientiae semet purgare voluisse, depingendo ex quanta gloria et felicitate (Cap. 29.), ad quantam ignominiam et calamitatem detrusus esset (Cap. 30.), citra culpam aut noxam (Cap. 31.); ac proinde mirum non esse, si toties in acerbissimas eruperit querelas de sua sorte.

2. מִי־יִתְּנֵנִי *Quis dabit* s. ponet *me?* i. e. utinam me quis redderet! Optandi formula, ut supra 6, 8. 11, 5. 13, 5. 23, 3. כְּיַרְחֵי־קֶדֶם *Secundum menses antiquitatis*, s. ut Hieronymus, *juxta menses pristinos*. קֶדֶם dicitur *quicquid ante nos*, et tam ad locum, quam ad tempus refertur, unde Oriens קֶדֶם vocatur. Hic de *tempore* capiendum, ut 2 Reg. 19, 25. Jes. 37, 26. 51, 9., et intelligit tempus illud, cum res ipsius felices ac prosperae essent adhuc. Utinam revocare possem pristinos meos dies! In altero hemistichio כִּימֵי est in statu constructo positum ob subaudiendum ante verba אֱלוֹהַּ יִשְׁמְרֵנִי pronomen relativum (ut Ps. 81, 6. 90, 15. 104, 8.): *juxta dies*, quibus *Deus me custodiebat*, quibus me conservabat salvum, et tutum praestabat ab omni malo.

3. בְּהִלּוֹ pluribus est Infinitivus *Hiphil* cum praefixo et suffixo, et absorpto praeformante ה (pro בַּהֲהִלּוֹ) ob celeriorem pronunciationem (ut לִין, בִּין, שִׁית), quod explicant, כַּאֲשֶׁר הָיָה מֵאִיר *cum lucere faciebat*, scil. Deus. Ita Chaldaeus, qui כְּאִנְהָרוּתֵיהּ posuit. Aliis est quidem forma *Kal*, quam vero significatione transitiva h. l. sumendam putant, ut Jes. 13, 10. Sed praestat usitatam intransitivam formae *Kal* notionem retinere, redundante suffixo, ad נֵרוֹ referendo: *quando splendebat ipsa lucerna ejus (Dei)*. Frequentissima haec pronominis suffixi redundantia non Hebraeis modo, v. c. Ex. 2, 6. וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *et adspexit eum, puerum* videlicet. Esth. 7, 5. *Quis est* אֲשֶׁר מְלָאוֹ

Digitized by Google

לִבּוֹ *qui implevit illud cor suum ad agendum ita?* (cf. exempla plura alia in GESENII *Lehrg.* p. 734.), verum et Aramaeis, vid. J. D. MICHAELIS *Grammat. Syriac.* §. 135. p. 288. *Lucernam* Dei appellat ejus favorem, quo velut lucerna in omnibus, quae suscipiebat, aut agebat, ipsi praelucebat, ut omnes difficultates superaret. Cf. 2 Sam. 22, 29. Cur עַל רֹאשִׁי dicatur, vide illustratum supra ad 18, 6., ubi eadem figura. לְאוֹרוֹ Cum *ad lucem* favoris et directionis *ejus* (ut Jes. 60, 3. Ps. 89, 16.) אֲלַךְ חֹשֶׁךְ *ambularem* per *tenebras* adversitatum, ut supra 5, 14.

4. כַּאֲשֶׁר הָיִיתִי בִּימֵי חָרְפִּי *Quemadmodum s. quando fui in diebus autumni mei*, i. e. virilis meae aetatis, qua viribus et auctoritate pollui, sicut autumnus exhibet fructus jam plene maturos et firmiores. Aliis חֹרֶף est *autumnus cum hyeme*, hinc, quia Hebraei aliique Orientis populi ab *autumno* annum incipiebant, et *autumnalia*, fructus, pluviae, alia, illis *πρώϊμα*, *prima*, erant, *juventutem* putant hic חֹרֶף dici, per eam vero allegorice tempus suae felicitatis pristinae volunt designari, quum velut in aetatis flore et vigore esset. Quod tamen artificiosius et longius petitum. Sed de *autumno* et Alexandrinus videtur cogitasse, dum vertit: ὅτε ἦμην ἐπιβρίθων ὁδοὺς, nam *βρίθειν* et ἐπιβρίθειν dicitur *autumnus* jam maturis fructibus *onustus* veluti ac *praegravatus*. Quomodo et Olympiodorus Alexandrini verba exposuit: ὅτε πανταχόθεν ὥσπερ τὰ εὔκαρπα τῶν δένδρων, κατεβαρούμην τοῖς ἀγαθοῖς διὰ πάσης ὁδοῦ, τῇ τε περιουσίᾳ τοῦ πλούτου, καὶ τοῖς κατ᾽ εὐσέβειαν πράξεσιν. בְּסוֹד אֱלוֹהַּ עָלַי אָהֳלִי *Cum esset familiare Dei consortium super meo tabernaculo*, Deo mecum gratiose, tanquam cum familiari agente. De סוֹד *familiari et amico consortio*, vid. not. ad Ps. 25, 14.

5. בְּעוֹד שַׁדַּי עִמָּדִי *Quum adhuc Omnipotens mecum* esset, Chaldaeus: *dum erat verbum Omnipotentis in auxilium meum.* Alexandrinus: ὅτε ἦμην ὑλώδης λίαν, quod Olympiodorus sic exponit: ὅτε τοῦ Θεοῦ ἐπισκοπῆς ἀξιοῦντος τὰ κατ᾽ ἐμὲ, πολλὴν εἶχον τὴν ὕλην τῆς περιουσίας. In quam mentem vetus Latinus interpres: *et essem in abundantia magna.* סְבִיבֹתַי נְעָרָי Cum *circum me pueri mei* essent, i. e. servi, ministri mei, quo significatu נְעָרִים supra 1, 15. 17. Nehem. 4, 10. 17. 5, 10. 16. al. usurpatur. Alii *liberos* h. l. indicari volunt, ut pingatur pater familias, natorum turba circumstipatus. Sed eos si voluisset indicare, poetae, credo, potius dictione בָּנַי utendum fuisset. Magnum famulitium sistit dignitatem et opulentiam.

6. בִּרְחֹץ הֲלִיכַי בֶּחָמְאָה *Quum lavarentur gressus mei lacte spisso.* Describit rerum omnium abundantiam, qua frueretur, quae tanta erat, ut velut pedes in lacte, prae ejus copia, posset abluere. בִּרְחֹץ commodius videtur intransitive, *quum lavarentur*, reddi, quam transitive, *quum abluerem.* חֶמְאָה dictum pro חֲמָאָה

Digitized by Google

elisa tertia radicali א, ut supra 1, 21. in יָצָתִי, vid. ibid. not. Alias enim חֵמָה est *ira*, cui hic nullus est locus. וְצוּר יָצוּק עִמָּדִי פַּלְגֵי־שָׁמֶן *Et rupes* quum *funderet mecum*, i. e. apud me, mecum s. *mihi*, ut recte Hieronymus, *rivos olei*. Rursum olei copia significatur, quasi ut e rupe fontes oriuntur et flumina, sic indidem rivi olei fluerent et funderentur. Sic Moses in Cantico 32, 13. *Sugere fecit eum mel de petra et oleum de silice rupis.* In Syriaca, et quae ex ea expressa est, Arabica versione totus hic Versus desideratur.

7. בְּצֵאתִי שַׁעַר עָלַי־קָרֶת *Quum egrederer* ex domo mea *ad portam super urbe*, i. e. per urbem; ut Zeph. 2, 15. כֹּל עוֹבֵר עָלֶיהָ *omnis transiens per eam.* שַׁעַר *portam*, judicii locum, forum intelligit, quod in portis erat civitatum, cf. not. supra ad 5, 4. בָּרְחוֹב אָכִין מוֹשָׁבִי *In foro paravi sedem meam*, mihi parari jubebam sellam, ubi sederem, ut judici ac senioribus civitatis parari solet. רְחוֹב non tam est *platea*, quam *forum* (ab *amplitudine*, רָחַב, dictum, coll. arab. رَحَبٌ *amplus*, *spatiosus locus*, رَحْبَةٌ *area ampla*, et *subdiale spatiosum*), quod ante portas erat, vid. Neh. 8, 1. 3. Cf. JAHN *Bibl. Archaeologie*, P. I. Vol. I. §. 50. p. 242.

8. רָאוּנִי נְעָרִים וְנֶחְבָּאוּ *Viderunt me pueri*, juniores, *et abdebantur*, abdebant sese, prae metu mei, aut pudore, mihi cedentes, etsi alioqui saepe senectutem contemnere soleant juniores. Jarchius haec cum praecedenti Versu connectit, hoc sensu: quum exiens ad judicium mihi sedem et suggestum parari juberem, me conspicati juniores abscondebant se, mea auctoritate et gravitate commoti. יְשִׁישִׁים קָמוּ עָמָדוּ *Ae senes adsurgebant* et *stabant*, mihi assurgentes adstabant. Utriusque aetatis homines me reverebantur.

9. שָׂרִים עָצְרוּ בְמִלִּים *Principes cohibebant sermones*, bene Alexandrinus: ἐπαύσαντο λαλοῦντες, et Hieronymus: *cessabant loqui.* Tacebant me superveniente, aut sermonem aggrediente. וְכַף יָשִׂימוּ לְפִיהֶם *Et manum ori apponebant*, signum silentii et summae admirationis (vid. supra 21, 5. Prov. 30, 32.), quod sapientiam Jobi verba facientis admirarentur. Sic apud Virgilium (*Aeneid.* 2, 1.) Aenea loqui orso *conticuere omnes*, *intentique ora tenebant.*

10. Verba קוֹל־נְגִידִים נֶחְבָּאוּ sunt qui vertant: *ad vocem ducum* quod attinet, *abscondebant sese;* sed potest et recte verti: *vox ducum abscondebatur*, quasi נֶחְבָּא scriptum sit; Hebraeis enim moris est, ut, ubi duo nomina diversorum generum aut numerorum junguntur, verbum subjectum cum posteriori, non cum priori conveniat, cf. not. ad 19, 15. Vocem abscondebant, continebant, etiam proceres, me loquente aut praesente. וּלְשׁוֹנָם לְחִכָּם דָּבְקָה *Et lingua eorum palato suo adhaerebat* (Ps. 137, 6. Ez. 3, 26.), silebant mihi cedentes, et ex ore meo pendentes.

Digitized by Google

11. כִּי אֹזֶן שָׁמְעָה *Quando auris audiebat*, intelligunt alii: de mea felicitate; alii: de mea auctoritate et sapientia, וַתְּאַשְּׁרֵנִי *tum beatum me praedicabat.* וְעַיִן רָאָתָה וַתְּעִידָנִי *Et oculus, qui me videbat*, auctoritatem et gravitatem meam, *mihi testimonium reddebat*, de mea beatitudine, me beatum exclamans. Itaque et visu et auditione omnes beatum me testabantur, quicunque vel meam famam audiebant, vel me videbant. וַתְּעִידָנִי pro וַתָּעֶד עָלַי *testabatur de me.*

12. כִּי אֲמַלֵּט — עוֹזֵר־לוֹ *Nam eripiebam*, liberabam, *pauperem vociferantem, et parentibus orbatum, atque cui opitulator non fuit.* Hunc sibi honorem tantum habitum, et auctoritatem conciliatam et comparatam sibi fuisse significat non vana quadam opinione, ob potentiam, opes aut ambitionem; sed quod afflictis opem ferret, iis maxime, quibus nihil aliunde opis adesset, in quo ostendebat, se id non lucri causa facere, aut privati commodi; sed quod id ex insigni pietate faceret, quum eos susciperet defendendos, a quibus nullam exspectare posset remunerationem. מְשַׁוֵּעַ *Vociferans* prae oppressione, quum ab alio vis ei et injuria fieret. Syrus *ab oppressione* vertit, quasi מְשׁוּעַ legisset, sive מִשּׁוּעַ *a clamore* propter oppressionem sublato.

13. בִּרְכַּת אוֹבֵד עָלַי תָּבוֹא *Benedictio pereuntis*, perituri, *super me veniebat*, in me redundabat, q. d. is qui periclitabatur, a me liberatus mihi bene precabatur. *Pereuntem* appellat eum, qui morti propinquus erat, damnandus capitis, nisi praesenti ei ope succursum fuisset, vel in quovis alio summo versabatur discrimine. Cf. Prov. 31, 6. — וְלֵב אַלְמָנָה אַרְנֵן *Et cor viduae ovare feci*, moestum viduae animum exhilaravi, eo quod ei subveniebam difficultatibus sub quibus gemebat.

14. צֶדֶק לָבַשְׁתִּי וַיִּלְבָּשֵׁנִי *Justitiam induebam, et induebat me*, ut veste assidue indui quis solet inter homines versaturus, ita ut ab eo non recedat, sic mihi indumenti loco fuit justitia, ei exercendae et observandae jugiter invigilavi, unde et quemadmodum eam indui, hoc est, sectatus sum, et magno studio observavi, sic ea me velut induit, et ornamenti loco fuit. Sunt, qui וַיִּלְבָּשֵׁנִי referant ad posterius hemistichium, ut sit: *et induit me judicium meum tanquam pallium et cidaris.* Ita Alexandrinus: *ἠμφιασάμην δὲ κρίμα ἴσα διπλοΐδι.* Et Hieronymus: *et vestivi me, sicut vestimento et diademate, judicio meo.* Sed praestat, וַיִּלְבָּשֵׁנִי referre ad צֶדֶק, ut reciprocetur oratio, et sit antanaclasis: *justitiam indui, et* ea *me induit*, ut eam sectatus sum, et velut me ea ornare studui, sic et me velut consectata est, ut mihi ornamento esset ipsa, nec magis a me recederet, quam vestis. Fuit, inquit, מִשְׁפָּטִי *meum judicium*, aequitas, quam administrabam, כְּמְעִיל *tanquam pallium*, vestis extima (vid. JAHN *Bibl. Archaeologie* P. I. Vol. II. p. 92.), et ideo con-

Digitized by Google

spicua, וְצָנִיף *et* tanquam *cidaris* aut tiara, diadema, capitis ornamentum, vid. Jahn l. c. p. 122.

15. אֲנִי — עֵינַיִם *Oculi fui coeco, et pedes*, pedum loco *claudo* fui *ego*. *Coeci* et *claudi* figurate haud dubie sunt accipiendi, ut dicat, illis, qui in rebus suis nihil aut parum videbant, mentis et consilii inopibus, viam se commonstrasse, et imbecillos, quos *claudos* dicit, roborasse, suo auxilio suffulcisse et confirmasse. Similiter PHOTIUS *Epist.* 189. *Τῷ ἀδικουμένῳ δίκης ἄλλος ὀφθαλμὸς γενόμενος χεῖρα ἐπίκουρον προτείνων.*

16. Verba וְרִיב לֹא־יָדַעְתִּי אֶחְקֹרֵהוּ plures, post Hieronymum, sic vertunt: *et causam, quam non nesciebam, diligentissime investigavi*, in litem et causam, quam non satis perspectam habebam, diligentius solebam inquirere, nec temere aut praecipitem ferrem sententiam, sed omnibus accurate consideratis pronunciarem. Sed rectius verba redduntur: *litem* ejus, quem *non noveram, perscrutabar*, ignotorum quoque mihi hominum. Personae enim potius est, quam causae; perinde ac praecedentia *miser, orphanus, periturus, vidua, caecus*. Videntur haec contra falsas criminationes, Jobo ab Eliphaso supra 22, 6. factas, directa esse, et nostro quidem Versu illud retundi, quod Eliphasus Nostro objecerat V. 8., eum potentes honorasse, pauperes vero oppressisse.

17. וָאֲשַׁבְּרָה מְתַלְּעוֹת עָוֶל *Confregi* (non brachia pupillorum, ut Eliphasus ipsum insimularat 22, 8. 9., sed) *caninos dentes iniqui*, retundebam violentiam injustorum et rapacium hominum, quos feris comparat, quae dentibus praedam rapiunt. Cf. Ps. 58, 7. Prov. 30, 7. מְתַלְּעוֹת non sunt *dentes molares*, sed, a radice תלע arab. *extulit se, longus fuit*, dentes *prominentes*, i. e. *canini*. וּמִשִּׁנָּיו אַשְׁלִיךְ טָרֶף *Ac e dentibus ejus extrahebam praedam*, eripiebam, quae ille aliis rapuerat, et suis dominis restituebam.

18. וָאֹמַר *Dixi* apud me, ita mecum cogitabam, cum in tanta essem auctoritate, in tanta felicitate versarer, quae mihi ob integritatem vitae contingeret, quam magno studio, et toto pectore tuebar. עִם־קִנִּי אֶגְוָע *Cum nido meo* conjunctus *exspirabo*, i. e. *in nidulo meo*, ut Hieronymus vertit (nam עִם saepius est *in* reddendum, ut Deut. 8, 5. וְיָדַעְתָּ עִם־לְבָבֶךָ *ut cognoscas in corde tuo*, vid. et Jos. 14, 7. Ps. 120, 5.); domi meae moriar tranquille et suaviter. *Nidum* appellat familiam et bonorum affluentiam, qua fruebatur, simulque conditionis securitatem ac felicitatem inacessam, emblemate desumto ex aquilis, in celsissimâ rupe nidulantibus. Cf. Num. 24, 21. Jerem. 49, 16. Habac. 2, 9. Similiter Hesiodus Ἔργα I. Vs. 301. *Βιότου δὲ τέην πίμπλησι καλίην, Ceres victu stipet tibi nidum.* Et Vs. 307. Ὡς κε τοι ὡραίου βιότου πλήθωσι καλίαι, *Sint tempestivo ut victu nidi tibi pleni.* וְכַחוֹל אַרְבֶּה יָמִים *Et tanquam arenam multiplicabo*

Digitized by Google

dies, tam multis diebus vivam, quam copiosa est in maris litore arena, qua similitudine ad multitudinem et copiam designandam saepius utuntur V. T. scriptores, vid. e. c. Gen. 22, 17. Jud. 7, 12. Habac. 1, 9. Simile votum eadem adhibita imagine legitur apud OVIDIUM *Metamorph.* 14, 136. sqq. — — *Ego pulveris hausti Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis, Tot mihi natales contingere vana rogavi.* Sed non est negligendum, quod quidam Hebraeorum חוֹל h. l. de *phoenice* ave intelligendum dicunt, quam ferunt quam diutissime vivere, per mille annos et supra. Vid. BOCHARTI *Hieroz.* P. II. L. VI. Cap. 5. T. III. p. 809. sqq. edit. Lips. Ac si Jobus id significet, quod proverbio jactatur apud Graecos, *se Phoenicis annos victurum* (ἦν μὴ φοίνικος ἔτη βιώῃ, vid. ERASMI *Adagia* Chiliad. II. Cent. I. No. 57.). Certe et prius hemistichium, *cum nido meo moriar*, apprime convenit phoenici, quem senescentem Plinius et alii tradunt casia thurisque surculis constructum nidum replere odoribus et super emori. Itaque et Masora parva ad h. l. notat, וַחוֹל bis inveniri, sed in duabus diversis significationibus; hinc quum Gen. 22, 17. pro *arena* sumatur, hic *phoenicem* sonabit. Et Orientales, s. Naardensis Academiae ad Euphratem doctores, Kimchius observat hic legisse חוּל oum Schurek, ut nempe distinguerent a voce חוֹל *arenam* significante. Phoenicem arborem, i. e. palmam, quam itidem diutissime vivere testantur veteres (vid. Bochart. l. c. p. 813.), intellexit Alexandrinus, qui hunc Versum sic vertit: εἶπα δὲ, ἡ ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος πολὺν χρόνον βιώσω. Hinc Hieronymus: *et sicut palma multiplicabo dies.* Cf. quae de hac re disseruimus in *der bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. P. I. sive: *Bibl. Naturgeschichte* P. I. p. 306. sq. Sed usitatam nominis חוֹל significationem expresserunt Chaldaeus et Syrus.

19. Sunt, qui hunc Versum et proximum per praeteritum exponant: *erat mea radix aperta* et quae sequuntur. Sed videntur hi tres Versus (18. 19. 20.) cogitationem Jobi exprimere *dum in felicitate esset*, et hoc quidem Versu et sequenti causas afferre, cur sibi persuaderet duraturam et perstaturam hanc sibi felicitatem, quod stabilitatis non obscura signa videret. שָׁרְשִׁי פָּתוּחַ אֶל־מָיִם *Radix mea*, inquam, *aperta*, exposita erit *ad aquas*, aquis, et irrigue humori, arboris more. *Radix aperta* dicitur, quae humorem transmittit, ut arbor semper floreat, opposita radici obturatae, quae humorem non transmittit ad truncum et ramos, unde arbor exarescere cogitur. Syrus: *radices meae positae sunt ad aquas.* וְטַל יָלִין בִּקְצִירִי *Et ros pernoctabit in ramo meo.* Recte et apte dicit *pernoctabit*, quod ros noctu decidat. Ut arbor, cujus radices ad aquas patent, et ab aquis vicinis alimentum abunde suscipiunt, non potest non feliciter succrescere, praesertim si desuper etiam ramis ros advenerit, et inferne, et superne nutrita; sic ego mecum reputabam me perpetua

Digitized by Google

hac felicitate fruiturum, quum mea integritas mihi favorem divinum conciliaret et augeret. קָצִיר h. l. est *ramus*, ut supra 14, 9. Ps. 80, 12.; non *messis*, ut supra 5, 5., quae h. l. pro *segete* messi destinata capienda foret.

20. כְּבוֹדִי חָדָשׁ עִמָּדִי *Gloria mea nova* erit *mecum*, apud me, i. e. subinde וּ dies renovabitur; tantum abest, ut imminuatur aut cesset mea auctoritas, et honos, qui mihi habetur ab omnibus, ut in dies magis ac magis augescat et identidem innovetur. וְקַשְׁתִּי בְיָדִי תַּחֲלִיף *Et arcus meus in manu mea immutat*, innovabit, robur scilicet, כֹּחַ, novum subinde robur resumit, velut revirescit. Nam ab arbore metaphora desumta est, quae nutrita revirescit, cf. supra 14, 7. Jes. 40, 31. *Arcu* maxime veteres pugnabant, ideo numquam remissus arcus pro robore et potentia perpetuo vigente sumitur.

21. Redit ad describendam auctoritatem suam, in qua erat apud omnes, de qua supra coeperat dicere. לִי־שָׁמְעוּ וְיִחֲלוּ *Me audiebant et exspectabant*, me omnes attente audiebant, exspectantes ut loquerer, meam sententiam et consilium avide exspectantes. וְיִדְּמוּ לְמוֹ עֲצָתִי *Et silebant ad consilium meum*, cum silentio et taciturni meum exspectabant consilium, quod illis darem.

22. אַחֲרֵי דְבָרִי לֹא יִשְׁנוּ *Post sermonem meum non iterabant*, sc. sermonem, non audebant quicquam reponere iis, quae eram loquutus, sed dictis meis plane acquiescebant. Hieronymus: *verbis meis addere nihil audebant*, quasi vel correcturi aliquid, vel meliora prolaturi. Syrus: *a verbis meis non aberrarunt*. Cepit verb. שָׁנָה *mutandi* significatu, quem chaldaicum שְׁנָא, et hebraicum שָׁנָה in Piel obtinet. וְעֲלֵימוֹ תִּטֹּף מִלָּתִי *Et super eos stillabat sermo meus*, erat illis velut pluvia, tam gratus, ut siccitatis aut aestus tempore hominibus, aut plantis, aut segetibus imber et ros. Sic *stillandi* verbum pro salubria ac utilia proloqui dicitur Deut. 32, 2. Mich. 2, 6. Amos 7, 16. Syrus: *et iis unguentum* erat *sermo meus*.

23. וְיִחֲלוּ כַּמָּטָר לִי *Et exspectabant tanquam pluviam mihi*, me (per ל construitur יָחַל et infra 30, 26. Ps. 33, 22. et saepius), i. e. mea verba, meam sententiam et consilium. Declarat quod tertio abhinc Versu dixerat, לִי־שָׁמְעוּ וְיִחֲלוּ. Tam avide meum consilium exspectabant, quam pluvia solet exspectari, cum fruges primum sunt seminatae. Generale enim *pluviae* nomen, מָטָר, h. l. speciatim de *pluvia priore*, quae Hebraeis יוֹרֶה aut מוֹרֶה dicitur, deciditque autumno, post factam sementem, granis recens humo mandatis, capiendum esse, arguit alterum hemistichium. וּפִיהֶם פָּעֲרוּ לְמַלְקוֹשׁ *Et os suum aperiebant* tanquam *ad pluviam serotinam*, perinde ore hiabant exspectantes quid dicerem, ut hiat terra sub messem, aut hiant agricolae summo aestu et siccitate pluviam exspectantes, quum segetes ea-

Digitized by Google

maxime indigent. מַלְקוֹשׁ est *pluvia serotina* s. *verna*, quae Martio maxime et Aprili mense cadit, qua fruges seu segetes antequam maturescant, rigantur. Vid. not. ad Deut. 11, 14. Similibus imaginibus ad significandos utiles sermones doctrinasque utuntur Arabes. Ita v. c. Haririus Consessu II.: *rigari cupiebam ab imbre et ore*, i. e. a nemine non doctrinae et sapientiae praecepta expetebam.

24. אֶשְׂחַק אֲלֵיהֶם לֹא יַאֲמִינוּ Si forte *arriserim eis*, *non credebant*, tanta meae gravitatis verecundia illis erat, ut, si forte nonnihil detraherem de severitate mea, vix credebant illud, nec de sua erga me reverentia quicquam remittentes sibi sumebant audaciam, sicut alioqui familiaritas potenti parit contemtum. Pro לֹא in pluribus codicibus exstat וְלֹא. Sane *Vav* saepe inservit indicandae apodosi, si praecesserit particula conditionalis, aut expressa, aut subaudienda; vid. Vs. seq. Posterius hemistichium, וְאוֹר פָּנַי לֹא יַפִּילוּן *et lucem vultus mei non dejiciebant*, plerique ita intelligunt: ubi illis arrisi, haud tamen propterea efficiebant, quo minus me eis hilarem praeberem, atque me ne vel minima in re contristarent, sedulam operam dabant. Vel: numquam contrahendae frontis causam praebebant, sollicite caventes, ne mihi graves essent, aut crearent molestiam. Ita, אוֹר פָּנִים erit *serenitas*, *hilaritas*, ut Prov. 16, 15. בְּאוֹר־פְּנֵי־מֶלֶךְ חַיִּים *in luce vultus regis*, i. e. cum vultum hilarem exhibet, est *vita*. Sed h. l. *lumen vultus* potius significare videtur *gravitatem*, quae hominem velut illustrem ac conspicuum reddit, quasi diceret: non propterea vultum meum revereri et me observare desinebant, non ideo ab illis cadebat lux mei vultus. Quem sensum et videtur Hieronymus expressisse, qui vertit: *et lux vultus mei non cadebat in terram*, i. e. non vilis fiebat. Chaldaeus: *et splendorem faciei meae non intuebantur.*

25. Verba אֶבְחַר דַּרְכָּם *eligebam viam eorum*, plures sic intelligunt: eligebam quod illos facere oporteret, et qua se ratione deberent gerere; ego seligebam illis rationem et institutum, quod sequerentur. Sed melius, ut in praecedente Versu, subaudita particula אִם *si: si quando eorum viam eligerem*, i. e. si visum esset mihi ad eos ire, cum iis versari, esse in eorum consortio ac illis velut familiaris, וְאֵשֵׁב רֹאשׁ *sedebam caput*, illi tamen solitum honorem mihi deferentes, semper me in capite collocabant, et summo ponebant loco, sive primum inter discumbentes. וְאֶשְׁכֹּן כְּמֶלֶךְ בַּגְּדוּד *Et habitabam*, versabar inter illos *tanquam rex in turba*, circumdatus undique et stipatus suo exercitu circumstante, qui in eum undique oculos conjicit, eum suspiciens ac venerans. כַּאֲשֶׁר אֲבֵלִים יְנַחֵם *Ut qui lugentes consolatur*, quem omnes audiunt attentissime, a cujus ore omnes pendent, ita et me omnes ut lugentium consolatorem admirabantur et colebant.

Digitized by Google

Cap. 30, 1. וְעַתָּה שָׂחֲקוּ עָלַי *At nunc*, vice rerum longe mutata, *rident me*. Verbum שָׂחַק sequente אֶל, in bonam partem dicitur, ut supra 29, 24., et cum עַל *super*, *adversus*, in malam, pro *subsannare*, et *illudere*, cf. Ps. 52, 8. 2 Paral. 30, 10. — צְעִירִים מִמֶּנִּי לְיָמִים *Minores me quoad dies*, me natu minores; quibus non sunt Bildadus et Zopharus intelligendi, sed in universum omnes, qui ei in hac calamitate insultabant, et eum vilipendebant, qui ante summo, ut dixit, honore affecerant. Ut ergo suam infelicitatem exaggeret, vilitatem hujuscemodi hominum, a quibus nunc rideatur et spernatur, varie amplificat. אֲשֶׁר־מָאַסְתִּי אֲבוֹתָם לָשִׁית עִם־כַּלְבֵי צֹאנִי *Quorum patres aversatus sum ponere cum canibus gregis mei*, quorum patres ne dignatus quidem fuissem prae eorum vilitate praeponere custodiendis gregum meorum canibus. Quod si tales eorum patres fuerant, quid de filiis sentiendum? Verbo שִׁית h. l. cum עִם constructo sunt, qui non *praefecturam canum*, ad quam designandam עַל opus fuerit, sed *consortium* et *sodalitium* significari putent, in hunc sensum: quos ne canibus quidem gregis mei inserere, ac quasi socios et aequales addere dignabar. Sed recte A. Schultens: „Meo judicio שִׁית עִם *ponere cum*, vivente lingua, non potuit non saepe usurpari pro *apponere*, *addere inspectorem*, similibusque.“ Hieronymus tamen: *quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei*, i. e. quos non dignabar eo habere numero ac pretio, quo pastoricios canes. Chaldaeus: *quorum patres abjeci ut ponerem eos cum canibus custodientibus oves meas.* Syrus: *illi, quorum ego patres sprevi, et quos non reputavi cum canibus gregis mei.* Alexandrinus: οὓς οὐκ ἠγησάμην ἀξίους εἶναι κυνῶν τῶν ἐμῶν νομάδων.

2. Nec tantum viles et me inferiores sunt, sed etiam invalidi et inutiles prorsus, גַּם כֹּחַ יְדֵיהֶם לָמָּה־לִּי *Es vis manuum eorum ad quid mihi?* i. e. cui mihi sit usui? In altero hemistichio negotium facessit interpretibus nomen כֶּלַח, cui quum supra 5, 26. *senectutis* significatum tribuant, nostra verba sic vertunt: *super illos perit senectus*, quod vel ita explicant: destituuntur omni prudentia, qua senes solent pollere, et qua possem ab eis juvari; vel, per hypallagen: *pereunt senio*, i. e. tam debiles sunt prae senio, et defecti viribus, ut prope periisse videantur. Quod forsan Hieronymus spectavit, qui vertit: *vita ipsa putabantur indigni.* Sed vidimus supra 5, 26., כֶּלַח potius *integritatem* significare, et hoc quidem loco, quum nomini כֹּחַ respondeat, *virium integritatem*, vim vegetem, et robur inexhaustum significabit. Quem sensum inter veteres Syrus expressit: *super quibus omne robur periit.*

3. Pro בְּחָסֶר *egestate*, s. prae egestate, in pluribus codd. et libris editis a Kennicotto et de Rossio indicatis legitur בְּחָסֵר (per ר in fine), sensu quidem minime inepto, si חָסֵר in malam

Digitized by Google

partem, pro *opprobrio* sumas (vid. not. supra ad 6, 14.), ut Prov. 14, 34. capiendum. Sed veteres omnes בְּחָסֶר, cum Resch, exprimunt. Alexandrinus: *ἐν ἐνδείᾳ.* Hieronymus: *in egestate.* Chaldaeus: *in penuria.* In Syriaca et Arabica versione integer hic Versus cum proximo desideratur. גַּלְמוּד (collective capiendum) plerique *solitarii* significatione sumunt, ut supra 3, 7., hoc sensu: solitarii degunt prae egestate, hominum conspectum fugientes, in sylvis et desertis, ut sequitur, latitantes. Veteres ad *ἀτεκνίαν* referebant. Alexandrinus: *ἄγονος*, quod Hesychius *ἄτεκνος* interpretatur. Hieronymus: *steriles.* Chaldaeus: *sine filiis erant.* Sed quum arab. גַּלְמוּד *saxum durum et glabrum* sit, possis h. l. exsiccatos, omni vigore et vi destitutos, prae fame, intelligere. הָעֹרְקִים צִיָּה *Qui fugiunt in siccitatem*, i. e. in terram aridam, inviam ac desertam, ut supra 24, 19. Alexandrinus: *ἄνυδρον*, Matth. 12, 43. Hieronymus: *qui rodebant in solitudine*, sc. sylvestres atque ferinos cibos, in quibus comedendis plus laboris, quam voluptatis et alimenti. Cepit verbum עָרַק *rodendi* notione, quam utique obtinet in Arabica et Syriaca dialecto, cf. infra Vs. 17. Huic tamen loco aptior est altera verbi arabici ערק significatio, *abiit* in aliam terram, *aufugit*, quae ipsa et Aramaeis valde est usitata. Eandem Alexandrinus expressit, qui *φεύγοντες* posuit. Ante צִיָּה est אֶל *ad* subaudiendum, itidemque ante posterius hemistichium אֶמֶשׁ שׁוֹאָה וּמְשֹׁאָה *in desolationem et vastitatem pridem* factam, i. e. in loca a longo jam tempore devastata, horrida et ruinis squalentia, procul ab hominum conspectu. אֶמֶשׁ plerique *tenebras* significare volunt, quas illi sectarentur sese abdentes, vel in noctis tenebris, vel in opacis nemoribus. Ita Chaldaeus: (fugientes in terram) *tenebricosam sicut vespera.* Sed quum reliquis quatuor locis (Gen. 19, 34. 31, 29. 42. 2 Reg. 9, 26.) אֶמֶשׁ *heri* denotet, plane ut arabicum أَمْسِ (per *Sin*), videtur h. l. per metonymiam pro *tempore praeterito*, *retro*, dictum esse.

4. הַקֹּטְפִים מַלּוּחַ עֲלֵי־שִׂיחַ *Qui decerpunt halimum super virgultum.* מַלּוּחַ eadem est planta, quae Syris מַלּוּחָא dicitur, i. e. *salsuginosa planta*, quae Graecis ἅλιμον, a מֶלַח *sal*, plane ut Graecum nomen ab ἅλς, *sal*, deductum. Testis est Aben-Beitar, celebris ille Arabum Medicus et Botanicus, qui asserit Graecorum ἅλιμον a populo Syriae vocari מַלּוּחָה, esse vero arbustum, ex quo fiunt sepes, rhamno simile, quod caret spinis, et folio simili oleae, sed latiori, et crescere ad litora maris et circa sepes. Addit, ejus arbusti summitates comedi, quum sint recentes. Et pauperum praesertim cibum esse, atque ab iis colligi apparet ex hoc Athenaei loco (4, 16.) allato: *E Pythagoricis forte quidam pauperes ἅλιμα τρώγοντες, καὶ κακὰ τοιαῦτα συλλέγοντες, halima comedentes, atque ejusmodi ingrata colligentes.* Vid. libr. nostr. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 114. עֲלֵי־שִׂיחַ Quod *super arbustum* est et ex eo decerpitur. Alii: *juxta virgulta*, ad sepes. עֲלֵי *Juxta*,

Digitized by Google

prope, ut supra 6, 5. Gen. 49, 17. 22. Prov. 8, 2. — וְשֹׁרֶשׁ רְתָמִים לַחְמָם *Et radix genistarum panis*, cibus, *eorum* est. רְתָם est *genista*, arabice رَتَم dicta, planta in locis desertis et campis arenosis Aegypti et Arabiae frequens, altitudine fruticuli. Radix perquam amara; decoctum bibunt Arabes dolore cordis (hypochondria) laborantes. „Vitae pauperrimae," ait Forskal (*Flora Aegypt. Arab.* p. 216.), „symbolum est Job. 30, 4., et hominis in deserto palantis, cui nullum superest alimentum, nisi hujus radicis, quam Arabum nemo gustare cupit propter amaritiem." Cf. libr. nostr. commemorat. p. 120.

5. מִן־גֵּו יְרֹשׁוּ *E medio* scil. urbis, vel hominum, ex hominum consortio, *pellebantur*. Hebraicum גֵּו alias *tergum* et *corpus* significat (vid. Prov. 10, 13. 19, 29., coll. femin. supra 20, 25.), quae significatio hic non quadrat, nam quod nonnulli exponunt *de corpore*, scilicet *urbis*, durius est; sed Chaldaicum et Syriacum גַּו *medium* significat, et ei consonum arabicum vocabulum denotat *partem interiorem domus*, aut rei cujuscunque, quae significatio hic apprime convenit. Dicunt et Latini *pellere e medio* (Cicero in *Offic.* 3, 8.). Pellebantur ut ignavi et inertes ac desidiosi, vel: prae egestate omnibus contemti aufugere in sylvas cogebantur, quod eos puderet prae sordibus et squalore inter homines versari. Hinc Alexandrinus: ἄτιμοι καὶ πεφαυλισμένοι. יָרִיעוּ עָלֵימוֹ כַּגַּנָּב *Clamabant* homines *super eos ut* super *furem*; fures si deprehensi fuerint, contra eos omnes vociferantur, et ejiciuntur cum ignominia ex hominum consortio. Hieronymus integrum Versum sic reddit: *qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.* גֵּו *Medium* vel intellexit convallium s. torrentium, de quibus Vs. seq., vel legit גֵּי *vallis*, quod ipsum de Rossi in codice suo 596. reperit, et גֵּו non differre a גֵּיא *vallis*, conjecit Doederlein, qui nostrum Versum sic est interpretatus: *quodsi valle expelluntur*, coguntur e vallibus prodire propter famem; *super eos clamatur tanquam super fures*, convocatur vulgus, sicut fit sub impetum latronum. Verbum גָּרַשׁ Hieronymus cepit de *evulsione* radicum juniperi, vel genistae, Vs. 4.

6. בַּעֲרוּץ נְחָלִים לָשֶׁכֶן *In* loco *horrido convallium ad habitandum*, ut commorarentur, i. e. expulsi fugiebant (Vs. 5.) ab hominibus, ut versarentur in rimis et hiatibus terrae, quos faciunt torrentes. עֲרוּץ, sive, ut in libris non paucis scriptum, עָרוּץ, quod hoc solo loco legitur, a verbo עָרַץ *formidavit* (vid. infra 31, 34.), videtur notare *locum horridum, ad quem descendere timent*, ut Aben-Esra ait. De נְחָלִים *convallibus*, vid. not. ad 6, 15. Significantur loca deserta et inculta, horridos inter montes, qualia subire timent alii homines ob profunditatem et asperitatem, isti vero ex hominum consortio expulsi subire nihil reformidant, ut ibi lateant. חֹרֵי עָפָר וְכֻכִּים (בְּ) *In foraminibus terrae et rupium*, in terrae et petrarum cavernis.

Digitized by Google

7. בֵּין־שִׂיחִים יִנְהָקוּ *Inter virgulta rudunt* prae miseria, fame, aut aliis coeli aut loci injuriis. Hieronymus *clamare* in bonam partem intellexit, vertit enim: *qui inter hujuscemodi laetabantur*, scilicet quod loca inter arbores sylvarum invenissent, ubi latitarent, et quae illis umbrae essent et receptui. Sed verbum נָהַק et ei cognata, נָאַק (supra 24, 12.), et אָנַק (Jerem. 51, 52. Ezech. 26, 15.), nonnisi in malum, de clamore ob dolorem, usurpatum reperitur, cf. supra 6, 5. תַּחַת חָרוּל יִסָּפָחוּ *Sub urticam congregantur*, sub urticas, inter senticeta et vepreta sese recipiunt et contrahunt, ut lateant. Verbum סָפַח h. l. *aggregandi* significatione sumendum, qua et Jes. 14, 1., ubi verbo נִלְוָה *adsociavit se*, παραλλήλον. Eam h. l. Chaldaeus expressit, dum מִתְחַבְּרִין *conjungunt se*, vertit.

8. Ii, a quibus nunc subsannor, sunt בְּנֵי נָבָל *filii hominum nequam*, profligatorum et perditorum, vid. not. ad Ps. 14, 1. — בְּלִי־שֵׁם (אִישׁ) *Viri sine nomine*, inglorii et obscuri. Verba נִכְּאוּ מִן־הָאָרֶץ plures sic interpretantur: *afflicti sunt et humiles prae terra*, terra, quae ab omnibus calcatur, humiliores, inferiores et abjectiores, mortalium infimi. Mallem: *percussi sunt e terra*, i. e. expulsi, in exilium acti. Hieronymus: *filii stultorum et ignobilium, et in terra penitus non parentes*, i. e. apparentes, qui nullo sunt loco, nullo in pretio inter homines. Videtur hunc locum ad poenas impiis post mortem destinatas retulisse.

9. וְעַתָּה נְגִינָתָם הָיִיתִי *Nunc autem cantilena eorum factus sum*, de me cantilenas edunt. Idem queritur Jeremias Thr. 3, 14. et Psaltes 69, 13. וְאֲהִי לָהֶם לְמָשָׁל *Sum illis in sermonem*, sum illis fabula, me assidue in ore habent, de me in contemtum numquam non loquuntur. מָשָׁל Alexandrinus non male θρύλλημα, *rumor*, fabula vulgi, Hieronymus *proverbium* reddidit.

10. תִּעֲבוּנִי רָחֲקוּ מֵנִּי *Aversantur me, procul recedunt a me*, וּמִפָּנַי לֹא־חָשְׂכוּ רֹק *a facie mea non cohibent sputum*, Hieronymus commode vertit: *faciem meam conspuere non verentur*. Indignissime et contumeliosissime me tractant.

11. כִּי־יִתְרִי פִתַּח וַיְעַנֵּנִי *Quia funem meum solvit et me afflixit*, scilicet Deus, cujus nomen saepe in hoc libro ex orationis serie subaudiendum, ut sensus sit hic: causa, cur hi tam viles et abjecti homines me ita subsannent, et omni contumeliarum genere afficiant qui me antea reverebantur, est, quia Deus haec permittit, quia funem meum, quo ante eos velut ligabam, et in officio et obedientia continebam, solvit. יֶתֶר *Funis* hic est nervus arcus, estque metaphora ducta ab exarmato milite, cujus arcus solvitur nervus, sicque inermis redditur. Sed pro יִתְרִי, quomodo nota masorethica ad marginem legere jubet, in textu est יִתְרוֹ, quod si sequaris sic interpretandum erit: *solvit* unusquisque illusorum istorum *funem suum*, i. e. frenum suum, quo contine-

Digitized by Google

batur antea a me, ut respondeat רָסַן in altero colo, *meque vexat*, laxatis frenis in me feruntur, וְרֶסֶן מִפָּנַי שִׁלֵּחוּ *et frenum a conspectu meo laxarunt*, i. e. ne ultra jam timeant a conspectu meo, etiam meam praesentiam non jam morantes, nec conspectum reverentes. Alexandrinus quamvis יָתְרוֹ exprimat, sensum tamen ad Deum detorquet: *ἀνοίξας γὰρ φαρέτραν αὐτοῦ ἐκάκωσέ με καὶ χαλινὸν τοῦ προσώπου μου ἐξαπέστειλαν.* Eum sequutus Hieronymus: *pharetram enim suam aperuit, et afflixit me, et frenum posuit in os meum* (videtur legisse ἐξαπέστειλεν in singulari). יֶתֶר Alexandrinus accepit de nervo arcus, sed pharetram pro arcu posuit, quia verbum פָּתַח visum est illi magis apte dici de pharetra, quae claudi et aperiri potest, quam de arcu, qui non dicitur aperiri.

12. עַל־יְמִינִי pro עַל־יָמִין *ad dextram meam*, cujus et hic et passim alias fit mentio, quod in ea praecipuum robur sit, quod illi enervare et frangere studuerint. פִּרְחָה ab Hebraeis exponitur נְעָרִים קְטַנִּים *parvi pueri*, collective, vel, eorum quisque, a *florere* (פָּרַח), ultima geminata, quasi qui adhuc in flore positi sunt, et vixdum primos annos aut cunas egressi, ut ajunt. Per contemtum ita eos appellat, quemadmodum columbini aut aliarum avium et animantium pulli אֶפְרֹחִים dicuntur, quasi *germinantes*. Hinc apud Talmudicos פּוּרְחָן est *minorennis pubescens*, שֶׁנִּרְאָה עָלָיו צֶמַח שֵׂעָר *in quo conspicitur prima lanugo*. Arabibus בַּרְהָה non tantum *pullum avium*, *omnemque sobolem*, qua animantis, qua plantae, sed etiam *hominem contemtum*, *vilem*, et *vagabundum* denotat. יָקוּמוּ *Insurgunt*, scil. עָלַי *contra me*, ut me rideant et insectentur, nec ullum in me contumeliae genus omittunt, ut subjungit. רַגְלַי שִׁלֵּחוּ *Pedes meos emiserunt*, scil. e loco suo, ad lapsum impulerunt, eos propellunt, ut me dent praecipitem. Hieronymus non incommode: *pedes meos subverterunt.* Verba וַיְסֹלּוּ עָלַי אָרְחוֹת אֵידָם aliqui sic explicant: *calcant super me semitas suae perniciei*, active, qua me scilicet afficiunt, i. e. sua pernicie et damnis ac contumeliis, quibus me afficiunt, velut jam tritam viam sibi super me fecerunt, ut sim illis et eorum injuriae ac contumeliae, et perniciei, qua me perdunt, velut trita semita. Sed melius placet Cappelli interpretatio: *et aggerant contra me semitas perniciei suae*, h. e. struunt in me, vel mihi, perniciem, via quasi aggesta contra me veniunt, ut me perdant: metaphora ducta ab hostili exercitu, qui non per angustias, et calles, sed patente campo, et explicatis ordinibus in hostem progreditur facitque impetum; ut internecione eum deleat. LXX: *ὠδοποίησαν ἐπ᾽ ἐμὲ τρίβους ἀπωλείας αὐτῶν*, eodem sensu, nempe *ἀπωλεία* active debet sumi pro ea perditione, quam inferunt. Eadem imago supra 19, 12.

13. נָתְסוּ נְתִיבָתִי *Diruerunt viam meam*; rupta via per eam iter fieri non potest. Significat omnia sua instituta et rationes

Digitized by Google

sibi ab illis turbatas, ut nullam viam aut rationem inire queat, quid faciat. Verbum נָתַס, hoc solo loco obvium, cum נָתַשׁ et נָתַץ ut sono, ita et significatione convenit, sicut עָלַס supra 20, 18. et עָלַץ 1 Sam. 2, 1. 1 Paral. 16, 30. 32. idem significant. Et hoc nostro in quibusdam codicibus est נָתְצוּ scriptum. לְהַוָּתִי יֹעִילוּ *Ad exitium meum prosunt*, i. e. utilitatem quasi afferunt ruinae meae, eam juvant, eam promovent. Simili sententia apud Zachariam 1, 15. dicit Deus: ego iratus fui modicum, וְהֵמָּה עָזְרוּ לְרָעָה *illi autem adjuverunt ad malum*. Et cum עֵזֶר *auxilio* jungitur tanquam *συνώνυμον* הוֹעִיל Jes. 30, 5. Vid. et infra 35, 3. Jer. 23, 32. Verba לֹא עֹזֵר לָמוֹ *non adjutor illis*, s. *quibus non est adjutor*, quidam sic intelligunt: ipsi per se soli, minime opus habentes adjutore ruinam meam moliuntur, et promovent. Rectius alii de praeterito: qui antehac adjutore carebant, ab omnibus antehac isti homines, a quibus nunc rideor, pellebantur. Similiter *quibus nullus adjutor* Arabibus dicuntur homines perditissimae rei et spei, quos nemo sua cura dignari velit. Ita vetus poeta in Hamasa: *Videmus nos ignobiles, pauperes, quibus nullus ex reliquis hominibus adjutor.*

14. כְּפֶרֶץ רָחָב יֶאֱתָיוּ *Tanquam ruptura lata*, i. e. velut per rupturam latam, cum sepe rupta, aut muro urbis (coll. Jes. 30, 13.), simul multi irrumpunt, non singuli; vel cum rupturam fecit flumen, perquam longe lateque omnia vastat (ita פֶּרֶץ 2 Sam. 5, 20.), sic illi magno simul impetu *veniunt* et irrumpunt. Non incommode Hieronymus: *quasi rupto muro, et aperta janua, irruerunt super me*, metaphora ducta a militibus, qui per latam muri ruinam irrumpunt in urbem, quam expugnant. De flumine imaginem desumtam putavit Chaldaeus: *cum vehementia dilatationis fluctuum maris veniunt.* תַּחַת שֹׁאָה הִתְגַּלְגָּלוּ *Sub ruinam volvunt se*, vel, *per ruinas* muri dejecti et perrupti, *devolvuntur*; pergit in metaphora militum, qui per ruinas muri effracti conglobatim irrumpunt in urbem. Minus commode alii: devolvunt sese et proripiunt fluctuum et undarum more eum in locum, ubi vastitas coepta est. Alii: *sub vastante tempestate provolvunt se* super me, i. e. tanto in me prosternendum impetu feruntur, quasi violentissimus turbo eos arripuerit, sub se provolverit, et in me illiserit.

15. הֶהְפַּךְ עָלַי בַּלָּהוֹת *Conversus est*, i. e. conversi (per enallagen numeri et generis) *super me terrores*, quasi esset דְּבַר בַּלָּהוֹת *negotium terrorum*, per synthesin. Similem loquendi formam vid. supra 18, 14. Alii: *conversus est* Deus *contra me in meros terrores*. A. Schultens impersonale dicendi genus esse putat: *conversum est* (coll. Jer. 2, 23. 18, 12. Jes. 14, 31. 57, 10. et N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. LXI. a. *β.*), i. e. eversio est facta; *super me terrores*. In uno codice Kennicotti legitur הֶהְפַּךְ *convertisti*, „Hubigantii, de Rossio observante, voto ac conjecturae

Digitized by Google

respondens, qui, ut hoc verbum cum sequenti תִּרְדֹּף, congruat, et generis numerique enallage devitetur, ita emendaverat." Sed pertinet illud תִּרְדֹּף potius ad בַּלָּהוֹת, quasi esset: *persequitur* כֹּל אַחַת מִבַּלָּהוֹת *unusquisque illorum terrorum sicut ventus ingenuitatem meam*, i. e. indolem meam ingenuam et alacrem, vigorem meum. Cf. Ps. 51, 14. Sive: generositatem meam, ex significatione nominis נָדִיב Jes. 32, 18. Alii: *animam meam*, quia est pars hominis nobilissima, et in qua est voluntas, nam נָדַב est *spontaneum et voluntarium esse*. *Persequi instar venti* est persequi celerrime, et magno cum impetu, uti cum procella quis urgetur. וּכְעָב עָבְרָה יְשֻׁעָתִי *Et sicut nubes*, velociter praeteriens aut evanescens, *praeteriit salus mea*, omnis mea incolumitas et felicitas.

16. וְעַתָּה עָלַי תִּשְׁתַּפֵּךְ נַפְשִׁי *Nunc effundit se super me anima mea*, i. e. lacrymis et anxiis querelis memet macero, obruo, demergo, metaphora desumta ab aqua effusa copiosius, ad mersionem usque. Cf. Ps. 42, 5. et ibi not. Alii: *in me effunditur anima mea*, i. e. prae doloribus et afflictionis magnitudine exanimor, ex me exit et effunditur anima seu vita. Hieronymus: *marcescit anima mea in memet ipso*. יֹאחֲזוּנִי יְמֵי עֹנִי *Apprehendunt*, invadunt, totumque tenent *me dies afflictionis*, calamitosa tempora, ex adverso ejus, quod mihi continuationem rerum prosperarum promiseram, supra 29, 18.

17. לַיְלָה עֲצָמַי נִקַּר *Noctu ossa mea perforantur* quasi acutissimis doloribus; significantur compunctiones dolorum ad medullam usque ossium penetrantes. Mentione *noctis* dolorem aggravat, quod cum somno nocturno dolor sese remittere soleat, ipse ne noctu quidem quiescat. In paucis quibusdam codicibus עֶצְמִי exstat, quod ipsum et Hieronymus expressit: *nocte os meum perforatur doloribus*. Planior ita est convenientia nominis cum verbo singulari. Minime tamen indoli linguae refragatur constructio verbi singularis cum nomine plurali, *distributive* capiendo (unumquodque *ossium meorum* perforatur), ut Prov. 28, 1. צַדִּיקִים יִבְטַח *insontes*, i. e. eorum quisque *confidit*. Cf. Prov. 14, 1. — מֵעָלַי *A me*, i. e. quasi a me avellenda essent; sive, perfodiendo avelluntur a me. Chaldaeus: *noctu ossa mea perfodiuntur*, i. e. quasi perfossa decidunt *a me*. In posteriori hemistichio עֹרְקַי plures exponunt *nervos meos*, collato arab. עֹרוּק *venae*, *arteriae*, *nervi*. Sed non est opus, ut עֹרְקִים h. l. alia capiamus significatione, qua supra Vs. 3. ubi *rodentes* notat; reddendum igitur: *rodentes me non quiescunt*, s. non dormiunt. *Rodentibus* vero non tam intellexerim *vermes*, quam dolores, quibus corpus et animus indesinenter conficiebatur. Idem haud dubie intellexit Hieronymus, qui reddidit: *et qui me comedunt, non dormiunt*.

18. Verba בְּרַב־כֹּחַ יִתְחַפֵּשׂ לְמוֹשִׁי vulgo sic interpretantur: *multo robore*, magna vi scil. morbi mei, sive ulcerum meorum,

Digitized by Google

immutatur vestimentum meum, ut prae sanie totum inquinatum sit mihi cum alio mutandum, vel immutetur et aliud jam videatur, prae puris ex ulceribus fluentis abundantia, totum cruentum et sordidum. Nimium tamen hoc modo verbis inferri videtur. Alii *vestimento*, לְבוּשִׁי, intelligunt *cutim*, quae tota jam ulceribus scatens prorsus sit demutata. Sed est e fine Vs. 16. עֳנִי *dolor* subaudiendum, ut sit: *magna vi*, s. vehementia *dolor ille demutat se in vestimentum meum*, cui optime congruit alterum hemistichium: *ut os tunicae cingit me.* Verbum חֲתָחֵשׁ de *permutatione vestis* et 1 Sam. 28, 8. et 1 Reg. 20, 38. dicitur. Frequentissima Arabibus figura *vestimentum famis et miseriae.* כְּפִי כָּתְנְתִּי יַאְזְרֵנִי *Sicut os tunicae meae accingit me* scil. dolor. De כָּתֹנֶת (Graec. χιτὼν) *tunica interiore*, vid. BRAUNIUM *de Vestitu Sacerdott.* Lib. II. Cap. 2., et JAHNII *Bibl. Archaeologie* P. II. Vol. II. p. 78. Tunicis inconsutilibus veteres utebantur undique clausis, praeterquam infra et supra; erat autem superne os angustum, per quod induebantur tunicae. Dicit ergo, ut ingressus, seu os vestis ad collum adaptatur, illud continens et arctans, ne sese huc illuc laxet vestis, sic se malo suo accingi et arctari undique.

19. הֹרָנִי *Dejecit me* Deus (ad quem Versu proximo orationem dirigit) ex summa gloria et felicitatis fastigio. Idem h. l. Hiphil significat quod Kal, יָרָה Exod. 15, 4. Cf. 1 Sam. 20, 20. 36. 37. לַחֹמֶר *In lutum*, contumeliose me tractat, et summa me ignominia afficit. Unus de Rossii codex a prima manu habet כְּחֹמֶר, quod etiam Alexandrinus expressit: ἤγγισαί με ἴσα πηλῷ, et Hieronymus: *comparatus sum luto*, nec male congruit posteriori hemistichio: וָאֶתְמַשֵּׁל כָּעָפָר וָאֵפֶר *similis factus sum pulveri et cineri*, cadaverosus magis, terrens et semimortuus, quam vivus adhuc. כְּעָפָר pro לֶעָפָר, quod ipsum aliqui de Rossii codices exhibent. In aliis legitur cum Beth: בֶּעָפָר, quod forsan et Alexandrinus legit: ἐν γῇ καὶ σποδῷ ἡ μερίς μου.

20. עֲמַדְתִּי *Steti*, s. ut bene Hieronymus, *sto* scil. clamans ad te orandum, ut Jer. 15, 1. Vel: quod si constiterim, exspectans opem tuam, ut sit pro tacere, ut infra 32, 16. עָמְדוּ לֹא־עָנוּ־עוֹד *steterunt nec ultra sunt loquuti.* וַתִּתְבָּנֵן בִּי *Et consideras me*, in me intueris, non ut opem feras, sed ut me novis plagis subinde afficias, aut oculos pascas, ut quis videns inimicum affligi aut percuti, ea re oculos pascit. Alii ex priore hemistichio repetunt negationem: *sto* in tuam opem intentus, tu vero non *intueris me*, aut respicis, non consideras meam miseriam. Ita Hieronymus: *sto, et non respicis.* Nisi is forsan ipsum לֹא legerit, quod etiamnum in antiquissimo quodam de Rossii codice a prima manu exstat. Quod et PAREAU probat, in *Commentat. de immortalit. notitt.* p. 130. not., unde vertit: *me sisto* tibi, *sed non attendis ad me.* In aliis duobus codd. reperitur וַתִּתְבּוֹנֵן

Digitized by Google

et paras te in i. e. contra *me*, quam scriptionem, quia per eam praeparatur ad id, quod Jobus mox dicturus est, libenter se amplecti Hubigantius profitetur in Nott. Critt. ad h. l. Sed est potius pro mendo habenda.

21. הָתְהַפָּךְ לְאַכְזָר לִי *Conversus es in crudelem mihi*, factus es mihi saevus, mutata natura tua, qui clemens esse soleas, et talem te quondam in me exhibueris, nunc longe alium exhibes. בְּעֹצֶם יָדְךָ תִּשְׂטְמֵנִי *In robore*, i. e. vi ac vehementia, vel, sicut Hieronymus, *in duritie manus tuae me odisti*, te mihi osorem ostendis, ita graviter percutiens et affligens, ac si me odisses. Hieronymus: *adversaris mihi.* Pauci quidam codd. literis transpositis תְּשִׂמְטֵנִי *demittis me*, habent, calami haud dubie errore.

22. תִּשָּׂאֵנִי אֶל־רוּחַ תַּרְכִּיבֵנִי *Tollis*, elevas *me* ad *ventum*, *inequitare me facis* sc. בּוֹ *ei*, i. e. facis, ut vento abreptus et in sublime sublatus vento vehar, et pennis, ut ajunt, venti circumferar. Metaphora videtur non a palea aut re alia levi, a vento abrepta, sed ex nube esse desumta, quam ventus in altum sublatam, et magnifice per aëra circumductam, mox discutit, et in imbrem resolvit. Id suadet posterius hemistichium, וְתָמֵגְנִי תֻּשִׁיָּה *et liquefacis*, dissolvis, *me* quoad *rationem*, integritatem animi et corporis, ut nihil in me solidum restet ac integrum, quo ultra subsistere valeam. תֻּשִׁיָּה, quod est in textu, vix dubium est esse idem quod תּוּשִׁיָּה s. תֻּשִׁיָּה, ad marginem notatum, de quo vid. not. supra ad 5, 12. Sed Pareau l. supra ad Vs. 20. laud. p. 131. not. literas quae in textu exstant, hisce punctis vocalibus animandas censet: תְּשָׁוָה, quod haud diversum esse censet a תְּשׁוּאָה vel תְּשָׁאָה, cujus Pluralis occurrit infra 36, 29. 39, 7. (al. 10.). „Proprie," addit, „illud notat *strepitum*, sed h. l. est *procella strepens*, idem quod שׁוֹאָה Ps. 35, 8. Ezech. 38, 9. Sic itaque תֻּשִׁיָּה est pro בְּתֻשִׁיָּה per notam et valde frequentem ellipsin. Saepius autem Noster literam א elidit; nam גּוֹת scribit pro גָּאוֹת supra 22, 29. 33, 17. חָוִי pro חַאֲוִי 31, 35. אָבִי pro אַבִּיא 34, 36., רִים pro רְאֵם 39, 9. Ex hac nostra interpretatione *(violentae procellae me tradis jactandum)* sensus facilior exsistit, ac parallelia melior. Aptius quoque aditur Verbum מוּג, quod proprie est *fluctuare vehementius;* vid. Schultens. Clav. Dial. p. 198. 254." Alii τὸ כְּתִיב pro Verbo habent, efferuntque תְּשַׁוֶּה, quod *in nihilum redigis* explicant, formatum a שָׁוְא *vanitas, nihilum*, coll. rad. שָׁאָה *vastari, in nihilum redigi.* תְּשַׁדֶּה et Gesenius in *Lex. min.* edit. tert. p. 824. legendum arbitratur, sed vertit: *terres me*, שׁוּת collato cum Chaldaico שְׁרִי *obstupescere*, in Ithpeel אִשְׁתְּוִי *metuere, trepidare.* Pro verbo תשות cepit et Syrus, qui *depressisti et afflixisti me* reddidit. Sed ut alias fere τὸ כְּתִיב et קְרִי nonnisi in formis vocabulorum leviter differunt, rarissime vero in illorum significatione, ita nec hic quod in textu est a תֻּשִׁיָּה ad marginem diversum existimo, quamvis

Digitized by Google

id nusquam alias ita defective pro תּוּשִׁיָּה legatur. Veteres hunc Versum liberius reddiderunt. Alexandrinus: ἔτειξας δέ με ἐν ὀδύναις, καὶ ἀπέῤῥιψάς με ὑπὸ σωτηρίας. Hieronymus: *elevasti me, et quasi super ventum ponens, elisisti me valide.* Imaginem inde depromptam censuit, quod solemus res, quas vehementius confringere volumus, in sublime jacere magno impetu, ut decidentes magis collidantur et comminuantur: sic dicere se Jobum evectum a Deo, ut lapsu graviore rueret comminutus et dissolutus.

23. כִּי־יָדַעְתִּי מָוֶת תְּשִׁיבֵנִי *Novi enim*, quod ad *mortem reduces me*, בֵּית מוֹעֵד לְכָל־חַי et ad *domum statuti conventus omni viventi*, s. domum, quo velut ex conducto et decreto Dei omnibus mortalibus est conveniendum, quod esse sepulchrum, vix monitu opus. Sunt, qui ita hunc locum accipiant, quasi Jobus a fragilitate naturae suae Deum conetur flectere ad miserendum sui. Sed videtur potius de convalescentia desperans hoc dicere, hoc sensu: nullam mihi spem reliquisti; scio apud te tibi constitutum esse, me prorsus conficere.

24. Interpretationis diversitatem erat dictio בְּעִי; quam plures pro nomine עִי *acervus, tumulus* (Mich. 1, 6., cujus plurale exstat Ps. 79, 1.) cum ב praefixo habent. Horum plerique verba אַךְ לֹא־בְעִי יִשְׁלַח יָד sic vertunt: *verum non in acervum* s. tumulum *mittet manum* Deus, ut scilicet inde hominem eripiat, i. e. ubi hominem peremerit et in sepulchrum amandarit, non inde eum extrahet. Sed עִי nonnisi de *acervis ruinarum*, s. de *ruderibus*, nusquam de sepulchrali tumulo, usurpatum reperitur. Sed ב vocis בְּעִי est radicale, et significat id nomen *petitionem, deprecationem*, a verbo בְּעָא *petere, rogare, implorare*, Aramaeis perquam usitato. Sic igitur interpretandum: *verum nihil deprecatio!* scil. prodest, *extendit manum!* sive, subaudito כִּי, *quando manum extendit* ad plagas infligendas, vel, ad perdendum, respondet enim τῷ בְּפִידוֹ in altero hemistichio, sicut בְּעִי τῷ שׁוּעַ. אִם־בְּפִידוֹ לָהֶן שׁוּעַ *Etiamsi in exitio ejus*, i. e. ab eo illato, quum homines perimere decrevit, cum exitium ille infert, *iis sit clamor*, quantumvis clament, i. e. precentur, cum illis plagam suam immittit ut eos perimat, id tamen eos non liberabit a morte. שׁוּעַ *Clamor, vociferatio*, a verbo שׁוּעַ *vociferari* Jes. 29, 9., supra 19, 7., et mox Vs. 28. Qui לָהֶן pro tertia pluralis pronominis feminini habent, vel cum Aben-Esra נַפְשׁוֹת *animabus* subaudire, vel per archaismum pro לָהֶם usurpatum habere debent, ut contra masculinum הֵם Judic. 21, 22. coll. 21. 19, 24. Num. 27, 7., et הֵמָּה Ruth. 1, 22. Zach. 5, 10. de mulieribus usurpatur. Nos quidem vix dubitamus, nostrum הֵן idem plane esse quod Chaldaicum הֵן, הָהֵן, *is, ille*, Syriacum הֹן, הֹנֹא, *ille, iste*, et Arabicum הֵן *aliquis*, hoc loco collective sumendum. Pro לָהֶן in pluribus codd. a Kennicotto ac de Rossio inspectis legitur לָהֶם, quod manum

Digitized by Google

emendatoris sapit. Alias hujus loci interpretationes vid. in Scholl. uberioribus.

25. Praefixum ל ante קְשֵׁה־יוֹם et אֶבְיוֹן plerique *propter* notare putant, et hinc Versum nostrum sic transferunt: *nonne flevi ob durum diei*, i. e. eum, cujus dura erant tempora, calamitosum et miserum hominem? nonne *contristata est anima mea ob egenum?* quasi diceret: quomodo haec mihi nunc accidunt, ut nec Deus ipse, nec hominum quisquam mei misereatur, quasi ego in mea prosperitate calamitosorum non fuerim misertus, et eorum vicem non doluerim? Sed congruentior Versui superiori et proximo sensus prodibit, si utrumque illud ל eodem fere significatu, quo supra 18, 14. (לְמֶלֶךְ *ut rex, tanquam rex*) aderat, capiamus, ut qualitatem indicet, in quam quis abiit: *nonne flevi*, flendum mihi est, qui *dura fortuna utor? moerore conficior utpote inops.* Nempe ל nonnumquam ita comparat, ut simul veritatem ipsam, sive conditionem reapse designet. Ita Mich. 2, 8. *Populus meus* לְאוֹיֵב *tanquam hostis insurgit.* Vocis עָגְמָה significatio vix potest dubia esse, quum בֶּבִיתִי τῷ in primo hemistichio respondeat. Chaldaeis עֲגַם est *tristari*, *angi*, idemque et Jes. 19, 10. אֲגַם significare videtur, eodem ibi modo ut h. l. עֲגַם cum נֶפֶשׁ conjunctum. Cognatae significationis est syriacum עֲגַם *metuit*, *ex metu fastidivit cibum*, et arabicum אֲגַם *fastidivit cibum*, *taediosum quid habuit*, *pertaesus fuit.* Alexandrinus ἐστέναξα, *ingemui*, Hieronymus *compatiebatur*, Syrus *anima mea perturbata est*, reddidit.

26. אֹפֶל — כִּי טוֹב *Quia bonum exspectavi, et venit* mihi *malum, et speravi lucem* felicitatis, *sed venit caligo* malorum. Cf. Jes. 59, 9.

27. מֵעַי רֻתְּחוּ וְלֹא־דָמּוּ *Viscera mea efferbuerunt* (propr. *fervore* seu *ebullitione agitata sunt*, quia passivum est), *nec siluerunt*, i. e. נָחוּ *conquieverunt*, sine intermissione turbata sunt, et velut ebullierunt ollae more (cf. infra 41, 23.) intima quaeque mea, aestu et vehementia morbi et dolorum. קִדְּמֻנִי יְמֵי עֹנִי *Praeverterunt me dies afflictionis*, incautum oppresserunt, nil tale cogitanti supervenerunt. Cf. supra Vs. 16.

28. קֹדֵר הִלַּכְתִּי בְּלֹא חַמָּה *Ater ambulo absque sole*, i. e. non a sole, non insolatus. Docet, in se morbum et moerorem id praestitisse, quod in aliis solis adustio. Videtur proverbiale esse, *ater absque sole*, ut, *ebrius absque vino*, Jes. 51, 21. Additque Schultens, talem comparantem negationem simul inferre gradum incomparabiliter majorum. „Ita dicunt Arabes: *Sapiens, et non ut Locmanus*, i. e. immensum quantum sapientior. Item: *dives, et non ut Corachus*, qui videlicet ipsorum Croesus, pro *incomparabiliter divitior.* Habes hinc, *atratus incedo*, interiore aestu cordis, ac viscerum, penitus exustus atque excoctus; ita ut qui sole ferventissimo, talem signat חַמָּה [a חָמַם *incaluit*,

Digitized by Google

cf. Cant. 6, 9. Ps. 19, 7. Jes. 24, 23.], exuruntur, ne in minimam quidem comparationem mecum venire possint." Pro חֲמָה pauci quidam codices habent חֵמָה *ira, furor*, quod ipsum et ab Hieronymo expressum: *moerens incedebam sine moerore*, nec non a Syro: *in anxietate incedo sine ira.* Alexandrinus: *στένων πεπόρευμαι ἄνευ φιμοῦ, sine freno*, sed in Complutensi editione legitur *ἄνευ θυμοῦ*. Ita esset sensus: *ater incedo absque furore*, aut bile, ut nigri esse solent biliosi et qui irati sunt; at ego, etsi in alterum non iratus, ater sum, nimirum ex morbo. קָמְתִּי בַקָּהָל אֲשַׁוֵּעַ Quando *sto in coetu* hominum, *vociferor*, cogit me vel invitum doloris magnitudo exclamare et vociferari vel in medio hominum coetu. Alii putant imaginem depromptam ab iis, qui injuriis oppressi, in publicum coetum, sive congregationem populi prorumpunt, vindictam postulantes, quasi dicat: tantus meus dolor est, ut solitarius, ac domi sedens, eum continere nequeam nec mihi temperare amplius; quo minus in mediam congregationem aliorum me proruam, et ibi clamem.

29. אָח הָיִיתִי לְתַנִּים וְרֵעַ לִבְנוֹת יַעֲנָה *Frater factus sum draconibus, et socius struthionibus*, quae animalia proponuntur ut clamosa et ejulabunda, et quae solitudine delectantur, Mich. 1, 8. Jes. 43, 20. Cur *draconum* signate *fratrem* se Jobus vocet, pluribus exposuit Bochartus *Hieroz.* T. III. p. 235. edit. Lips. Ostendit, quum ex veterum opinione dracones sint *ζῶα θρηνητικά*, comparationem inde adscitam esse, quod capite erecto, et deductis faucibus sursum adspirantes concipi solerent, ac si ore in coelum obverso per suspiria et gemitus ad Deum conquererentur, quodque omnibus exosi feralibusque locis addicti, miseram vitam aegre traherent. בְּנוֹת יַעֲנָה *Filias clamoris* esse *struthiones feminas*, docuit idem Bochartus l. c. P. II. L. II. Cap. 14. Tom. II. p. 811. edit. Lips., et de illarum *lugubri*, funesta ac sonora *voce* p. 824. Cf. Shawii *Itinerar.* p. 390. vers. germ., ubi variam struthionum vocem describens, eam aliquando, noctu praesertim, *lugubrem*, *ululantem*, *suspiria alte ducentem*, asserit.

30. עוֹרִי שָׁחַר *Cutis mea denigrata est*, prae febris vehementia, et prae dolore ac moerore diuturno. Cf. Thren. 5, 10. מֵעָלַי vel *desuper me*, vel, *a me* dehiscens et labascens, ut supra Vs. 17. — וְעַצְמַי־חָרָה מִנִּי־חֹרֶב *Os meum*, i. e. collective, *ossa mea exarserunt prae ardore*, ossa etiam isthoc caumate omni medulla atque humore vitali spoliata prope exaruerunt.

31. וַיְהִי לְאֵבֶל כִּנֹּרִי וְעֻגָבִי לְקוֹל בֹּכִים *Facta*, conversa *est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.* Omnis mea laetitia, quae se solet pulsatione citharae aliorumque instrumentorum musicorum prodere, in moerorem versa est et fletum.

Digitized by Google

Cap. 31. Hoc Capite sigillatim omnes anteactae vitae rationes explicat, suamque innocentiam fusius exponit, maculamque omnem detergit, qua vitae pristinae nitorem adversarii infuscare tentaverunt. Nec se tantum probat et commendat externa rerum gestarum specie, sed motus animi sui atque affectus omnes expectorat, ut explorentur a summo Numine. Recte Schultens observat, velle Jobum cum hac gravissima suae innocentiae contestatione velut ad tribunal ipsius Numinis penetrare, ut audiente universo consessu, in quo hactenus disputatum fuerat, disceptatio cum ipso Deo institueretur, atque sub oculis, quin telis et fulminibus, supremi illius judicis, adversus ipsum quasi, optima causa tandem obtineretur. Evincit hoc disertissima testificatio infra Vs. 35. 36. 37.

1. בְּרִית כָּרַתִּי לְעֵינָי *Foedus pepigi oculis meis*, quo eos inviolabili praecepto obligavi, ne omnino quicquam adspicerent, quod ad peccandum illiceret. Alterum hemistichium, וּמָה אֶתְבּוֹנֵן עַל־בְּתוּלָה *et quid virginem considerassem?* quidam cum proximo Versu conjungunt, q. d. non impune sane ex impudico adspectu abiissem a Deo. Sed rectius Schultens: „Fortius sonat: *et quid oculos, animumve, adverterem in virginem!* Est indignatio repellens vehementissime, et negans tale quicquam committi par esse.“

2. וּמָה — מִמְּרוֹמִים *Et quae est portio Dei desuper? et* quaenam est *hereditas Omnipotentis*, quam decernit *ex altissimis* coelis? חֵלֶק et נַחֲלָה h. l. in malam partem, ut supra 20, 29. 27, 13., capienda esse, de suppliciis, quae impuris et scortatoribus a Deo sunt destinata, docet res ipsa.

3. הֲלֹא־אֵיד לְעַוֶּל וְנֵכֶר לְפֹעֲלֵי אָוֶן *Nonne exitium perverso? et infortunium agentibus iniquitatem?* נֵכֶר s. נֵכֶר (Obad. Vs. 12.) est *infortunium, poena atrox*, ut arabicum نَكَر in Corano saepe usurpatur. In pluribus codicibus et manu scriptis et typis exaratis (vid. De Rossii *Scholia critica* ad h. l.) legitur נֵכֶד, cum Daleth, sensu non multum diverso. نَكَد enim Arabibus de *vita misera* et *calamitosa* frequentatur.

4. הֲלֹא־הוּא — יְסַפּוֹר *Annon ipse videt vias meas, et omnes gressus meos numerat?* Non vanus mihi arrogo tantam castitatem, reliquamque vitae innocentiam, sed Deum testem invocare audeo, qui omnia instituta, consilia, studia mea, res et cogitationes vel occultiores perspectas habet.

5. Ad aliud transit, nempe quod se purum et integrum in contrahendo praestiterit, bona fide versans cum hominibus. אִם־הָלַכְתִּי עִם־שָׁוְא *Si ambulavi cum vanitate*, s. mendacio, si non sincere versatus sum cum hominibus transigens. Oppositum est *ire cum Deo*, Gen. 5, 22. 24., *in integritate et veritate*, Ps. 26, 1. 3., adeoque veritati ac fidelitati studere. Alii intelligunt,

Digitized by Google

quod non vana sit sectatus, rebus aut verbis vanis et futilibus addictus fuerit; sicut Alexandrinus intellexisse videtur, qui μετὰ γελοιωτῶν vertit, cum scurris, et iis, qui risus captandi causa dicaces sunt. Sed ad contractus et conversationem cum hominibus referendum esse, docet alterum hemistichium, ubi subjungit esse declarans, וַתְּחַשׁ עַל־מִרְמָה רַגְלִי *et si festinavit ad dolum pes meus*, ad alios fraudandos. Formula est jurisjurandi Hebraeis familiaris, ubi fere altera pars, imprecatio, omittitur, ut saepe hoc Capite, etsi interdum exprimatur, ad majorem vim, et quo magis se significet abhorruisse a peccatis quae commemorat: *si feci hoc aut illud*, quod egendum non erat, dispeream, vel, me diris devovee suppliciis. Sed potest et proximus Versus subjectus esse imprecationis loco subjungendae ei, quod hoc Versu proposuerat: si per fraudem et dolum malum deceperim alios; ponderet me Deus in lance exactissima. Alii imprecationem Versu 8. expressam, cum nostro Versu connectunt, et Versum 6. veluti parenthesi includunt, sic serie concinnata: *si ambulavi cum mendacio (ponderet me Deus lancibus rigidissimis!), si declinavit pes meus*, etc. *seminem, et alius comedat.* וַתְּחַשׁ referendum esse ad radicem חָשָׁה, sed quae communem cum חוּשׁ significationem habet (cf. not. ad Ps. 65, 10.), arguit Patach sub ת, ut ab עָשָׂה est וַיַּעַשׂ, וַתַּעַשׂ.

6. יִשְׁקְלֵנִי בְמֹאזְנֵי־צֶדֶק *Appendat me in bilancibus justitiae*, i. e. aequa lance (ut Lev. 19, 36.), ut sciatis, o socii, non me haec tam dira pati ob scelera mea, וְיֵדַע אֱלוֹהַּ תֻּמָּתִי *Et cognoscat Deus meam integritatem*, pro qua nunc ita graviter punior. Atque quum expensa fuerit tota vitae meae ante actae ratio, et innocentia, una ex parte, et ex altera atrocia haec mala, quae perfero, apparebit, non me, ut socii volunt, ob delicta praecedentia puniri, sed subesse aliam causam, ob quam ita me affligat Deus, mihi ignotam. Quidam וְיֵדַע enunciative, *et sciet*, exponunt, q. d. ubi me lance aequa, et acta mea appenderit, cognoscet meam integritatem. Sed rectius *sciut* verti videtur. Sciebat quidem Deus, sed sic ex affectu loquitur adversum socios, ut et interdum Psalmorum auctores, et notanter Ps. 7, 4. 6. Ita hic Jobus: cognoscat meam innocentiam, et me affligere desinat.

7. אִם תִּטֶּה אֲשֻׁרִי מִנִּי דָּרֶךְ *Si deflexerit gressus meus a via* sc. recta, a recto virtutis et continentiae tramite, וְאַחַר עֵינַי הָלַךְ לִבִּי *et post oculos meos ambulaverit cor meum*, ductus fuerit cupiditate rerum a me visarum. וּבְכַפַּי דָּבַק מאום *Et manibus meis adhaeserit macula*, labes ulla, ut scilicet quisquam alteni rapina aut fraude rapuerim vel interverterim. Quidam מאום dictum putant pro מְאוּמָה *quicquam*, rerum scilicet alienarum, collato loco Deut. 13, 18. וְלֹא־יִדְבַּק בְּיָדְךָ מְאוּמָה, ubi tamen additur מִן־הַחֵרֶם *ex eo quod Deo est consecratum.* Ita Syrus: *ut si adhaesit in me quicquam.* Sed *aliquid* ubique dicitur מְאוּמָה,

Digitized by Google

nusquam, ut hic, מאום, quod pro מדם (in quibusdam codd. h. l. extans) scriptum, ut Dan. 1, 4. de Daniele et tribus sociis, in quibus dicitur non fuisse מאום *macula*, labes ulla, a ita quiescenti, ut prorsus abundet, ut in לראובני *Rubenitae*, Deut. 3, 12. Chaldaeus utrumque conjunxit, vertit enim ita: וּבִידַי אִדְּבִיק מִדַּעֲם וְחַבּוּלָא *et manibus meis adhaeserit quicquam maculae.* Hieronymus: *macula.* Alexandrinus sensum liberius expressit: *καὶ εἰ ἐν ταῖς χερσίν μου ἥψάμην δώρων.*

8. Subjungit imprecationem: si hoc feci, accidat mihi hoc, ut אֲזָרְעָה וְאַחֵר יֹאכֵל *seram et alius comedat;* similes diras vid. Lev. 26, 16. Deut. 28, 30. 38. — וְצֶאֱצָאַי יְשֹׁרָשׁוּ *Et germina mea eradicentur*, quibus vel liberi, proles, intelligi possunt, ut supra 27, 14., quomodo et Hieronymus hic *progeniem* vertit; vel genuino sensu de *germinibus* e terra exeuntibus, frugibus, ut Jes. 34, 1. 42, 5. capi potest.

9. אִם־נִפְתָּה לִבִּי עַל־אִשָּׁה *Si illectum est cor meum super mulierem*, i. e. forma alienae uxoris, ut eam concupiscerem. וְעַל־פֶּתַח רֵעִי אָרָבְתִּי *Et* si *ad ostium* socii mei *eum insidiatus*, quum maritus domo exiisset, ut ejus uxore facilius potirer, aut alias adstanti prae foribus ejus uxori insidiatus sum, occasionem captans ejus ad me alliciendae, et ad mea vota trahendae.

10. תִּטְחַן לְאַחֵר אִשְׁתִּי *Molat alteri uxor mea*, quod plerique sic explicant: tegatur uxor mea ad patiendum alius concubitum, ut verbum *molendi* h. l. eodem sensu sumatur, quo non raro a Latinis usurpatur, ut in illo Horatii (*Satyr.* L. I. *Eclog.* II. Vs. 35.), *alienas permolere uxores.* Sic et Hebraei intelligunt, quod Jud. 16, 21. de Simsone narratur, וַיְהִי טוֹחֵן בְּבֵית הָאֲסִירִים *et moliebat in domo vinctorum*, quod ad ipsum Palaestini certatim suas uxores adduxerunt, suscipiendae ex eo prolis causa ob ipsius robur. Et Hieronymus illud Jeremiae in Threnis 5, 13. בַּחוּרִים טְחוֹן נָשָׂאוּ *adolescentes ad molendum sustulerunt*, interpretatur: *adolescentibus ad impudicitiam sunt abusi*, ad concubitum scilicet nefandum. Ita et hoc loco vertit: *scortum sit alterius uxor mea.* Et Chaldaeus: *coeat cum alio uxor mea.* Alexandrinus honeste et tectis verbis: *ὀρέσαι ὅπου ἡ γυνή μου ἑτέρῳ ἀνδρί, placeat viro alteri uxor mea.* Illam interpretationem commendare videtur alterum hemistichium: וְעָלֶיהָ יִכְרְעוּן אֲחֵרִין *et super eam incurvent se alii*, i. e. per vim comprimant, et consuetudinem eum ea habeant. Nec male tamen prius hemistichium respondebit alteri, si verba, ut sonant, intelliguntur, quod tam temporis inter servitutum genera fuerit illa dirior et abjectior in pistrinis ad molas agitandas et versandas adigi, ut est Ex. 11, 5. *A primogenito regis usque ad primogenitum ancillae, quae est post molas.* Et apud Jesajam 47, 2. Puella *Babylonia*, *sume molas, et commolito farinam;* ad quem loc. not. vid. Hinc verborum nostrorum sensus hic esse potest: *Molat alteri*, viro

Digitized by Google

non suo; hanc alii servitutem praestet, sit alteri serva ad pistrinum addicta, et infimam hanc et durissimam servitutem, ac in pistrino ad eam usque abjectionem redigatur, ut ancillarum more tractetur, et per contemtum ac ignominiam sit omnibus exposita et prostituta. אַחֵרִין ultima *Nun* pro *Mem*, more Aramaeo, ut supra 12, 11. Ezech. 4, 9. Dan. 12, 13.

11. כִּי הִיא זִמָּה *Nam est istud nefas*, grande scelus, sollicitare aut subornare alterius uxorem. זִמָּה etsi suapte natura est μέσον (a זָמַם *cogitavit*), solet tamen in malum sumi pro *nefaria cogitatione*, nefando facinore, flagitio, ut Levit. 18, 11. Jud. 20, 6. Prov. 21, 27. וְהִוא עָוֹן פְּלִילִים *Et hoc est delictum pro judicibus*, subaudito ל ante פְּלִילִים, vel repetito nomine עָוֹן in statu constructo (cf. not. ad Ps. 60, 5.): *delictum*, inquam, *judicum*, i. e. gravissimum; quod ad judices publicos deferendum, ab iisque puniendum. פְּלִילִים (contracte pro פְּלִילִיִּים a פְּלִילִי infra Vs. 28., ut a יְהוּדִי *Judaeus*, יְהוּדִים pro יְהוּדִיִּים) proprie sunt *arbitri*, vid. Ex. 21, 22., hinc in genere *judices*, qui causas cognoscunt et disceptant, unde פְּלִילִיָּה *judicium*, Jes. 28, 7.

12. כִּי אֵשׁ הִיא עַד־אֲבַדּוֹן תֹּאכֵל *Nam ignis est* qui *usque ad perditionem devorat*, usque ad internecionem devorasset me, puta, et mea omnia, וּבְכָל־תְּבוּאָתִי תְשָׁרֵשׁ *et in omni proventu meo radices perdit*, perdidisset. Provocasset hoc tantum scelus a me commissum Dei in me iram, quae in me tanquam ignis omnia vastans, et fruges etiam ipsas funditus excidens, desaeviisset.

13. אִם־אֶמְאַס מִשְׁפַּט עַבְדִּי וַאֲמָתִי בְּרִיבָם עִמָּדִי *Si sprevi* s. aversatus sum *jus*, causam, *servi mei aut ancillae meae, quum illi mecum contenderent*, quum illi conquererentur apud me suum jus defendentes, quum illos objurgarem, aut durius tractarem, sane illis permisi, ut jus suum defenderent, mea in illos potestate non abutens. Significat ergo, se injustitia non usum in inferiores, ne servos quidem aut ancillas, nec illis crudelem fuisse, aut severiorem, quanto minus in alios, vel aequales?

14. וּמָה אֶעֱשֶׂה כִּי־יָקוּם אֵל *Et quid facerem*, si talia perpetrassem, *quando surgeret Deus* ad inquisitionem et vindictam. Hieronymus: *ad judicandum.* Cf. Ps. 7, 7. 12, 6. 68, 1. וְכִי־יִפְקֹד מָה אֲשִׁיבֶנּוּ *Et quum visitaret*, disquireret me et acta mea, ut pro iis reddet, *quid ei responderem?* Dei magis metu, quod optimae conscientiae testimonium est, quam hominum, se ductum esse ostendit.

15. הֲלֹא בַבֶּטֶן עֹשֵׂנִי עָשָׂהוּ *Annon* similiter *in utero* qui *me condidit, condidit et illum?* eadem ratione, qua me. Nonne unum patrem habemus Deum, indeque fratres sumus? וַיְכוֹנְנֵנוּ בָּרֶחֶם אֶחָד *Et formavit nos in utero unus;* idem Deus utriusque formator. Alii: *in utero uno*, non ratione numeri, sed speciei et similitudinis, i. e. nos condidit eadem naturae lege et forma-

Digitized by Google

tionis in matrice. Ita Alexandrinus: *ἐν τῇ αὐτῇ κοιλίᾳ.* Nec non Syrus: *et in utero uno aptavit nos.* Sed tum בָּרֶחֶם הָאֶחָד dicendum erat. Recte Symmachus: *ἐν ὁμοίῳ τρόπῳ.* Pro וַיְכוֹנְנֵהוּ in pluribus codicibus et libris editis legitur וַיְכוֹנְנֵנוּ cum Dagesch in posteriori Nun, seu suffixo tertiae personae singularis. Unus de Rossii codex habet וַיְכִנְנֵהוּ. Sed pleniorem fundit sensum vulgo receptum וַיְכוֹנְנֵהוּ, quod et veteres omnes expresserunt, Hieronymo excepto, qui *formavit me* vertit, quod ipsum refert unus de Rossii codex, in quo וַיְכוֹנְנֵנִי exstat. In uno Kennicotti codice scriptum reperitur וַיְכִינְנֵנִי, in Hiphil. Sane in Kal alias non legitur. Hinc alii referunt ad Piel, in forma Pohel, quasi esset pro וְיְכוֹנְנֵנִי. Huc pertinet, quod in Bibliis Athianis (Amstelod. 1661.) est cum Cholem וַיְכוֹנְנֵהוּ. Cf. Piel וַיְכוֹנְנֶךָּ, Deut. 32, 6., et וַיְכוֹנְנוּנִי Ps. 119, 73.

16. Jam amolitur a se immisericordiam in pauperes, pupillos et viduas. אִם־אֶמְנַע מֵחֶפְצָץ דַּלִּים *Num prohibui a desiderio tenuium* quicquam? s. panem (coll. supra 22, 7.)? Num denegavi tenuibus quae peterent a me, et optarent, interim dum abundarem? Cf. ad constructionem verbi מָנַע *prohibuit* seq. מ, *a quoquam* aliquid, i. e. denegavit ei, Gen. 30, 2. 1 Sam. 25, 34. 2 Sam. 13, 13. 1 Reg. 20, 7. al. וְעֵינֵי אַלְמָנָה אֲכַלֶּה *Aut oculos viduae feci deficere?* frustratus sum spe sua, quum intentis in me oculis summo studio aliquid a me peterent et exspectarent? *Consumtio oculorum* Hebraeis dicitur, quum quid avidissime exspectaturo oculis velut intentissimis in illud, nec tamen obtinetur. Vid. supra 11, 20. et ibi not.

17. מְמַּנָּה — וְאֹכַל *Et* num? vel: si *comedi buccellam meam solus, ut non comederet parentibus orbus de ea.* Egenum significat se aluisse, nec bonis suis, quum abundaret, pauperes fraudasse, sed candide tenuioribus potestatem fecisse de sua mensa vescendi. Subaudiunt ad hunc Versum et praecedentem interpretes haud pauci imprecationem (cf. supra ad Vs. 5.), qua tamen non est opus, si interrogative haec accipiantur. Repetenda autem est sub hujus Versus initio ex superiori אִם, interrogandi particula.

18. כִּי מִנְּעוּרַי גִּדְּלַנִי כָאָב וּמִבֶּטֶן אִמִּי אַנְחֶנָּה *Nam a pueritia mecum crevit tanquam patri, et ab utero matris ducebam eam.* Constructio est earum, quae dicuntur *πρὸς σημαινόμενον*, subaudiendo in posteriori hemistichio אַלְמָנָה *viduam*, quam in animo habebat, quia יָתוֹם *pupillum* (in priori hemistichio subaudiendum) memoraverat, praecedente Versu; quae passim conjungi solita, quod hominum injuriis et vexationibus opportuna sunt et obnoxia, solido praesidio destituta et auxilio. Sermo porro concisus est, dum גִּדְּלַנִי dixit pro גָּדַל עִמִּי *adolevit mecum* pupillus, assidue eum domi meae alui, institui, educavi tanquam pater. Nam et כָּאָב dictum est pro כְּמוֹ עִם אָב *tanquam cum patre*, s. apud patrem, perinde ac si ei essem pater, ita apud me

Digitized by Google

est educatus. אַנְחֵנֵהוּ *Ducebam eum*, i. e. dirigebam, ejus negotia procurans, et causam defendens; velut ei in omnibus rebus dux eram. Quando autem dicit se id jam inde a matris utero fecisse, hyperbole utitur, qua innuit, hoc sibi velut innatum et proprium fuisse jam inde ab ineunte aetate. Est tantum repetitio ejus, quod dixerat, מִנְּעוּרַי *a pueritia mea*. Eadem figura usus Psaltes 58, 4. *Abalienati sunt improbi inde ab utero; erraverunt a ventre matris loquentes mendacium.* Nec non Lucianus, apud quem Vulcanus, *Dialog. Deor.* IV., de Mercurio verba faciens, sic ait: οὗτος ὀξύχειρ ἐστὶ, καθάπερ ἐν τῇ γαστρὶ ἐκμελετήσας τὴν κλεπτικήν. *Tam acutis est manibus, ac si in utero meditatus sit artem furandi.*

19. אִם־אֶרְאֶה אוֹבֵד מִבְּלִי לְבוּשׁ *Num vidi pereuntem* frigore *absque vestimento*, eo quod non esset ei vestimentum? Num talem videre sustinui non commotus, et in misericordiam flexus? וְאֵין כְּסוּת לָאֶבְיוֹן Et num sustinebam videre, quod *non esset operimentum inopi?* Sensu plane alieno Hieronymus: *Si despexi pereuntem, eo quod non indumentum habuerit.*

20. אִם־לֹא בֵרְכוּנִי חֲלָצָיו *Nonne bene precati mihi sunt ejus lumbi?* Per prosopopoeiam dicit, quasi operta a se latera sibi sint bene precata, et gratias egerint. וּמִגֵּז כְּבָשַׂי יִתְחַמָּם *Et ex vellere agnorum meorum calefaciebat sese?* i. e. de panno meo, ex lana mearum ovium confecto. גֵּז proprie *tonsionem* significat, unde pro *vellere* sumitur, ut Ez. 34, 3. 44, 17. Hos. 2, 9. Eodem nomine a *tondendo* alias dicitur *cordum*, foenum novissime aut secundo succrescens, ex quo semel aut iterum detonsum et resectum est, ut Ps. 72, 6. Amos. 7, 1.

21. אִם הֲנִיפוֹתִי עַל־יָתוֹם יָדִי *Si agitavi adversus pupillum manum meam*, ut eum percuterem, aut eum mea potentia opprimerem, manum ei violentam injiciens, aut alioqui terrens mea potentia; כִּי־אֶרְאֶה בַשָּׁעַר עֶזְרָתִי *quum viderem in porta*, in judicio (ut supra 29, 7) *auxilium meum*, i. e. mihi paratum auxilium, q. d. etsi omnes in foro scirem a me staturos, et me superiorem agnoscerem; nequaquam tamen mea auctoritate et potentia sum abusus.

22. Subjungit imprecationem: si illud fecerim, כְּתֵפִי מִשִּׁכְמָהּ תִּפּוֹל *scapula mea ab humero suo*, i. e. a sua junctura, a suo osse, cui colligatum est, *decidat*. שִׁכְמָה i. q. alias שֶׁכֶם, est tota latitudo humeri, quae exstat a collo ad brachium utrinque (cf. infra Vs. 36.), utriusque humeri posterior compages, ideoque semper est numeri singularis; כָּתֵף autem ipsum armum, seu scapulam, i. e. os, quo humerus colligatur, notat, et est etiam plurale, vid. Ex. 28, 7. 12. Jud. 16, 3. I Reg. 7, 34. Quia *manus* meminerat, si eam pupillo injecerit, ideo nunc pro imprecatione subjungit, ut armus, cum quo brachium colligatur, e junctura sua decidat, et (in altero hemistichio) brachium itidem (אֻמְרִי)

Digitized by Google

i. q. alias זְרוֹעַ), quod proprie est id, quod a cubito ad digitos usque protrahitur, a sua junctura abrumpatur et confringatur, in poenam hujus violentae et injustae percussionis pupilli. קָנָה *Canna* s. *calamus*, denotat h. l., contextu docente, *lacertum*, appellatque ita os illud oblongum, quod a superiori osse armi seu humeri ad cubitum usque protenditur, quod sit teres et oblongum, in modum arundinis. Literam ה ad nomina שִׁכְמָה et קָנָה plures habent pro suffixo ad כְּתֵפִי et אֶזְרֹעִי referendo, ut sit Mappik omissum, ut in vocibus pluribus aliis. Id expressit Hieronymus: *brachium meum cum suis ossibus confringatur.* Et Syrus: *et brachium meum a canna sua confringatur.* Ac hodienum plures exstant codd., in quibus Mappik utroque loco est inscriptum. Vid. DE ROSSII *Scholia Critt.* ad h. l. p. 123. Verum sicut קָצָה et קָצֶה idem significant, ita et קָנָה et קָנֶה et שִׁכְמָה ac שְׁכֶם promiscue usurpata fuisse videntur.

23. Causam addit, quod hoc religione et Dei metu fecerit, nam hominum effugisset judicia. כִּי־פַחַד אֵלַי אֵיד אֵל *Quia pavor super me* (אֵלַי pro עָלַי, nam פַּחַד cum עַל jungitur, vid. 2 Paral. 14, 13. 17, 10. 20, 29.), *pernicies Dei*, i. e. pernicies a Deo immittenda et poena irroganda eis, qui pupillos opprimunt; mihi metum incutiebat exitium, quod a Deo manet tales oppressores. De nomine אֵיד vid. not. ad 18, 12., quo loco et aliis, quibus legitur, *calamitatem gravem, exitium*, notat. וּמִשְּׂאֵתוֹ לֹא אוּכָל *Et* quod *prae majestate ejus nihil possem.* Vel: *non valerem, non possem*, scil. consistere. Ita Syrus: *et prae agitatione*, s. tremore *non potui subsistere.* Hieronymus: *et pondus ejus ferre non potui.* Videtur pro וּמִשְּׂאֵתוֹ legisse וּמַשְּׂאֵתוֹ.

24. Hoc Versu et proximo avaritiae ac divitiarum cupiditati se deditum fuisse negat; nec, etsi quotidie novae accederent facultates, ad eas animum adjecisse, aut immodica cura et anxietate illis inhiasse. אִם־שַׂמְתִּי — מִבְטַחִי *Num posui aurum spem* s. *fiduciam meam? aut auro puro dixi: o fiducia mea!* s. *fiducia mea*, scil. tu es.

25. אִם־אֶשְׂמַח כִּי־רַב חֵילִי *Num laetatus sum, cum multum erat robur meum?* i. e. opes meae amplae cum essent. חַיִל de opibus et supra 20, 15. — וְכִי־כַבִּיר מָצְאָה יָדִי *Et cum ingens*, i. e. ingentem auri, argenti ac opum vim, *inveniebat manus mea*, i. e. mihi paraveram.

26. Jam idololatriae crimen a se removet. אִם־אֶרְאֶה אוֹר *Num adspexi lumen?* i. e. solem, ut infra 37, 21. Jes. 18, 4. Habac. 3, 4. Homero quoque sol non tantum λαμπρὸν φάος ἠελίοιο, verum et simpliciter φάος dicitur, ut in illo Odyss. *Γ.* 335. Ἤδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον. כִּי יָהֵל *Quum splenderet*, scil. in ortu suo. וְיָרֵחַ יָקָר הוֹלֵךְ *Et lunam clare incedentem*, clara luce in coelo gradientem, ut in plenilunio, vel alias, quum

Digitized by Google

pleniori fulget lumine. Haec ad astrorum cultum referenda esse, quae proxime sequuntur, aperte indicant. Antiquissimum hoc et per omnes fere gentes diffusum superstitiosi cultus genus (cf. P. E. JABLONSKII *Pantheon Aegyptiorum*, Prolegg. p. CX.), cujus et Deut. 4, 19. 2 Reg. 23, 5. 11. Ezech. 8, 16. mentio facta est. Ezechiel l. c. Israelitas reprehendit, quod facies suas orientem solem versus converterent, ejus adorandi causa. Ab hac impietate se hoc loco fatetur Jobus abhorruisse; negatque lumina coelestia studiosius contemplatum et admiratum esse, et divinum quid illis tribuisse. Quamvis socii illud crimen ei non impegissent, tamen, dum morum suorum constantem tenorem enarrat, totiusque anteactae vitae apologiam instituit, multa etiam a se vitia depellens, quae ipsi accusantium diritas minime impegerat, rem momentosissimam praetermittere neutiquam debuit.

27. Subaudiendum est sub hujus Versus initio אִם, interrogandi nota. וַיִּפְתֶּה בַסֵּתֶר לִבִּי וַתִּשַּׁק יָדִי לְפִי *Aut num seductum est cor meum in occulto, ut osculum applicare manus mea ori meo?* in signum reverentiae et honoris, quem illis exhiberem. Nec occulta quidem animi cogitatione apud me divinos illis honores decrevi; ne clam quidem id feci, tantum abest, ut palam. Manus alicujus osculari, signum reverentiae, vid. not. ad Ps. 2, 12. p. 36. Cum vero manum alterius osculari non liceret, suam pro aliena osculari moris fuit. Hinc emanasse Latinorum *adorandi* verbum, jam plures observarunt. PLINIUS *Hist. Nat.* XXVIII, 2. *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus, et totum corpus circumagimus.* Iste autem consuetus fuit Numina adorandi ritus, ut cum fanum aliquod praeterirent, manum ori, capite inclinato, admoverent, atque ad osculum referrent, pavidoque murmure pacem, et veniam horum luminarium deprecarentur. Sic in Syria morem esse, orientem salutandi solem, docet TACITUS *Hist.* L. 3. c. 24. Similiter LUCIANUS in libro *περὶ ὀρχήσεως: Καὶ Ἰνδοὶ ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχονται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν. Et Indi, mane surgentes adorant solem, non, sicut nos, manum osculantes existimamus perfectum esse nostrum votum.* Pari ratione TURNEBUS *Adversarr.* L. 18. Cap. 8. et L. 25. Cap. 1. veteres solitos scribit in portis urbium aliqua Deorum simulacra statuere, quae, qui urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis, jacta dextra manu, salutare, moxque manum ad osculum referre consueverant. Respicit huc MINUCIUS FELIX in *Octavio* Cap. 2. *Caecilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosum solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit.*

29. הִתְעֹרַרְתִּי *Excitavi me* sc. ad gaudendum. Hieronymus: *exsultavi.* Alexandrinus: *καὶ εἰ εἶπον τῇ καρδίᾳ μου. εὖγε.* Chaldaeus: *jubilavi.* Alii: *animos mihi sumsi* sc. עָלָיו *adversus eum*, ad insultandum ei; quum ejus ruinam viderem.

Digitized by Google

30. וְלֹא־נָתַתִּי לַחֲטֹא חִכִּי *Nec dedi ad peccandum palatum meum*, non laxavi ori meo habenas ut peccarem ei maledicens, aut sinistri aliquid in eum jactans. לִשְׁאֹל בְּאָלָה נַפְשׁוֹ *Ad petendum*, ut peterem, s. petendo, *in s. cum maledictione*, per imprecationem, *animam ejus*, optans ejus mortem, et ei exitium imprecans. Hieronymus: *ut expeterem maledicens animam ejus.* Chaldaeus: *ut expeterem mortem animae suae.*

31. Hunc Versum interpretum plures connectunt cum antecedentibus duobus; ubi Jobus testatur de se, quam lentus fuerit in injuriis ferendis, quam nullo vindictae studio in osores suos actus, quos tantum aberat ut retaliare vellet malefactis, ut eis ne male quidem precaretur, imo apud animum nullo acerbiori in eos affectui indulgeret, atque eadem mente jam hoc Versu addere faciunt, se domesticorum (מְתֵי אָהֳלוֹ *hominum tentorii sui*) impetum cohibuisse, qui heri ulciscendi impatientia subinde clamitarent: מִי־יִתֵּן מִבְּשָׂרוֹ לֹא נִשְׂבָּע *quis dabit de carne ejus* scil. hostis Jobi? i. e. utinam nobis hujus hostis carnem dentibus lacerandum quis praebeat; *non satiabimur* scil. ea, prae vindictae cupiditate. Quae sententia tamen habet nescio quid atrox et immane, quod mens lectoris illico respuit. Sensum multo elegantiorem simul et faciliorem ostendit Ikenius, in literis ad Schultensium datis, ipso in Commentario ad h. l. referente et calculum addente. Non cum praecedentibus hunc Versum Ikenius connectit, sed cum subsequentibus, ubi hospitalitas insignis memoratur, quam benignissimo animo Jobus exercebat erga extraneos et peregrinos. Ita verba hebraea reddit: *domestici mei dixerunt: Quis dabit,* qui *de carne ejus* heri, *non sit satiatus?* Monet, מִי יִתֵּן non semper esse *utinam!* sed etiam usurpari pro *quis exhibebit? quis monstrabit?* ut supra 14, 4. Porro מִבְּשָׂרוֹ *de carne ejus*, nempe *pecudum mactatarum ab eo*, ut 1 Sam. 25, 11. נִשְׂבָּע autem non est pro prima numeri pluralis persona habenda, sed pro Participio vel Praeterito Niphal. Ita sensus hic erit, tantam fuisse Jobi hospitalitatem, ut domestici ejus dicere ex vero potuerint, neminem daturum, monstraturum, aliquem, qui de dapibus Jobaeis non sit saturatus.

32. בַּחוּץ לֹא־יָלִין גֵּר *Foris non pernoctabat peregrinus.* Bene Syrus: *in platea non feci*, non permisi, *pernoctare peregrinum.* דְּלָתַי לָאֹרַח אֶפְתָּח *Fores meas ad viam aperiebam*, aperire solebam, ut viatores, si qui venirent, viderem, eosque hospitio exciperem. Pro לָאֹרַח veteres omnes legerunt לָאֹרֵחַ *viatori.* Alexandrinus: ἡ θύρα μου πᾶσι ἐλθόντι ἠνέῳκτο. Hieronymus: *ostium meum viatori patuit.* Chaldaeus: *ostia mea peregrino aperiebam.* Syrus: *et januam meam viatori aperui.* Sane לָאֹרֵחַ melius respondet τῷ ξένῳ in primo hemistichio, etsi in nullo adhuc codice repertum.

Digitized by Google

33. אִם־כִּסִּיתִי כְאָדָם פִּשְׁעִי *Num texi*, celavi, *ut Adamus, deliota mea?* De כְּאָדָם dubitatur, sitne *sicut homo*, s. collective, *sicut homines*, aut *sicut Adamus* vertendum. Sed sententia haec, *non abscondidi peccata mea sicut homines* solent, i. e. more humano, flaccida est et parum concinna, quae nempe universis hominibus vitium insitum, ab eoque haud divellendum supponeret, a quo se tamen Jobus immunem profiteretur. Omnino reddenduni igitur: *num texi, sicut Adamus, peccatum meum?* Notum, qua ratione statim a lapsu Adamus sub arboreta se abdiderit, ut judicis oculos fugeret, ac inde protractus delictum excusare studuerit. Gen. 3, 12. Jobus igitur, postquam asseruisset se cavisse sedulo, ne quicquam peccaret, addit, si qua forte eum culpa attinuerit, candide eam confessum esse. Eandem ingenuitatem confessionis, quae ab innocentiae laude proxima est, sibi asserit Psaltes 32, 5. Inter veteres solus Chaldaeus כְּאָדָם *sicut Adamus* vertit, nam si *sicut homo* exprimere voluisset, scripsisset כְּבַר נָשָׁא, quod Syrus habet. Alexandrinus quoque כְּאָדָם *ex infirmitate humana* explicasse videtur, vertit enim: εἰ δὲ καὶ ἁμαρτῶν ἀνουσίως ἔκρυψα τὴν ἁμαρτίαν μου. לְטָמוֹן בְּחֻבִּי עֲוֹנִי *Ad occultandum*, s. occultando *in sinu meo iniquitatem meam.* חֹב, quod hoc solo loco legitur, videtur vocabulum magis aramaeum quam hebraeum esse, usurpatur in Targum Jonathanis et Hierosolymitano aliquoties pro hebraeo חֵיק *sinus*. Vid. Buxtorfii *Lexic. Chald. Talmud.* p. 695. Et h. l. Chaldaeus vertit בְּעָמְמִי *in sinu meo.*

34. כִּי אֶעֱרוֹץ הָמוֹן רַבָּה *Quia formidabam multitudinem magnam.* Hic Versus cum superiori ita cohaeret, ut causas contineat, quibus vulgo peccata sua occultare homines solent, quae tamen Jobum minime absterruerint, quin, si quid culpae forte commiserit, id libere sit professus. Ita igitur, particulae כִּי usitata vi retenta, connectendum erit: num defectiones meas occultavi, palliavi, eo quod timerem turbam multam? וּבוּז מִשְׁפָּחוֹת יְחִתֵּנִי *Aut quod contemtus familiarum me terruit?* aut quia tribuum contumelia me deterreret? וְאֶדֹם *et silui*, i. e. quod silendum mihi esset? לֹא־אֵצֵא פֶּתַח *nec exivi ostio?* aut quod extra fores prodire verendum mihi esset? Nec tamen silentio praetereunda A. Schultensii explicatio, qua hoc Versu *imprecationem*, delictis inde a Vs. 24. memoratis, subjungendam contineri censet. Particulam כִּי h. l. eodem modo, ut supra 8, 6., usurpatam putat ad inferendum id, ad quod conditio tendebat. Iste locus ita sonat: *Si tu Deum requiras, si purus et rectus es,* כִּי עַתָּה *sane evigilabit tibi* etc. Sic quoque infra 37, 20. אִם et כִּי in *protasi* et *apodosi*. Ad eam structuram hic, a Versu 24. repetito illo אִם, *si posui aurum spem; si suspexi solem, quum niteret; si laetatus sum in plaga osoris; si non dixerunt mei domestici;* postremo, *si* in hac mea contestatione *velavi prae-*

Digitized by Google

varicationes meas; consterner nunc statim *magno cum tumultu; et publica contemtio familiarum* omnium *me frangat penitus, in silentiumque stratus* et defixus, *non egrediar foras,* Dei hominumque exsecratione percussus et perculsus in aeternum confundar. Alii volunt Jobum suam modestiam commendare, quod vel abjectissimis cesserit, et culpam suam agnoverit. Interpretationem hoc modo instituunt: *quia* licet *terrerem turbam multam,* multis essem ob potentiam et auctoritatem meam terrori; tamen *despectus* i. e. vilissimus quisque *familiarum*, qui vel ex obscurissima erat familia, *terrebat me*, si mecum contenderet, et si quid me ille offendisse ostenderet, *itaque silui nec egressus sum fores domus meae;* sed me domi continui prae pudore et modestia. Sententia non satis ex facili fluens.

35. Redit ad votum et optatum, quod et supra aliquoties fecit, quum optaret sibi aequum dari judicem, et maxime Deum, apud quem se speraret causam suam victurum. Cf. supra 9, 32. sq. 13, 22. 19, 23. מִי יִתֶּן־לִי שֹׁמֵעַ לִי *Quis dabit mihi auscultantem mihi*, i. e. utinam sit, qui me audiat, aequus judex cognoscat causam meam? הֵן תָּוִי *Ecce signum meum!* Vid. תָּו Ezech. 9, 4. collato arabico תַּוٌ *signum in animalis collo aut femore impressum.* Quod alii explicant *subscriptionem*, qua is, cui lis intenditur, significat se in jus venire paratum, alii *tabulas signatas*, quibus causa defenditur in judicio. Recte; nam respondet סֵפֶר in altero hemistichio. Prioris vero hic erit sensus: *utinam quis me audiat!* judex sedeat! *en tabulas signatas!* quas in judicium defero. שַׁדַּי יַעֲנֵנִי *Omnipotens respondeat mihi!* וְסֵפֶר כָּתַב אִישׁ רִיבִי *Aut libellum scribat vir litis meae*, i. e. adversarius meus, actor meus, ut Jes. 41, 11. Actionem contra me instituat! Adversario autem suo intelligit Deum. תָּוִי sunt qui *desiderium meum* interpretentur, quasi pro תַּאֲוִי, et hoc pro תַּאֲוָתִי sit positum. Ita Chaldaeus: *ecce desiderium meum, ut Omnipotens respondeat mihi.* Et Hieronymus: *quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens, et librum scribat ipse, qui judicat.*

36. אִם־לֹא עַל־שִׁכְמִי אֶשָּׂאֶנּוּ *Nonne super humerum meum gestarem eum?* scil. libellum, ostentationis causa eum circumferrem. אֶעְנְדֶנּוּ עֲטָרוֹת לִי Imo *alligarem eum* tanquam *coronas mihi*, illum mihi potius ornamento esse putarem, quam dedecori, quia scio eum ad meam innocentiam potius facturum esse, quam ad me condemnandum.

37. מִסְפַּר צְעָדַי אַגִּידֶנּוּ *Numerum gressuum indicabo* s. indicarem *ei*, tantum abest, ut respuerem eum, qui talem librum actionis adversus me conscribere instituisset, ut etiam eum adjuvarem, dum omnia illi acta mea sigillatim exponerem. Magnum bonae conscientiae testimonium. כְּמוֹ נָגִיד אֶקְרָבֶנּוּ *Tanquam princeps ad eum accederem*, i. e. libere, audacter et intrepide,

Digitized by Google

ut principes liberius omnia faciunt, vel in aciem intrepide cum suis turmis prodeunt.

38. Post solemnem illam contestationem (Vs. 35. 36. 37.), quae commodissime sermonum Jobaeorum clausulam constitueret, tribus qui jam adduntur Versibus resumi criminum, quae Jobus a se amoliri studuit, catalogum, supra ad Vs. 35. abruptum, et novo crimine augeri, plures interpretes offendit. Hinc jam Bolducius, Theologus ex ordine Capucinorum, cujus Commentarius in Jobum Lutet. Parisior. anno 1687. prodiit, conjecit, haec librariorum incuria a proprio loco desita, vel relicta, huc irrepsisse, eorum vero sedem propriam esse post Versum 8., qui de eadem materia est. Eichhornius tamen in Conjecturis super aliquot Jobi loca in *Biblioth. Literat. bibl.* P. II. p. 617., quam in versione teutonica, tres hosce versiculos, Kennicotto praeeunte, post Vs. 25. inseruit. Sed recte monuit Stuhlmann, aeque commode post Vs. 4., vel Vs. 8., vel Vs. 12. etc. illos inseri posse. Ipse post Versum 34. sedem eis assignat: quippe quod a serie hodierni tectus minus abhorreret. Sensit istam incommoditatem, ut a tali interprete est exspectandum, et A. Schultens, sed subdit: „Transponemusne ergo? Temerarium id, refragantibus omnibus versionibus veterum, aeque ac codicibus.“ Difficultatem illam autem hac observatione tolli putat, priora crimina magis *privatam* spectare *vitam*, et *personam* Jobi, hocce autem *publicam*, quod cum tyrannide et oppressione publica est conjunctum, et efficit clamans peccatum, publicam quoque maledictionem Dei in tyranni caput deposcens. *Privatis* poetam voluisse tandem *publicum*, et cumulatissimum injustitiae genus subnectere, et in ejusdem cumulatissima quoque poena desinere. Quod num omnibus satisfaciat, equidem nescio; nec tamen ipse habeo melius quid impertiendum. Non autem mirandum est, si in tam vetusti Orientalis poetae opere, a nostro sentiendi et judicandi modo tam longe diversi, aliquid subinde contra legitimum ordinem et nexum, aut contra disertissimos nostrorum criticorum canonas, circa τὸ πίθανον et τὸ πρέπον admissum, deprehendere nobis videamur. Sensus ceterum minime obscurus est: negat, se alienos fundos injusto modo occupasse et possessoribus eripuisse. אִם־עָלַי אַדְמָתִי תִזְעָק *Si adversum me humus mea clamat*; per prosopopoeiam hoc dicit, ut quum Gen. 4, 10. sanguis de terra vindictam postulare dicitur, aut ut Habac. 2, 11. parietes et tigna domus rapina ac sanguine aliorum aedificatae, clamant in eum, qui ipsam construxit. Sic terra, ubi injuste occupatur, in occupatorem clamare videtur. Alii eo referunt, quod immodicas operas a colonis exegerit, vel quod terram immodice fatigarit, et a colonis plus aequo vel laboris vel frugum exegerit, quam terra ferre posset. Sed prius est simplicius, ut de agris, quos inemptos occuparit, intelligatur. וְיַחַד תְּלָמֶיהָ יִבְכִּיוּן *Et* si *pariter* s. una

Digitized by Google

sulci ejus flent, quod injuste terram alienam detinebam ab aliis raptam.

39. אִם־כֹּחַ אִכַּלְתִּי בְלִי־כָסֶף *Si vires ejus comedi sine argento*, quod plures sic explicant: nam persoluto frugum aut proventus terrae pretio, vel universa colonorum mercede. Malim: si injuste, non persoluto pretio, aliorum terras fertiles invasi, suisque possessoribus eripui. Qui sensus magis concinit altero hemistichio: וְנָפַשׁ בְּעָלֶיהָ הִפַּחְתִּי *Et animam dominorum ejus afflare*, exspirare, *feci*, i. e. molestavi, afflixi, tanto moerore affeci, ut velut vitam efflarent (cf. supra 11, 20.), quia dominis suis terram eripuissem.

40. בָּאְשָׁה proprie *herbam malam*, *inutilem*, et plurale בָּאֲשִׁים peculiariter notat *labruscas*, vid. *Handb. der bibl. Alterthumskunde* P. IV. Vol. I. s. *Bibl. Naturgeschichte* P. I. p. 111. תַּמּוּ דִבְרֵי אִיּוֹב *Finita sunt verba Jobi*, quae scilicet fecit ad socios, ut causam suam defenderet, et innocentiam ostenderet. Deinceps enim non ultra loquetur, nisi paucula quaedam Cap. 40, 3. 4. et 42, 2—5., quae Deo respondebit, suam culpam agnoscens.

Digitized by Google

E L I H U.

Cap. 32. 33.

Perorata a Jobo causa, quum silerent adversarii, fortiter ab illo retusi et debellati, sermonem suscipit Elihu, interveniens velut arbiter et diremptor hujus totius controversiae, oratoris divinitus admoniti auctoritatem prae se ferens (vid. not. ad Cap. 33, 24.). Castigat is utramque partem, Jobum quidem, quod causam suam agens eo a suis affectibus se abripi passus esset, ut in Deum ipsum insurgens, eum auderet in jus vocare, optaretque cum eo contendere; tres autem adversarios, quod asperiores in amicum invecti, incertis suspicionibus eum vexassent et pro impio condemnassent, etsi nihil in eum, quo reum peragerent, afferre potuissent. Difficilis quaestionis inter utramque partem agitatae hanc affert solutionem, non omnes impios quidem censendos, qui gravissimis malis colluctentur, nec proaeretici ab illis sceleris poenas exigi: sed tamen serpere in illis, quantumvis piis, aliquod peccati latentis contagium, cujus ne ipsi quidem sibi sint conscii. Id tam atroci medicina compescendum, ne sensim grassante malo ad impietatem prolabatur bonus; castigationes has salutares esse, non poenas, non supplicia. Est igitur hic omnium rectissime loquutus, et sapientia ac prudentia reliquos vicit, ut Jobus nihil habuerit, quod ei responderet, sed se victum agnosceret, quum huc usque vicisset. Inde fit, ut cum finitis colloquiis Deus in scenam prodiret, et reliquos graviter peccasse admoneret, effugeret reprehensionem Elihu, atque veritatis laudem consensu divinorum oraculorum reportaret. Quae quum ita sint, nos neutiquam accedere possumus eorum sententiae, qui in Elihui sermonibus inani fastu inflatum juvenem audire sibi videntur, arrogantemque disputatorem qui nihil solidi afferat, aut quod ad nodi, mutuis Jobi sociorumque disceptationibus nexi, solutionem faciat. Haec et plura alia, quae in hisce sermonibus reprehendenda esse et Eichhornius censuit, Viro praestantissimo hanc moverunt suspicionem, universos hos sermones insertos esse huic poemati a seriori quodam scriptore, qui illis commodum transitum ad Numinis, sine tali praeparatione nimis subito appariturl, orationem facere voluerit.

Digitized by Google

Vid. *Einleit. in das A. T.* P. III. p. 597. ed. tert. (P. V. §. 644. b. p. 205. sqq. edit. quart.). Quae quidem conjectura adeo arrisit Stuhlmanno, ut in versione sua Jobeidos vernacula Elihui orationes a reliquo poemate segregaret, et seorsim translata appendicis loco subjiceret. Quod vix ab eo factum putemus, si legisset et perpendisset, quae isti opinioni opposuit STAEUDLIN in Commentat. inserta Operi, cui titulum fecit *Beyträge zur Philosophie und Geschichte der Religion und Sittenlehre*, P. II. p. 132. hac epigraphe: *Ueber die Philosophie, den Zweck und den Ursprung des Buchs Hiob*; cujus Commentationis pars prior interpretationem, altera apologiam horum sermonum continet, qui gravibus, nostro quidem judicio, argumentis reliqui poematis auctori vindicantur. Quid? quod in hoc ipso, quod Elihu suis orationibus lectores veluti praeparat ad Numinis apparitionem, quae alias utique nimis repentina eventura esset, haud leve argumentum esse *αὐθεντίας* horum sermonum videtur? Plane subscribimus sententiae BOUILLIERI, „Elihui personam eum ad divini hujus poematis varietatem et decus conferre plurimum, tum ad intimam quoque ejus constitutionem valde pertinere. Posteaquam enim Triumviri, inconsulto impetu abrepti, atrocissimis suspicionibus non solum, sed disertis criminationibus, viri integerrimi famam prosciderunt, parvo sententiarum discrimine; quartus actor inducitur sapientior reliquis, qui nova et cautiore methodo Jobaei casus enucleationem aggreditur. Indubitata enim sunt, quae docet, neminem dari inter homines adeo justum et pium, qui non saepius in Dei leges offenderit; neminem, qui propriae innocentiae conscientia fretus, adfirmare ausit, se divinae castigationi minime obnoxium, aut queri possit, sibi quae contigerint, aerumnas immerenti accidere. Ne ipsi ergo quidem Jobo licuit, si res ad exactissimam trutinam appendatur. Non peccavit igitur Elihuus, sic opinando, unde fit, ut nullius delicti postmodum coarguatur. Opinione sua falsus est tamen; talis non fuit calamitatum Jobi causa, sed longe diversa, quam historiae exordium indicat. Quod autem non minus Elihu, quam ceteri, a vero aberrarit, licet probabiliorem conjecturam afferret, et verissima doctrina fultam, ideo tanto clarius elucet id, quod S. Scriptor hoc libro praecipue intentum habuit; scilicet, quam parum cernant homines in occultis Providentiae rationibus, quibus tutius acquiescitur, quam in eas curioso animo inquiritur.“ Cf. quae de Elihui sermonibus, ab auctore reliqui poematis profectis, observat PAREAU in *Commentat. de immortalitatis notitiis* p. 193. sqq. et p. 202. Argumentis, quibus Elihui sermones ab aliena manu insertos esse evincere studuit BERNSTEIN in *den Analekten* Vol. I. Part. 3. p. 130. sqq., singulis respondit JAEGER *de integritate Jobi*, p. 9. sqq. Nova et singularis est quam de Elihuo ejusque sermonibus proposuit J. A. VOIGTLAENDER sententia in Commentatione, quam inscripsit: *der Satan als Irrgeist und Engel des Lichts, zur Aufklärung des Buchs Hiob*

Digitized by Google

dargestellt, in den Analekten Vol. III. P. 3. p. 27. sqq. Elihuum non hominem, sed angelum, existimat, seu spiritum supernatem ex eorum numero, qui Cap. I. 2. *filiorum Dei* nomine memorantur. Eo juvenis personam induto usum esse Satanam, qui speciosis suis sermonibus Jobum permoveret, ut auctorem percontaretur nocturni illius oraculi 4, 12. sqq., quod Eliphaso a Satana eo fine suggestum fuerit, ut ei illud ipsum persuaderet, quod una cum sociis per totam cum Jobo disputationem tanta cum pertinacia contendit, quo majoribus quis miseriis affligatur, tanto atrociorum criminum esse reum; qua falsa persuasione moti Jobum omnis impietatis insimulabant. Jam vero Elihui sermonibus Satanam hoc efficere voluisse, ut Jobus, in summas redactus angustias, ad ipsum, illius oraculi auctorem, sese converteret, ejusque opem imploraret, et pristinae felicitati restitutum illum unicum suum sospitatorem veneraretur. Quae quidem interpretatio, cujus summam, pro instituti nostri ratione, hic tantummodo referre potuimus, etsi acuminis laude minime privanda, tamen artificiosior et impeditior videtur, quam ut eam genuinam judicare possimus.

Tribus distinctae sunt intervallis Elihui orationes; quae proprie *quatuor* sunt. *Prima* est hoc Capite et sequenti, *secunda* Cap. 34., *tertia* Cap. 35., *postrema* Cap. 36. et 37.

Praemissa a libri scriptore brevi narratione de Elihui persona (32, 1—5.), ipse dicere exorsus, longiore praefatione utitur (32, 6—33, 7.), qua et silentii, quod adhuc tenuit, rationem indicat, et sermonis sui jam proferendi causas necessarias affert. Deinde (33, 8—12.) repetit quaedam a Jobo minus reverenter in Deum dicta, quae refutat; tum causam explicat, cur Deus non ad omnia verba sua et acta homini respondeat, aut ei rationem reddat (13—33.).

Sermones hosce illustravit binis Commentationibus Jo. Casp. Velthusen, quae insertae leguntur *Commentatt. Theologg.* ab ipso et sociis, Kuinoelio et Rupertio, edit. Vol. II. p. 112. sqq.

Cap. 32, 1. וַיִּשְׁבְּתוּ — מֵאִיּוֹב *Cessarunt tres viri illi*, Eliphasus, Bildadus, et Zopharus, *a respondendo Jobo*, כִּי הוּא צַדִּיק בְּעֵינָיו *quod esset justus in oculis suis*, quod sibi ipse justus videretur. Hanc rationem non libri scriptor ex sua sententia affert, sed ex sociorum sententia, ut ratio subnectatur, cur illi Jobum ultra compellare destiterint, quod indignum eum judicarent, cum quo ultra sermones conferrent, quippe qui praefractus et contumax esset in sua justitia tuenda. Eum ergo ut pertinacem et deploratum, quum nihil ultra haberent, quod in eum afferrent, sibi relinquendum judicarunt.

2. Nomen אֱלִיהוּא ab אֱלִיָּה et אֱלִיָּהוּ tantummodo levi pronunciationis discrimine differre, ex אֵלִי יָהּ הוּא *Deus meus est Jova; Ille*, qui vere *est*, observavit Velthusen l. c., qui plura alia lectu digna de hoc nomine attulit. In forma nominis בַּרַכְאֵל,

Digitized by Google

sive, ut in aliis codd. scribitur, בְּרַכְאֵל (i. e. *benedixit Deus*), peregrini quid inesse, animadvertit SIMONIS in *Onomast. V. T.* p. 606. Ad analogiam esset בָּרַכְאֵל, ex Kal formatum, sed בְּרַכְאֵל descendere conjicit ex Conjugatione Arabum tertia פאעל, quae Hebraeorum Conjugationi *Pokel* respondet. בּוּזִי *Buzitam* nominari putant alii a patria, vel a gente in Arabia deserta Jerem. 25, 23. 24.; alii a Buzo, secundo filiorum Nahoris, fratris Abrahami, Gen. 22, 21., ubi dicitur, Micham peperisse Nahori plures liberos, inter quos primogenitum Uz, unde genus putant Jobum ducere; secundum Buz, unde hunc Elihu. רָם *Ram*, quidam existimant esse eundem qui in Davidis genealogia sub finem libelli Ruth 4, 19., et in genealogia Christi a Matth. 1, 3. 4. sub nomine *Aram* commemoratur. Alii ex familia Nahoris esse volunt, ut sit per aphaeresin pro אֲרָם, Gen. 22, 21., ut 2 Paral. 22, 5. Syri dicuntur רַמִּים pro אֲרַמִּים, ut habetur in loco paralleło 2 Reg. 8, 28. Sunt, qui vertant: *ex familia Syra*, vel *Syrorum*, non a patre, sed a patria ducta denominatione, sicut Gen. 25, 20. Bethuel et Laban *Aramaei* dicuntur, ex Mesopotamia oriundi, etsi ex neutro illo Aramo prognati essent. Quae singulae conjecturae nituntur alia conjectura non magis certa, רָם esse pro אֲרָם positum. Observatu dignum est, libri hujus auctorem diligentiorem fuisse in describendo genere Elihui, quam aut Jobi, aut sociorum. Apud Jobum ne patris quidem nomen adjecerat, in ceteris patriam tantum expressit, at in Elihuo et patrem et familiam nominat. Quod data opera a libri auctore factum videtur, credo, quod suum ipsius nomen hac ratione posteritati tradere vellet. Similiter Persarum et Turcarum poetis more receptum est, ut in ultimo carminis Versu, vel saltem in eo, qui ultimum praecedit, poeta nomen suum artificiose intexat. Vid. MENINSKII *Grammatic. Turcic.* P. II. edit. Kollar. p. 82., et JONES *Poes. Asiat. Commentarios*, L. II. Cap. 4. p. 87. ed. Eichhorn. Elihuum esse hujus poematis auctorem, conjecerat jam LIGHTFOOTUS in *Chronica Temporum et Ord. Textuum V. T.*, in *Opp.* ed. Leusden. Vol. I. p. 24. duabus hisce rationibus motus, primum, quod quando Cap. 2. amici Jobi, qui veniebant ad lamentandum una et consolandum, numero et nominibus suis proponuntur, nulla ibi mentio est Elihu. Unde promptum est haec duo discere, 1) Non venisse illum ad Jobum e loco valde longinquo, uti ceteros, sed vicino. 2) Illum ipsum historiae auctorem scriptoremque fuisse, ob quam causam, dum alios nominat, de se ipso silet. Deinde, quod Elihu Cap. 32. de se ceu Historiographo loquitur, Vs. 16. 17. *Consternati sunt, non responderunt amplius, removerunt a se sermonem. Quando exspectaveram, non enim loquuti sunt, sed destiterunt, nec responderunt amplius, dicebam, ego quoque respondebo, ego quoque ostendam sententiam meam.* In Elihui sermonibus ipsius auctoris sententiam de quaestione in hoc libro agitata, expressam esse, censet quoque STAEUDLIN *Beyträge* Vol. II. p. 135. — Jobo suc-

Digitized by Google

censulsse בְּאִיּוֹב חָרָה אַפִּי, Elihu dicitur עַל־צַדְּקוֹ נַפְשׁוֹ מֵאֱלֹהִים *eo quod is semet ipsum justificasset* (Infinitiv. Piel cum suffixo, cf. infra 33, 32. Jer. 3, 11.) *prae Deo*, i. e. magis quam Deum, quod Deo se justiorem haberet, non quidem quod hoc aperte dixisset Jobus, sed quod de Deo quereretur, et in eum debacchatus esset, eum in jus vocans, et ad se audiendum familiarius et audacius provocans. Etsi ergo Jobus Deum quidem justum agnoscebat, nec eum jus pervertere ulla ratione putaret, ut aliquoties est professus, de ejus justitia auguste et magnifice disputans (v. c. 9, 2. etc.), quia tamen supra modum se affligi questus est, et fuit studiosior suae justitiae defendendae, quam Dei, in hoc se ita gerebat, quasi se Deo justiorem censeret.

3. Adversariis Jobi succensuit, quod quum nihil idoneum attulissent, quod ad convincendum Jobum faceret, eum tamen tanquam improbum condemnassent sine ratione. Vid. 15, 6. 18, 21. 20, 29. 22, 5. 15. Verba וַיִּרְשִׁיעוּ אֶת־אִיּוֹב sunt qui vertant, *et* quod *ad impietatem adduxerant Jobum*, i. e. eum eo adegerant, ut contumeliosa et atrocia in Deum effunderet, nec tamen efficaciter eum reprehenderent. Sensu minus idoneo. Sed הִרְשִׁיעַ usu judiciali est *sontem facere, reum peragere*, ut infra 34, 17. supra 9, 20. et locis in not. ad eum loc. indicatis. Alexandrinus: *καὶ ἔθεντο αὐτὸν εἶναι ἀσεβῆ.* Hieronymus: *eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo eum condemnassent.* Chaldaeus quoque postrema verba reddidit: וְחַיְּבוּ יָת אִיּוֹב *et condemnarunt Jobum.* Hebraei affirmant hunc locum esse e numero octodecim, quae a scribis, i. e. Esra et collegis, sint correcta (תִּקּוּן סוֹפְרִים), quod in iis antea aliquid fuisset, quod durius videretur, et Dei majestate indignum, quod proinde scribae temperarint nonnihil immutantes. Tale quid jam supra 7, 20. habuimus, ad quem loc. not. cf. Hic ergo volunt olim pro אֶת־אִיּוֹב scriptum fuisse אֶת־יְהוָה, i. e. *et damnarunt Dominum*, silentio scilicet suo, quia Jobum atrociora loquentem in Deum non satis coercuerunt, et sic Deum condemnare viderentur, quasi Jobum innocentem affligeret. Verum si codices unquam fuerint, in quibus illud אֶת־יְהוָה exstitisset, vix credibile est ita evanuisse, ut nec in veterum interpretum ullo, nec in codice ullo illius vestigium supersit.

4. וְאֱלִיהוּ חִכָּה אֶת־אִיּוֹב בְּדְבָרִים *Et Elihu expectavit Jobum in sermonibus*, i. e. expectavit, dum Jobus finem loquendi fecisset; continuos aliquot sermones proferenti nihil reposuit. Vult autem noster, uti est breviloquentiae amans, dum Jobum solum nominat, simul et tresviros cum eo colloquentes intelligi; nam etiam postquam Jobus novissime est loquutus, aliquamdiu Elihu exspectavit ut videret, num quis illorum Jobi sermonem exciperet. Itaque sensus est, Elihuum et Jobum, dum suos sermones finisset, et alios sermones, si forte post illum adhuc loqui

Digitized by Google

vellent, exspectasse. Tresviros enim manifeste alterum Versus hemistichium complectitur, in quo rationem silentio reddit: כִּי זְקֵנִים־הֵמָּה מִמְּנוּ לְיָמִים *quia seniores ipso erant quod ad dies*, aetate provectiores.

5. אַפּוֹ — וַיַּרְא *Et vidit*, i. e. quum ergo vidisset *Elihu, non esse responsum in ore trium virorum, tum incanduit ira ejus*, quod velut omnibus in eum argumentis destituti essent, quasi nihil illis ultra suppeteret, quod in illum dicerent, et quo illum convincerent.

6. Hic Versus in nonnullis Sec. XVI. editionibus, nec non in codicibus pluribus in duo est distinctus, interpunctione post וַיֹּאמַר facta. Ita et in tribus codd. Erfurtensibus distinctum est, ut annotatur in Nott. Critt. Biblior. Halensium a J. H. Michaelis et sociis a 1720. editt., ubi tamen additur, eam distinctionem repugnare illorum ipsorum codicum Masorae ad h. l., quae notat, אינו סוף פסוק *finem Versus hic nullum esse*, et illorum Masorae in fine hujus libri, secundum quam Versus Jobi numerantur 1070, quum contra, si hic finis esset versiculi, 1071 futuri essent. וַיַּעַן — יְשִׁישִׁים *Ac respondit*, in sermonem prorupit (vid. ad 3, 2.) *Elihu filius Berachelis, Buzica dixitque: parvus* sum *ego quoad dies*, aetate junior (ut 30, 1.) *vos* autem sitis *senes.* עַל־כֵּן זָחַלְתִּי *Propterea timui.* Alii, collato arabico زحل *moras nexuit, cunctatus est, retrocessit*, vertunt *cunctatus sum.* Sed recte Nachmanides observavit, esse illud pro דָּחַלְתִּי *timui* positum, ex literarum ד et ז permutatione, Aramaeis familiari, sicut supra 17, 1. נְזָעֲכוּ scriptum vidimus נְדָעֲכוּ *exstincti sunt.* Et Syrus interpres pro זָחַלְתִּי posuit דָּחַלְתִּ *timui.* Hieronymus nostrum verbum cum proximo וָאִירָא junctum reddit: *demisso capite timui.* וָאִירָא מֵחַוּוֹת דֵּעִי אֶתְכֶם *Et metui ab indicando scientiam meam vobis.* דֵּעִי, proprie τὸ *scire meum*, i. e. quod ego scio et sentio de hac re, Hieronymus bene vertit *sententiam meam*, quod modestius est, quam *scientiam meam;* cf. infra Vs. 17., ubi דֵּעִי *symbola mea*, et דֵּעִי *sententia mea*, alternant.

7. חָכְמָה — אָמַרְתִּי *Dixi*, scil. apud me, cogitavi, *dies loquentur, et multitudo annorum notam facient sapientiam.* יָמִים *dies*, et רֹב שָׁנִים *multitudinem annorum*, per metonymiam dici pro *aetate provectis* et *grandaevis*, ut *captivitas* (גּוֹלָה, שִׁבְיָ) pro *captis*, *canities* pro *cano* (Levit. 19, 32.), *paupertas* et *ignominia*, pro *paupere* et *contemto* (Prov. 13, 18.), docet res ipsa. Mecum, inquit, ipse cogitabam, fore, ut aetate provecti loquerentur, scil. apta et ad rem; ita enim *loqui* h. l. capiendum esse, parallelismi hemistichiorum leges postulant, quum sequatur: *annosi viri suam proferent sapientiam.* Senilis aetatis credebam proprium esse prudenter loqui. In hebraeis רֹב שָׁנִים יוֹרוּ חָכְמָה constructio est ad sensum, dum dictioni singularis numeri, רֹב שָׁנִים *annosos* indicanti, jungitur verbum plurale; cf. supra 15, 20. 19, 15. 29, 10.

Digitized by Google

8. אָכֵן — תְּבִינֵם *Verum spiritus est in homine, et spiraculum*, afflatus, *Omnipotentis facit intelligere eos*, praestat illis intelligentiam. Prima Versus verba Hieronymus recte sic dedit: *sed, ut video*, nam ostendit Elihu de sua opinione falsum et spe frustratum, q. d.: vos ob senium et longum rerum usum apta, et cum sapientia ac prudentia conjuncta putaram prolaturos, sed video aliter rem habere. In hemistichio priori dissentiunt de nomine רוּחַ, quod plures de *spiritu divino* intelligunt (Chaldaeo auctore, qui *spiritus prophetiae* vertit), ut non differat a נְשָׁמַת שַׁדַּי in altera Versus parte, hoc verborum רוּחַ־וְנִשְׁמַת בֶּאֱנוֹשׁ sensu: Dei spiritus recte et sapienter loquendi facultatem homini tribuit, non senectus. Ita Symmachus: ὄντως δὲ πνεῦμα Θεοῦ ἐν τοῖς ἀνθρώποις. Eum pro וְרוּחַ existimant legisse וְהוּא *spiritus ipsius*, scil. *Dei*, ut הוּא aliquando κατ' ἐξοχήν de Deo usurpatur. Et sane etiamnum in septem Kennicotti, et quinque de Rossii codicibus pro וְרוּחַ legitur וְהוּא, quod tamen et calami errori originem debere possit. Nobis quidem magis placet sententia eorum, qui oppositionem institui putant inter *spiritum* qui *homini* inest, in priori commate, et *flatum Omnipotentis*, in posteriori, i. e. inter naturae dotes, et supernaturalia dona divinitus impertita. *Profecto*, inquit Elihu, *spiritus est in homine, sed flatus Omnipotentis intelligentes eos facit*, i. e. cuivis hominum inest a natura mens et ratio, cujus ope de rebus recte judicare potes sunt, sed quum homines fere praejudicatis opinionibus occoecati, atque affectibus in devia abrepti, in errores quasi sua sponte delabantur, iisque adhaerescant, necesse est, sapientiae coelestis aura mentes nostras adflari, ut genuinum rerum intellectum accipiant, easque apte dijudicent. Alii רוּחַ capiunt de *spiritu prudenti* et *sapiente*, אֱנוֹשׁ vero sensu sequiori de hominibus vilis sortis et contemtis, qualem se innuat Elihu, ut dicat: sane et hominibus ingloriis et inhonoratis spiritus, ratio, inest. Staeudlin ante בֶּאֱנוֹשׁ et ante תְּבִינֵם subaudit אֲשֶׁר, quo hic sensus prodit: *spiritus est, qui in homine, et Omnipotentis adflatus, qui eos intelligentes faciat*, non senectus. Sed רוּחַ *mens, ratio*, ut Jes. 29, 24. Zach. 12, 1. et נִשְׁמַת שַׁדַּי, adflatus divinus, vix dubium est sibi eo sensu esse opposita, quem indicavimus.

9. לֹא־רַבִּים יֶחְכָּמוּ וּזְקֵנִים יָבִינוּ מִשְׁפָּט *Non magni sapiunt, nec senes intelligunt judicium.* רַבִּים vel sunt *magni*, honorati, ut Esth. 1, 8. Job. 35, 9. Jer. 39, 13., i. e. doctrinae et auctoritatis nomine et opinione celebres, vel, quod malim, ob זְקֵנִים in altero hemistichio, *majores natu*, uti רַב est צָעִיר *juniori*, oppositum Gen. 25, 23. Sic et Alexandrinus vertit *πολυχρόνιοι*, et Hieronymus *longaevi*. Recte Schultensius: „insinuatur, lumen veritatis, quo Deus mentes collustrat, non esse annis alligatum; et saepe, sic volente Deo, juvenem de rebus divinis peritius, et solidius, dissertare, quam grandaevos.“ Ante זְקֵנִים

Digitized by Google

repetendum est לֹא ex priori hemistichio, ut 3, 10. 30, 20. Nomine מִשְׁפָּט h. l. quidam intelligunt *judicium divinum*, rationem, qua in gubernandis hominibus Deus uti solet, coll. infra 40, 8. Sed potest et in universum intelligi *rectum*, *justum*, ut supra 8, 3. Gen. 18, 19.

10. שִׁמְעָה־לִּי *Ausculta mihi!* Jam Jobum solum compellat, mox Versu seq. conversione facta ad amicos, totumque dein confessum, donec eadem hac compellatione ad Jobum redeatur 33, 1. In uno Kennicotti et alio de Rossii codice legitur שִׁמְעוּ *audite*, quod ipsum et Alexandrinus, Hieronymus et Syrus expresserunt. Praeferunt, ob suffixa pluralia, quae Vs. 11. sequuntur, Hubigantius et de Rossi, qui tamen non perpendisse videntur, quae modo observavimus. אֲחַוֶּה דֵעִי אַף־אָנִי *Ostendam scientiam meam etiam ego*, cf. Vs. 6.

11. הֵן הוֹחַלְתִּי לְדִבְרֵיכֶם *En! exspectavi verba vestra*, quod aliqui sic intelligunt: dum loqueremini vos patienter audivi, ut ab aequo attentionem sibi conciliet, par esse et aequum, ut cum eos patienter et attentissime audierit, ipsi quoque se audiant patienter. Verum quae proxime subjiciuntur hunc potius sensum arguunt: exspectavi fore, ut aliquid apti loqueremini; quo Jobus refelleretur. יִחֵל in Piel, et הוֹחִיל in Hiphil, dicitur eodem sensu, nunc sequente אֶל, ut Ps. 130, 7., nunc vero לְ, ut h. l. et Ps. 119, 74. 81. Syrus: *en, tacui vobis et sermonibus vestris.* אָזִין עַד־תְּבוּנוֹתֵיכֶם *Auscultabam usque ad intelligentias vestras*, i. e. attentissime auscultavi rationes, quas pro intelligentia vestra attulistis, et quas doctas esse putastis et ad rem aptas; id significat quod dicit עַד *usque ad*, q. d. summo studio et attentione tantisper dum eas afferretis; totus eram in auscultandis argumentis, quibus vestram peritiam et doctrinam nitebamini ostendere. In nonnullis codicibus legitur תְּכוּנוֹתֵיכֶם (per *Caph*), quod esset *apparatus vestros*, eodem sensu, q. d. argumenta, quae cum summo apparatu hinc inde undiquaque conquisivistis, ut nihil omitteretis, quod ad Jobum convincendum faceret. Nam certum est, illos huc omnia contulisse studia, ut Jobo silentium imponerent, et pleno apparatu omnes adhibuisse arietes, qui ad eum dejiciendum facerent. Vulgarem tamen lectionem reddunt veteres, nisi quod Hieronymus et Chaldaeus in singulari, *prudentiam vestram* verterunt, quasi תְּבוּנַתְכֶם legissent, quod ipsum et in quodam codice Kennicottus reperit. אָזִין pro אַאֲזִין (quod ipsum h. l. in quibusdam codd. a Kennicotto indicatis exstat), exspiravit prima radicalis א, ut in תֹּמְרוּ 2 Sam. 19, 14., תְּחֶז 2 Sam. 20, 9., יָחֵל (pro יַאֲחִיל) Jes. 13, 20., et in Participio nostri ipsius verbi מֵזִין pro מֶאֱזִין Prov. 17, 4. עַד תַּחְקְרוּן מִלִּין *Usque dum scrutati essetis sermones*, i. e. omnia quam exactissime ventilassetis, dum undiquaque perquireretis ea, quibus Jobus redargueretur. Vanum ergo eorum studium significat, quia non ad rem. מִלִּין *Verba, sermones*, sc. ad refellendum Jobum accommodatos.

Digitized by Google

12. וְעַדֵּיכֶם אֶתְבּוֹנָן *Et usque ad vos considerabam* plerique satis commode explicant: attentissime perpendi dicta omnia vestra, alio mentem non deflectens, ut עַד iterum studium summum, ut Vs. 11., indicet. Sed Schultens *usque ad vos* capit pro *usque dum vos disputaretis*, atque aliquid dicendum haberetis, ut אֶתְבּוֹנָן non tantum *attentus fui* designet, sed etiam, *considerabundus exstiti*, quorsum tandem haec evaderent. Ita fere Hieronymus: *et donec putabam, vos aliquid dicere, considerabam.* Syrus: *et ad testimonia vestra attendi*, quasi pro וְעֵדֵיכֶם legissent וְעַדֵּיכֶם, quod ipsum in suorum codicum aliquo a prima manu scriptum exstitisse suspicatur de Rossi. וְהִנֵּה אֵין לְאִיּוֹב מוֹכִיחַ *Sed ecce!* (Hieronymus: *sed, ut video*) *non est Jobo redarguitor*, non est inventus quisquam vestrum, qui eum, ut par erat, redargueret, et in eo, cujus erat redarguendus, quod audacius in Deum efferretur, et velut eum in jus provocaret. עוֹנֹתָיו אֲמַרְיוּ מִכֶּם scil. אֵין אֶחָד *non erat quisquam ex vobis, qui ejus dictis responderet*, ut par est, quum ille suam innocentiam tam certis et apertis rationibus ostenderet.

13. Occupatione occurrit ei, quod illi objicere poterant. פֶּן־תֹּאמְרוּ *Ne dicatis*, nec est, quod dicatis, מָצָאנוּ חָכְמָה *invenimus sapientiam*, attigimus id quod res est, assequuti sumus totius controversiae cardinem, et id cui nullo modo Jobus resistere aut respondere possit, nempe, quod sequitur, quod observa esse firmamentum omnium rationum triumvirorum, ab initio libri, et omnium eorum, quae in Jobum huc usque attulerunt: אֵל יִדְּפֶנּוּ לֹא אִישׁ *Deus propellit eum, non vir*, non homo, i. e. hoc satis convincitur Jobus, quod eum Deus exagitet et propellat, istis tam atrocibus afflictionibus declarans eum plane improbum. Quum ergo Jobus affligatur, et inusitato modo affligatur, idque a Deo justo, qui non fallere nec falli potest in suo judicio, consequitur plane, Jobum non injuste et citra meritum affligi, quin esse improbum. Alii exponunt: *invenimus sapientiam*, silentio, scilicet nostro, q. d. prudenter fecimus, quod tacuerimus, nihil ultra in tam praefractum et pertinacem adversarium afferentes, nec cum eo ultra agentes; in eo ad prudentiae culmen pertigimus, quia quum eum Deus propellat et vehementius exagitet, nihil ultra necesse est, ut ab homine impugnetur et crucietur. Sed praestat prior sensus, ut Elihu praecipuum, imo tutum firmamentum adversariorum Jobi afferat. Ne putetis, inquit, vos hac ratione eum convicisse, alia cum eo ratione agendum fuerat. Ab insufficienti ergo eorum ratione sibi loquendi necessitatem impositam ostendit.

14. Benevolentiam et attentionem simul sibi conciliat ex eo, quod sermonem suscipiat non a Jobo provocatus aut irritatus, ut saepe homines aliorum sermonibus provocati fiunt asperiores et contumeliosiores, ut potuerunt adversarii Jobi, ejus verbis irritati,

Digitized by Google

in eum asperiores esse. Neque vero ille, inquit, in me suae orationis aciem convertit. וְלֹא־עָרַךְ אֵלַי מִלִּין *Nec disposuit ad me verba*, sermones. Verbum עָרַךְ perquam generale, in universum *ordinare*, de acie ordinanda dicitur Jud. 20, 22. Jer. 6, 23., item de mensa instruenda Ps. 23, 5. Ps. 78, 19.; porro cum quis orationem habiturus, aut disputaturus suas rationes et verba certo ordine collocat, quo majorem vim habeant, ut supra 23, 4. infra 33, 5. — וּבְאִמְרֵיכֶם לֹא אֶשְׁתָּבְנוּ *Nec verbis vestris ei respondebo*, aliis argumentis eum impugnabo, nec ea asperitate, qua vos, in eum usurus.

15. חַתּוּ לֹא־עָנוּ עוֹד *Territi sunt* tresviri illi, *non respondent adhuc*, amplius, quia non suppetit, quod respondeant. הֶעְתִּיקוּ מֵהֶם מִלִּים *Transtulerunt* sc. transferentes *ab eis verba*, i. e. ablata ab iis sunt verba, impersonalis loquendi formula, qua ad verbum activum Participium est subaudiendum, qualis supra 4, 19. 6, 2. 19, 26. aderat, cf. Ez. 19, 8. Hagg. 1, 10. Adempta est illis omnis loquendi facultas, quasi eis aliunde impositum silentium, non habent, quod amplius proferant.

16. וְהוֹחַלְתִּי *Quoniam igitur* frustra *exspectavi*, uti Vs. 11. dictum, paratus adhuc desistere a proposito, et tacere, si ipsi meliora doceant. כִּי־לֹא יְדַבֵּרוּ Verum *quia non loquuntur*, sensus cum sequenti Versu connectitur, כִּי עָמְדוּ לֹא־עָנוּ עוֹד *quia*, inquam, *substiterunt*, desierunt loqui, tacent, *nec respondent adhuc*, ultra.

17. אֲעֻנֶּה אַף־אֲנִי חֶלְקִי *Respondebo etiam ego partem meam*, pro parte mea loquar. אֲעֻנֶּה i. q. אֶעֱנֶה Vs. 20., ut אֲעֻשֶּׂה et אֶעֱשֶׂה dicitur. Masora tamen notat, nusquam alias per Pathach reperiri. אֶחֱוֶה דֵעִי אַף־אֲנִי *Ostendam scientiam meam et ego*, ut Vs. 10.

18. Ratio petita a necessitate loquendi sibi imposita. Tanto se inquit desiderio loquendi teneri, et sensa animi efferendi, ita se animo arctari et urgeri, ut si non effundat animi conceptiones, velut utrium more diffundatur. Quod non arrogantiae, sed zelo tribuendum est. Sic Jeremias (5, 14. 20, 9.) dicit, verbum Domini in se fuisse velut ignem quendam exaestuantem, qui contineri non potest, quin erumpat. כִּי מָלֵאתִי מִלִּים *Quia plenus sum verbis.* In מָלֵאתִי exspiravit tertia radicalis א, ut supra 1, 21. in יָצָאתִי, ubi vid. not. Sunt tamen codices et libri typis exarati, a Kennicotto et de Rossio indicati, in quibus plene מָלֵאתִי exstat. תְּצִיקַתְנִי רוּחַ בִּטְנִי *Arctat*, urget *me spiritus ventris mei*, i. e. sensa mei animi et conceptiones. בֶּטֶן proprie *omne internum*, ut harmonicum arabicum nomen notat, unde tam de *ventre*, quam de *animo* dicitur, et de hoc quidem et supra 15, 2. 35. Habac. 3, 16. Prov. 18, 8. 20, 27. 30. Similiter Graecum κοιλία Sir. 51, 21. Joh. 7, 38., et synonymum fere מְעִים *viscera*, Ps. 40, 9. usurpatur.

Digitized by Google

19. הִנֵּה בִטְנִי כְיַיִן לֹא יִפָּתֵחַ *Ecce venter*, animus, *meus* est *tanquam vinum* quod *non aperitur*, i. e. inclusum, sine spiraculo, *tum* enim vasa, quibus continetur, fervore et vi sua diffindit erumpens. *Vinum* intelligendum *novum*, ut res ipsa docet, et plerique veteres verterunt. Alexandrinus: καὶ ἡ γαστήρ μου ὥσπερ οἶνος γλεύκους ζέων ὄσδαμένος, *venter enim meus sicut uter musto plenus, fervens et ligatus*, ut vetus Latinus reddidit. Hieronymus: *en venter meus quasi mustum absque spiraculo.* Symmachus: ὥσπερ οἶνος νέος ἀδιάπνευστος. Similitudo absolvitur altero hemistichio, כְּאֹבוֹת חֲדָשִׁים יִבָּקֵעַ *sicut utres novi* quorum quisque *diffinditur*, quibus non est spiraculum, quum in illis est vinum, sic sine periculo non possum diutius quod cogito infra pectus continere; erumpat oportet. *Utres novos* dictos esse pro utribus novo vino plenis docet res ipsa, nam rupturae utres veteres magis obnoxii sunt, coll. Matth. 9, 17. *Utris* significationem, quae nomini אֹב vulgo tribuitur, in dubium vocavit Michaelis in *Supplemm.* p. 37., in cognatarum dialectorum ulla deprehendi illam negans, quum tamen jam Schultens de simili arabico אַיְאַב monuerit, quod ipsi Arabici Lexicographi *utrem* notare ajunt.

20. אֲדַבְּרָה וְיִרְוַח־לִי *Loquar* ergo, *et latum erit mihi* scil. pectus meum, melius habebo. Opponitur coarctationi pectoris Vs. 18. אֶפְתַּח שְׂפָתַי וְאֶעֱנֶה *Aperiam labia mea et respondebo*, sermonem aggrediar, vid. Vs. 6.

21. Proponit rationem, qua sit acturus inter loquendum, se nulli adulaturum aut assentaturum, in nullius gratiam quicquam dicturum, sed diserte et citra ambages rem, uti est, tractaturum. אַל־נָא אֶשָּׂא פְנֵי־אִישׁ *Ne, quaeso! accipiam vultum* s. personam *viri*, i. e. absit, ut cujusquam rationem habeam, quo sensu eadem loquendi formula supra 13, 8. aderat. וְאֶל־אָדָם לֹא אַכְנֶּה *Et ad hominem ne utar blandiore appellatione*, i. e. absit, ut vitandi odii vel captandae benevolentiae causa cuiquam aduler, et veritatem blandimentorum integumentis occultem. כִּנָּה, plane ut consonum arabicum Verbum, proprie est, *rem* vel *personam alio quam suo proprio solitoque nomine appellare*, quomodo legitur Jes. 44, 5. 45, 4.; tum praesertim *rem aliquam blandiore appellatione notare* verbum istud significat. Ita כִּנָּה h. l. erit „circumloquutionibus uti, etiam ad rem aliquam mitigandam seu excusandam, et quasi scapham non velle scapham dicere," ut Schnurrerus verbi vim expressit. Is tamen Vir Doctissimus, quod ei suspecta videtur constructio verbi כִּנָּה cum particulâ אֶל, pro ea ponendum censet nomen אֵל, Hieronymo praeeunte, qui vertit: *et Deum homini non aequabo.* Notat quoque de Rossi, in codice suo 597 mutatum esse וְאֵל correctoris manu in וְאֶל. Unde Schnurrerus nostra verba sic reddit: *et Deum hominem non appellabo*, ut sensus sit, vel, Deo quae tribuenda sunt, homini haud tribuam;

Digitized by Google

vel: ut Deus loco hominis habeatur, haud concedam; quamquam prius videatur vero multo similius. Nobis tamen receptum אָל sensum minime repudiandum, quin satis facilem dare videtur, ut sit: non utar blandiore circumloquutione *ad*, erga, quenquam.

22. כִּי לֹא יָדַעְתִּי אֲכַנֶּה *Quia nescio* quod (subaud. שׁ) *blandiar*, i. e. adulari nescio, כִּמְעַט יִשָּׂאֵנִי עֹשֵׂנִי *sicut modicum*, i. e. brevi *tollet me conditor meus*, memor, me brevi fore ex hac vita a Deo ablatum iri. Ita Alexandrinus: *οὐ γὰρ ἐπίσταμαι θαυμάσαι πρόσωπα.* Rectius Graecus interpres sensum expressit, quam Hieronymus, qui verba כִּי לֹא יָדַעְתִּי אֲכַנֶּה sic vertit: *nescio enim quamdiu subsistam;* „hic quidem אֲכַנֶּה ad כוּן referens, vel per transpositionem, quod, si series posceret orationis, nec melior ultro se offerret, defendi linguae Samaritanae usu possit, cui ex eadem transpositione כנה in Piel est *stabilire.*“ Michaelis *Supplemm.* p. 1200. Ceterum לֹא יָדַעְתִּי אֲכַנֶּה dictum est pro לֹא יָדַעְתִּי בַּנּוֹת, ut posterius verbum finitum sit pro infinito, ut Jes. 52, 1. לֹא יוֹסִיף יָבוֹא־בָךְ *non addet veniet ad te*, non addet venire ad te; et 1 Sam. 2, 3. אַל־תַּרְבּוּ תְדַבְּרוּ *ne multiplicate loquamini*, i. e. loqui. Plena loquutio exstat Esth. 8, 6. אֵיכָכָה אוּכַל וְרָאִיתִי *quomodo possum ut videam*, i. e. videre. Postrema verba, כִּמְעַט יִשָּׂאֵנִי עֹשֵׂנִי, possunt et ita capi, ut causam reddant, cur ab omni adulatione sese abstineat Elihui: nam si id facerem, inquit, timerem poenam Dei, mei creatoris, ne, si tale quippiam facerem, me illico perderet.

Cap. 33, 1. Proxime loquutus fuerat Elihu ad tresviros, nunc ad ipsum Jobum sermonem convertit. וְאוּלָם שִׁמְעָה־נָּא אִיּוֹב מִלָּי *Veruntamen*, ut rem ipsam aggrediar, *audi, quaeso Jobe, verba mea.* וְכָל־דְּבָרַי הַאֲזִינָה *Et omnia verba mea ausculta. Omnia* dicit, significans se nihil otiosi dicturum ideoque jubet eum ad omnia quae dicturus sit diligenter attendere.

2. הִנֵּה־נָא פָּתַחְתִּי פִי *Ecce, quaeso*, attende, jam *aperio os meum* ad loquendum. דִּבְּרָה לְשׁוֹנִי בְחִכִּי *Loquitur lingua mea in palato meo*, in ore meo; gestum et habitum loquentis exprimit. Nam qui loquitur, linguam intra palatum movet, dum loquitur. Sensus est: loqui jam aggredior, sermonem instituo.

3. יֹשֶׁר־לִבִּי אִמְרֵי *Rectitudo cordis mei dicta mea* erunt, quod rectum judicavit animus, rectam sententiam animi sermones mei exponent. וְדַעַת שְׂפָתַי בָּרוּר מְלֵלוּ *Et scientiam labia mea pure eloquentur*, quae ut recta et vera cognita habeo, ea sincere et clare eloquar, nihil alieni admiscens, sola ea, quae ad rem faciunt, afferam. Hieronymus: *et sapientiam puram labia mea loquentur.* Sensum si spectes, non male; sed non sunt jungenda דַּעַת בָּרוּר, quum generis diversitas atque ordo verborum repugnent. דַּעַת *absolute* ponitur, et בָּרוּר usu adverbiali.

Digitized by Google

4. רוּחַ־אֵל עָשָׂתְנִי *Spiritus Dei fecit me*, me condidit, sicut et te, vis illa Dei alma, qua omnia creavit et conservat: וְנִשְׁמַת שַׁדַּי תְּחַיֵּנִי *et spiraculum*, halitus seu afflatus, *Omnipotentis me vivificat*, mihi vitam praestat, hac me vita frui permittit. Alludit ad primam hominis creationem, quae initio Geneseos (2, 7.) describitur, quum Deus in hominem vitae spiraculum insufflavit. Sunt, qui haec verba ad *spiritum divinum*, quo se afflatum dicat Elihu, referant, quasi ille innuat, nihil esse, quod Jobus se contemnat loqui aggredientem, tanquam juniorem; se Dei spiritu esse afflatum, et sapientia coelesti imbutum, itaque mirum illi videri non debere, si, etsi juvenis, intelligentia ac sapientia valeat. Verum quae proxime sequuntur, abunde docent, haec potius illud respicere, quod Jobus saepius, maxime 9, 34. 13, 20., optarat quidem cum Deo contendere, verum ejus majestate deterritus rogarat, ut ille suam deponeret majestatem, tum se cum eo libere et intrepide disceptaturum. Nunc ergo inquit Elihu: quia tantopere postulasti cum Deo disceptare, si modo ille suam, qua consternaris, magnitudinem exueret, age mecum congredere; ego Dei partes sustinebo et causam agam; nihil erit, quod me reformides, ut de Deo querebaris; sum ego factus, ut tu, ab eo, ut tu, conservor, est ille noster omnium Deus; nihil mea praesentia terreberis.

5. אִם־תּוּכַל חֲשִׁיבֵנִי *Si potes, responde mihi.* Aequam innuit suam fore disputationem. Non tibi os praecludam, ut socii facere conabantur, aut ut Deus sua potentia te terrens et majestate suae gloriae opprimens posset facere; potestatem tibi faciam respondendi quid libuerit, ut quibusvis rationibus te defendas, si quid modo adversum rationes meas tam validas afferre poteris. Interim significat, se invictis usurum argumentis, quibus ille resistere nequeat. עֶרְכָה לְפָנַי *Instrue coram me* scil. דְּבָרֶיךָ, sive מִלִּין, coll. supra 32, 14., verba tua et rationes; dispone et compara argumenta tua adversum me. הִתְיַצָּבָה *Consiste* velut in acie, et te compara, manens in tua statione, eam viriliter tuens in me. Non postulo, ut mihi cedes, nisi argumenti claritate vincaris.

6. כְּפִיךָ *Secundum os tuum*, sunt qui explicent *sicut dixisti*, et לְאֵל i. q. בַּעֲבוּר אֵל *pro Deo*, ad ejus causam tuendam, ut verborum הֵן־אֲנִי כְּפִיךָ לָאֵל hic sensus: en habes, quod postulabas, Deum tecum deposita sua majestate congredientem; age, finge tibi me Deum esse, ejus causam agam; mecum, ut cum Deo, sed jam libere et intrepide congredere. Verum alteri hemistichio magis congruit, ut כְּפִיךָ intelligamus *secundum rationem, proportionem, modulum tuum*, quomodo כְּפִי saepius usurpatur, velut Exod. 16, 21. Num. 6, 21. 7, 5. לָאֵל vero *Deo*, s. *erga Deum* significat. Ego, inquit, Dei respectu, planissime tibi sum par. Vel potest ל *dominii* esse ac *possidentis*, ut supra 12, 16. Ps.

Digitized by Google

63, 12. 13., ut sit: utrique a Deo pari ratione conditi sumus; pares ergo origine, pares erimus in certamine. Hunc genuinum sensum esse, arguit, ut diximus, hemistichium alterum: מֵחֹמֶר קֻרַצְתִּי גַּם־אָנִי *e luto formatus sum et ego*. Respicitur prima hominis formatio, uti ea Gen. 2, 7. describitur. קָרַץ ut consonum arabicum Verbum proprie *cum digitis comprimere et vellicare* denotat, unde transfertur ad rem pistoriam et figulinam, notatque *massam divellere compressis digitis* ad formandos panes vel vasa figulina. Comparatur Deus figulo aut plasmatori massam manibus tenenti, et compressione digitorum eam concerpenti in frustula, ut inde vel vas vel plasma aliquod effingat. Hinc Syrus *effictus sum* vertit. Nec male Chaldaeus: אִתְּלַשִּׁית *excisus*, sive *resectus sum*, metaphora desumta a figulo, qui e luto vas ficturus solet e massa luti particulam aliquam excidere et assumere, ex qua vas fingat: sic Deus e luti et limi massa particulam velut decidit et assumsit, unde hominem formaret.

7. הִנֵּה אֵימָתִי לֹא תְבַעֶתֶךָּ *Ecce terror meus te non consternabit*, te mea majestate ac potentia non opprimam, ut Jobus supra 13, 21. a Deo petierat, אֵימָתְךָ אַל־תְּבַעֲתַנִּי. In altero hemistichio vocem וַאֲכַפִּי interpretum plures usurpatam volunt pro וְכַפִּי, ut א sit prosteticum, sicut supra 31, 22. אֶזְרוֹעִי *brachium meum*, pro זְרוֹעִי, et vertendum sit: *nec manus mea tibi gravis erit*. Ita Alexandrinus: οὐδὲ ἡ χείρ μου βαρεῖα ἔσται ἐπὶ σοί. Respici volunt Jobi verba, quae ipso illo, quem modo memoravimus loco 13, 21. prius hemistichium constituunt: כַּפְּךָ מֵעָלַי הַרְחַק *manum tuam a me summove*. Verum אֲכַף pro כַּף positum esse, mera est eaque parum verisimilis conjectura. Explicandum est ex arabico אכף in Conj. 4. *clitellas imposuit*, unde אכאף *clitellae*, *sarcinae*. Hinc credibile est, hebraeum אָכַף cognatam notionem *oneris*, *molestiae* obtinere. Certe ea significatio optime quadrat Prov. 16, 26., ubi verba כִּי־אָכַף עָלַיו פִּיהוּ commodissime sic vertuntur: *molestiam creant illi ipsius dicta*. Concinit Chaldaeus, qui h. l. אַכְפִּי interpretatur טוּנִי *onus meum*. Igitur sensus hic erit: *onus meum*, i. e. a me profectum, onus quod tibi imponam, non tale erit, ut eo graveris; rationes, quibus tecum agam, non erunt tibi onerosae, non te oppriment. Significat, se sua magnitudine ac potentia non fore illi tremendum et gravem, velut Deum, ut non libere audeat quicquid voluerit contra dicere, si possit. Hieronymus: *verum eloquentia mea non erit tibi gravis*. Videtur אַכְפִּי pro gemina voce אַף פִּי, et פִּי *os* pro *eloquentia* accepisse.

8. Post multas praefationes rem tandem aggreditur; et, ut fortius convincat Jobum, propria ejus verba, in quibus quaestionis cardo vertitur, adducit. אַךְ אָמַרְתָּ בְאָזְנָי וְקוֹל מִלִּין אֶשְׁמָע *Profecto dixisti in aures meas*, haec me audiente dixisti, *et vocem sermonum audiebam*, negare non potes, quin haec, quae sequuntur,

Digitized by Google

dixeris. Non ex aliorum relatione, sed ex tuo ipsius ore audivi etc. Non suspiciones, non rumores, non calumnias se sequi ostendit.

9. זַךְ אֲנִי בְּלִי־פָשַׁע חָף *Purus sum, sine scelere, mundus.* Hoc ergo est, quod ex te audivi, in quo primum es reprehendendus, in quo justus non es, ut infra Vs. 12. dicit; nam eo usque sententia protenditur. חָפַף ab Aramaeo חֲפַף *fricare, fricando lavavit, pexuit*, unde חֲפָפָא *fricti*o, *lotura, detersio*, et arabico حفف *fricuit, glabrum reddidit, rasit*, proprie *fricatum, lotum, nitidum* significat, hoc vero loco sensu morali, ut זַךְ *a scelere purum, innocentem.* Alexandrinus: ἄμεμπτος, Hieronymus: *immaculatus*, Chaldaeus: *lotus*, Syrus: *ereptus* s. *liber a scelere.* Haec quidem non totidem verbis dixerat Jobus, imo ipse se immundum et peccatorem agnovit erga Deum, in cujus judicio nemo justus reperiatur (9, 2.); fuit tamen omnino reprehendendus, ut nunc jure ab Elihuo reprehenditur, quod plura in Deum effuderit temere, dum nimium suae justitiae defendendae adversus socios erat studiosus, ac Deum quasi in jus vocaret, et tantum non de sede sua eum detrudere vellet ad sibi reddendam rationem, cur ita affligeretur crudeliter, et indignis modis tractaretur a Deo, qui se sciret esse innocentem. Cf. supra 13, 23. sqq. 16, 17. 13, 10. 29, 14. Hinc et a Deo ipso castigatur ob sermones imprudentes, 38, 12., et ipse Jobus de se tandem fatebitur, suam culpam agnoscens, quod imprudenter et imperite plura sit loquutus, infra 42, 3.

10. הֵן תְּנוּאוֹת עָלַי יִמְצָא *En! hostilitates contra me invenit.* תְּנוּאוֹת plures *confractiones* vertunt, hoc integri hemistichii sensu: *invenit adversus me confractiones*, i. e. ut confringat et irrita faciat omnia mea studia, instituta et conatus, ut nihil assequar eorum, quae instituo, quo sensu hoc ipsum nomen et Num. 14, 34. aliqui capiunt. Sed *frangendi* notio verbo הֵנִיא mera ex conjectura tribuitur; certior *irritum faciendi* notio, nec tamen ea sensum praebet huic loco satis concinnum. Schultens ab arab. نَأَ (pro نَوَأَ) *cruda fuit caro*, תְּנוּאָה proprie *cruditatem* notare existimat, quam pro *alienatione* et *exulceratione affectus* dici vult, ut locus noster ita sit explicandus: *ecce cruditates contra me adinvenit, inimicum me reputat sibi*, i. e. non laesus offensusve me tamen ut hostem tractat, et contra me crudum, subulceratum, alienatum animum ostendit. Verum *cruditatem* de *hostili animo* dici, sine idonea ratione sumitur; nec commode ad hunc sensum verbum יִמְצָא quadrat. Ad veram tamen significationem nominis תְּנוּאוֹת reperiendam ducere videntur arabici نَأَ notiones hae: *surrexit contra alium; grave accidit illi malum, onus, pressit depressitve eum, ut vix surgere potuerit*; unde in 3. Conj. *certavit cum alio, se opposuit illi adversando*, et in 4, *gravavit, pressit, male affecit.* Hinc תְּנוּאוֹת *hostili-*

Digitized by Google

tates significaverit, et hoc speciatim loco, ob verbum מָצָא, contextu flagitante, *causa aliquem hostiliter tractandi.* Ita uno vocabulo complectitur Elihu, quae Jobus stomachosius questus fuerat 13, 24. 25. 26. 14, 16. 17. Quae autem h. l. sequuntur, יַחְשְׁבֵנִי לְאוֹיֵב לוֹ, sunt ipsa verba Jobi, supra 13, 24., adde 19, 11. 30, 21.

11. Referuntur adhuc verba Jobi ex 13, 27., quibus clauditur propositio disputationis pro hoc sermone ab Elihu formata, et mox Vs. 12. discutienda.

12. הֵן־זֹאת לֹא־צָדַקְתָּ *En!* quoad *hoc non justus es,* non es recte loquutus, non justus pronunciari potes. אֶעֱנֶךָּ כִּי־ יִרְבֶּה אֱלוֹהַּ מֵאֱנוֹשׁ *Respondebo tibi,* et te refellam, idque hac plane insolubili ratione, quia *amplior est Deus homine,* q. d. etsi te alias justum agnosco, nec tuam tibi innocentiam velim detrahere, tamen saltem hoc nomine culpa non vacas, quod Deum in jus vocare ausus es, ut Versu proximo subjungit. Vide ergo, quid discriminis sit inter hunc et ceteros Jobi adversarios. Illi ejus vitam superiorem culpabant, eum contendentes ob praeterita scelera nunc puniri ut impium; hic suam illi sartam tectamque tuetur justitiam (cf. infra Vs. 32.), et vitae puritatem, sed injustum ideo arguit, quod cum Deo sit ausus contendere, quum sedato animo Deo esset acquiescendum. Et quanquam Jobus non eo animo cum Deo optarat contendere, quasi eum injustitiae accusaturus, tamen culpandus erat, quod vel hoc optarat; quia Dei judicia homini sunt omnino aequo animo suscipienda sine murmuratione ulla. Habet autem magnum pondus ratio illa, quod Deus sit longe amplior ac major homine. De omnipotentia quidem Dei dixerat et Jobus et tresviri multa et magnifica; unde videatur haec frigere ratio. Sed huc ista ratio spectat, quod quum Deus sit multis partibus major, admirabilior, augustior, quin et justior homine, non sit, quod de eo quis queratur, etsi quaecunque ab eo fiunt, non intelligat, aut causam non videat, cur hoc aut illud faciat, quia nostrum captum magnitudo et majestas ejus superat; quare suspicere potius et venerari quaecunque nobis immittit, debemus, quam murmurare aut cum eo expostulare.

13. „Hunc Versum video plerosque interpretari hoc modo: *quare litigasti cum Deo ea de causa, quod non factorum suorum omnium rationem reddat?* Non satis accurate. Observandus enim erat idiotismus hebraicus, quo, si negandi particula cum voce כֹּל construatur, negatio non in ipsam hanc vocem, sed in verbum cadat, sitque universalis, velut Job. 34, 27. וְכָל־דְּרָכָיו לֹא הִשְׂכִּילוּ *haud quisquam de ipsius praeceptis servarunt.* Habac. 2, 19. וְכָל־רוּחַ אֵין בְּקִרְבּוֹ *nullus in eo spiritus est,* et alibi. Similiter hic vertendum: *frustra est quod litem illi intendisti, neque enim ullius facti explicabit rationem.* In verbo רִיבוֹתָ dicitur esse aphaeresis He praeformantis pro חֲרִיבוֹתָ (ut

Digitized by Google

Dan. 9, 2. בִּינוֹתִי pro הֲבִינוֹתִי *intellexi*). Sed videmur nobis ista anomalia commode supersedere posse. Codices enim Regiomontanus uterque et Stutgardianus, nec non septem alii a de Rossio memorati, habent diversam ab edita scriptionem רִיבוֹת s. רִיבֹת, sine Camez, quod ipsum nomen exstat quoque 13, 6. Itaque, subintellecto verbo substantivo, vertere possis: *quorsum lites cum Deo*, etc." SCHNURRER. Sensus est: tuum non erat, cum Deo congredi et disceptare, petendo ut tibi responderet, cur te ita, quum sis innocens, affligat, quum ille non teneatur homini factorum suorum rationem reddere.

14. כִּי־בְאַחַת יְדַבֵּר־אֵל *Nam una* scil. פַּעַם, vice, semel, *loquitur*, loqui solet, *Deus* cum homine, וּבִשְׁתַּיִם *et duabus* scil. פְּעָמִים *vicibus* (vid. infra Vs. 29.), repete, *loqui solet* Deus cum homine, eum compellat, s. admonet: לֹא יְשׂוּרֶנָּה (pro וְלֹא) *nec videt illud*, s. illam vicem, aut rationem, homo scilicet, qua eum alloquitur Deus, i. e. nec ad illud advertit, non intelligit se a Deo admoneri, surda aure praeterit Dei admonitionem. Alii ante לֹא יְשׂוּרֶנָּה subaudientes לַאֲשֶׁר, hunc locum sic intelligunt: semel loquitur Deus homini, et secundo etiam, scilicet ei, qui non attendit primam illam admonitionem. Sunt haud pauci, qui יְשׂוּרֶנָּה *Deo* tribuendum censeant; inter quos et A. Schultens, qui hunc Versum sic explicat: *profecto semel loquetur Deus, et secunda vice non cernet illud*, nempe crimen elationis, i. e. semel verba faciet cum eo, qui se audacius contra ipsum effert, ut eum criminis sui coarguat, secunda vice non amplius illud visurus, et toleraturus. Quarum tamen sententiarum nulla cum iis, quae praecesserunt et sequuntur, apte cohaeret. Ea autem, quam supra dedimus, interpretatio confirmatur Versu 29., ex quo manifeste apparet, commemorari hic modos aliquot, quibus Deus hominem de suis judiciis et voluntate admoneat. Neque difficile est intellectu, quomodo hic Versus cum superiore cohaereat. Nam quum Elihu proxime temeritatis incusasset Jobum, quod divina consilia audacius carpere auderet, quum Deus infinitis partibus major et sapientior sit debili et imbecillo homuncione; huic jam docet in eo acquiescendum esse, quod Deus, quo demum cunque modo ipsi cum homine agere libuerit, nihil aliud spectet, quam ut verae ejus saluti consulatur. Variis autem illum uti rationibus, quibus homines, ad omne vitiorum genus pronos, ad bonam frugem reducat. Hominis vero esse, quum vel semel, vel iterum est admonitus, ad suos mores animum advertere, et si quid in se corruptum videat, emendare. Fere tamen accidere, ut homines illas admonitiones negligant.

15. Exempla divinae admonitionis affert tria, per insomnia, per morbos, et per interauncios divinitus missos, qui hominem in calamitate aut morte positum sui officii admonent. Quae singula admonitionis genera in se expertus est Jobus. Divinum oraculum

Digitized by Google

per *visionem nocturnam* oblatum Eliphaso, ut eo uteretur ad Jobum edocendum, ille narraverat supra 4, 12. sqq. *Morbo* quantopere sit castigatus, abunde intelligitur ex iis, quae Cap. 2, 7. 8. leguntur, et ex Jobi ipsius querimoniis. *Internuncii divini* personam denique sustinet Elihu; cf. infra Vs. 23. De primo modo, *insomnio*, s. *visione nocturna*, agitur Vs. 15—18. Et hic quidem Versus sensu imo dictione convenit cum 4, 13., ubi Elihu visionem nocturnam sibi oblatam enarrat. Pro בַּחֲלֹום חֲזִיוֹן לַיְלָה *in somnio visionis noctis*, in codicibus quibusdam legitur בַּחֲלֹום בְּחָזְיוֹן לַיְלָה, quod et Hieronymus expressit: *per somnium in visione nocturna*, item Alexandrinus, Symmachus et Syrus. בִּנְפֹל תַּרְדֵּמָה עַל־אֲנָשִׁים *Dum cadit*, irruit, *sopor super homines*, בִּתְנוּמֹות עַלֵי מִשְׁכָּב *in dormitationibus super cubili*, dum dormitant homines in lectis suis.

16. אָז יְגַלֶּה אֹזֶן אֲנָשִׁים *Tunc detegit* Deus *aurem hominum*, i. e. eos admonet velut aurem tectam retegens et purgans, quo facilius et attentius audiant. Latini dicunt: *aurem vellicat*. Verba וּבְמוסָרָם יַחְתֹּם varii varie explicant. Quum verbum חָתַם alias semper *obsignare* denotet, interpretes tantum non omnes vertunt *castigationem eorum obsignat* (proprie *sigillum ponit in* s. *ad castigationem eorum*, coll. simili constructione cum ב infra 37, 7.), quod hoc sensu capiunt: sententiam fert et supplicium eorum *obsignat*, i. e. concludit et decernit, nisi admonitioni pareant; nam ideo eos monet, ut sibi caveant, monet, jam latam et obsignatam adversum illos sententiam esse, quam et exsequitur, si admonitionem negligant. Alii: *obsignat* s. *claudit*, i. e. impedit et prohibet eorum castigationem, et supplicium, quod illis irrogaturus erat, eos admonens tempestive de poena impendente et periculo, nisi obtemperent. Non male Bouillier: *obsignat*, i. e. alte menti imprimit, *monita*. A. Schultens in *Animadverss. philologg.* a. 1708. editt. חָתַם h. l. conferendum existimat cum harmonico arabico verbo, quod a Lexicographis Arabum declaratur per اوحى *revelavit*, *inspiravit*, et in Corano saepissime de inspirationibus divinis usurpatur (construitur quoque, ut nostrum חָתַם, cum ב rei). Unde locum hunc sic vertit: *tunc aperit aurem hominum*, *et eruditionem eorum inspirat*, adeo ut גָּלָה אֹזֶן et חָתַם synonyma sint. Quam interpretationem commendat eo, quod infra 36, 10. pro phrasi nostra בְּמוסָרָם יַחְתֹּם est וַיְגַל אָזְנָם לַמּוסָר *retegit aurem eorum ad eruditionem*, i. e. eam ipsis inspirat.

17. לְהָסִיר אָדָם מַעֲשֵׂהוּ *Ad removendum*, ut removeat, *hominem ab opere*, scilicet improbo suo, quod instituerat, vel ad quod naturae suae vitiositate et impetu fertur. Ut hominem avertat a viis suis malis, ne in illis pergat. Ante מַעֲשֵׂהוּ repetendum ex posteriore hemistichio מ, מִמַּעֲשֵׂהוּ, ut מִגֶּבֶר; etsi possit eodem sensu ante אָדָם repeti: *ut auferat factum* pravum *ab homine*. Possit et intelligi: ut auferat homo opus suum improbum. Ita

Digitized by Google

vero subjectum orationis in hoc Versu diversum erit. Priorem sensum expressit Alexandrinus: *ἀποστρέψαι ἄνθρωπον ἀπὸ ἀδικίας*. Et Hieronymus: *ut avertat hominem ab his, quae fecit.* וְגֵוָה מִגֶּבֶר יְכַסֶּה *Atque ut elationem a viro tegat*, i. e. amoliatur et auferat, nam quod tegitur, ultra non apparet. יְכַסֶּה sensu convenit cum לְהָסִיר, ut supra 23, 17. *tenebras* miseriarum *ab aliquo non tegere*, ei illas immittere significat. גֵּוָה h. l. est pro גַּאֲוָה vel גְּאָוָה, Aleph absorpto, ut supra 22, 26., ubi not. cf. Sensus igitur est: ut ejus fastum deprimat, eum domet et humiliet, ne sese ultra efferat, sed discat se Deo summittere. Hieronymus: *et liberet eum de superbia.* Ratione plane diversa Schultens hunc Versum interpretatur: *removeat homo opus*, facinus; *et superbiam a viro conteget*, i. e. remotam condonabit, ne contra eum accusationem intentare eumve condemnare queat. Videlicet Infinitivum לְהָסִיר *removere* imperative sumendum censet pro *removete!* יְכַסֶּה exponit ex plena phrasi כִּסָּה עַל חַטָּאָה *supertexit peccatum*, injecta quasi veste, i. e. remisit illud, Prov. 10, 12. Nehem. 3, 37. Verum facilius fluit oratio, si לְהָסִיר a Versu superiore pendet, ut hic Versus cum proximo contineat finem admonitionis divinae.

18. יַחְשֹׂךְ נַפְשׁוֹ מִנִּי־שָׁחַת *Ut prohibeat* scil. Deus hac ratione *animum ejus*, ipsum, *a fovea*, i. e. ab exitio, וְחַיָּתוֹ מֵעֲבֹר בַּשֶּׁלַח *et vitam ejus* prohibeat, *ne transeat in* s. per *missile*, i. e. ne pereat. Eadem loquutio infra 36, 12. Significantur ea quaelibet pericula mortifera; vid. supra 20, 24. Ps. 7, 14. 91, 5.

19. Secundam jam rationem aggreditur, qua Deus homines admonere solet, nempe morbos ipsis immissos, quorum vim et diras sequelas enarrare pergit usque ad Vs. 22. וְהוּכַח בְּמַכְאוֹב עַל־מִשְׁכָּבוֹ *Et redarguitur*, homo, *per dolorem*, morbum, *super cubile suum*, in lecto suo decumbens redarguitur et corripitur. וְרוֹב עֲצָמָיו אֵתָן *Et multitudo ossium ejus robusta*, scilicet castigatur, morbo ad intima usque ossa penetrante, et totum hominem, quantus est, etiam artus solidissimos et ossa ejus validissima occupante et discruciante. Ad אֵתָן quidam repetunt ex priori hemistichio בְּמַכְאוֹב, ut vertendum sit: *et multitudo ossium ejus* castigatur *dolore perenni*, continuo et vehementi. Sed simplicius, אֵתָן cum רוֹב connectere, et *robusti*, *validi* significatione accipere, ut supra 12, 19. ubi not. cf. Quod in textu scriptum exstat in plerisque codicibus (Kethib), רִיב, quum *litem*, *contentionem* significet, sunt, qui haec verba sic exponant: *dissidium ossium ejus vehemens est*, i. e. doloribus acerrimis ossa ejus conturbantur, quasi *rixa ossium* declaret ossa luxata, cum concussione et trepidatione membrorum, ut in febri quercera. Cf. Ps. 38, 4. Similiter Schultens: *rixa ossium ejus pertinacissima*, quod apud Arabes איתן et אתן *perennis*, etiam transfertur ad *pertinaciam*, ut Prov. 13, 15. Sed variam scriptionem nominis illius hoc loco,

Digitized by Google

non hoc velle ut τὸ כתיב legatur וְרִיב, et notione *rixae* accipiatur, sed meram notam criticam esse, qua innuatur, in nonnullis codd. scriptum esse *plene*, רוֹב, quod regulariter *defective*, רב, scribitur, ut supra 4, 14. 32, 7., pluribus demonstravit Hiller *de Arcano Kethib et Keri*, p. 253. *Multitudinis* notionem, i. e. רב s. רוֹב expresserunt quoque veteres omnes.

20. וְזָהֲמַתּוּ חַיָּתוֹ לֶחֶם וְנַפְשׁוֹ מַאֲכַל תַּאֲוָת *Et aversatur ejus vita panem, et anima ejus cibum appetentiae*, q. d. usque adeo saevit morbus, et eum atterit conficitque, ut etiam panem et cibos exquisitissimos quosque ac delicatissimos fastidiat; eo redacta ejus vita, ut vel cibos appetitum cientes abhorreat. Similiter Ps. 107, 18. כָּל־אֹכֶל תְּתַעֵב נַפְשָׁם *omnem cibum abominatur anima eorum.* Verbum זָהַם, quod hoc solo loco in V. T. legitur, jam Aben-Esra monuit explicandum esse ex harmonico arabico *foetuit*, hinc in Piel *foetidum habuit.* Suffixum in וְזָהֲמַתּוּ (contracte pro וְזָהֲמַתְתּוּ, ut יְלַדְתּוּ pro יְלַדְתָּהּ Ruth. 4, 15.) redundat, ut supra 29, 3. ad quem loc. cf. not.

21. יִכְלֶה בְשָׂרוֹ מֵרְאִי *Consumitur caro ejus ab aspectu*, i. e. ita ut videri non possit, non ultra appareat prae tenuitate et macie, qui ante obesus fuerat, et bene habita ac pingui carne. וְשִׁפּוּ עַצְמֹתָיו *Et contrita sunt ossa mea*, ex Chaldaica verbi שָׁפַת significatione, quo ipso Onkelos Exod. 32, 20. pro hebraeo טָחַן *commoluit*, et Deut. 9, 21. pro כָּתַת *contrivit*, est usus. Et h. l. Chaldaeus reddidit: וְשַׁפְיָן גַּרְמוֹי לָא אִתְחֲמֵי *et contrita ossa ejus ne appareant.* Alii referunt ad radicem שָׁפָה *exstitit, eminuit*, atque cum proximis verbis לֹא רֵאוּ haec sic vertunt: *eminent*, exstant, prominent *ossa ejus* quae ante *non videbantur*, non erant conspicua, quum tecta essent carne pingui. Id quod in macie et longo morbo confectis cernere licet. Ita Hieronymus: *et ossa, quae tecta fuerant, nudabuntur.* Eundem sensum videtur Alexandrinus voluisse: ἀποδείξῃ τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ ψυά. Videtur haec sententia priori hemistichio melius respondere, quam prior illa, quae adscita *conterendi* significatione prodit.

22. וַתִּקְרַב לַשַּׁחַת נַפְשׁוֹ *Et ut appropinquet fossae*, sepulchro, *anima ejus*, i. e. usque adeo, ut morti sit propinquus. וְחַיָּתוֹ לַמְמִתִים *Et vita ejus interimentibus* scil. appropinquet. Hebraei de angelis morti praefectis a Deo intelligunt, quibus data est a Deo potestas homines perimendi, q. d. לַמְשַׁחֲיתִים *perdentibus*, cf. 2 Sam. 24, 16. 17. Rectius tamen generatim de omnibus mortiferis seu letalibus, omnibus, quae mortem homini afferunt, intelligitur. Alexandrinus ἐν τῷ ᾅδῃ, Chaldaeus לְמִיתוּתָא vertit. Data opera Elihu magnitudinem et vim morbi exaggerat, quo saepe homo a Deo ita acriter castigatur, ut morti sit propinquus; sed postea a Deo erigitur, ut dicet, ubi ejus animum mollitum cognoverit, et ad se hominem rediisse. Ita Jobo innuit haec tam

Digitized by Google

saeva mala immitti, ut per patientiam discat suam culpam agnoscere, et sibi persuadeat, totam hanc castigationem, etsi acriorem et inusitatam, in ejus bonum cedere.

23. Transit ad tertiam rationem, qua uti Deus solet, ut hominem ad veram suam salutem perducat, doctorem videlicet eximiam illi mittendo, qui illi rectum suum officium denunciet, quo praestito Deus illius decumbentis misereatur, et incolumitati restituat. Observandum autem, hunc Vs. cum proximo protasin continere; sententia Versu 25. absolvitur. אִם יֵשׁ עָלָיו *Si sit pro eo* homine ita graviter afflicto, מַלְאָךְ מֵלִיץ *legatus interpres*, internuncius aliquis, quo quidem plures interpretes *spiritum coelestem* intelligendum existimant, cujus ministerio Deus utatur ad annunciandum homini remissionem et liberationem, aut voluntatem suam, et vicissim ad annunciandum Deo hominum acta et preces, quasi *proxenetam* dicas. Nobis tamen potior videtur illorum sententia, qui per *legatum interpretem* intelligunt *hominem*, nuncium et interpretem voluntatis divinae, missum homini ad eum officii sui commonendum, ut doctorem, prophetam, aut alium virum bonum et sanctum, qui hominem ad poenitentiam invitet, et Dei misericordiam ei proponens, eum in afflictione soletur. Ac talis quidem Jobo obtigerat in Elihui persona. Eadem est Bonillierii sententia, qui in *Observatt.* p. 333. rectissime observat: „מַלְאָךְ מֵלִיץ est simpliciter *Orator*, *Internuncius*, qui ultro citroque mittitur, ut lites componat, atque dissidentes mutuo in gratiam reducat. Ex praecedentibus quoque et sequentibus manifestum est, Elihuum id sibi muneris sumere, atque internuncii partes gerere. Is enim hinc Jobum sui officii admonet, ac serio, ut resipiscat, a Deo, si quid erraverit, veniam petat, omnique superbia et propria justitiae opinione demissa, castigationi ejus se submittat, cohortatur: inde Dei nomine, si pareat monitis, veniam, misericordiam, malorumque depulsionem, et in integrum restitutionem pollicitus. Vid. infra 34, 31. 32. Nec superbiae argui potest, si id sibi arroget, quod prophetis omnibus, imo cuivis ordinario Dei ministro, jure competit.“ Quam ipsam sententiam et Schnurrerus in *Dissertatt.* p. 276. comprobavit. „Quod vero,“ inquit, „ad illam quaestionem attinet, quis sit, qui illo nomine מַלְאָךְ מֵלִיץ designetur; fatemur non perspicere, quid de *angelo*, hoc est, *coelesti genio*, cogitare nos jubeat. Etenim nec vocem מֵלִיץ quae latissime significat *eum, qui se interponit*, ullibi de *angelo* usurpatam reperias, Gen. 42, 22., 2 Par. 32, 31. Jes. 43, 27., nec nomen מַלְאָךְ ita angelis peculiare est, quin etiam hominibus quandoque tribuatur, Jud. 2, 1. 5, 23. Hagg. 1, 13., nec reliqua, quae de legato interprete praedicantur, ita comparata sunt, ut personam homine digniorem requirant. Itaque hominem ab Elihu, imo tecte semet ipsum innui haud dubitamus. Nimirum argumentatio huc redire nobis videtur,

Digitized by Google

duplicem fere rationem esse, qua Deus in homine ad meliorem sensum reducendo uti soleat, ut vel nocturnis eum somniis visionibusque admoneat, vel morbis gravioribus castiget atque excruciet: at si quis alius sese interponat, a quo ille edocari se patiatur, atque ad poenitentiam perduci, tangi Deum misericordia, ut in gratiam hominem recipiat, pristinaeque innocumitati restituat. Haec itaque si quid valeant, nec sine consilio dicta sint, omnino eo pertinere videntur, ut innuat Elihu, se ipsum posse eum esse, cujus opera et ministerio Deus uti velit ad Jobum erroris convincendum, atque in gratiam apud se restituendum." Quod autem talem internuncium אֶחָד מִנִּי־אֶלֶף *unum e mille* vocat, facit ad dignitatem ejus commendandam, usurpatur enim illa loquutio de eo, qui sapientia, virtute et potentia ceteris antecellit, Cohel. 7, 28. — לְהַגִּיד לְאָדָם יְשָׁרוֹ *Ad indicandum homini rectitudinem suam*, i. e. omnia, quae ipsum decent officia; quibus Deum demereri possit, atque apud ipsum justus haberi, cf. Prov. 14, 2. Alii יְשָׁרוֹ explicant *resipiscentiam ejus*, quod scilicet ad se reversus culpam suam agnoscat; tum vero לְאָדָם sumendum erit vel *pro homine*, in usum hominis; vel, *quod attinet ad hominem*. Ita Hieronymus: *Si fuerit pro eo angelus loquens, ut annunciet hominis aequitatem.* Sunt, qui יְשָׁרוֹ ad Deum referant, intelligantque *rectitudinem Dei*, ut sit: qui homini annunciet, Deum justum esse, nihil injuste agere.

24. וַיְחֻנֶּנּוּ quidam vertunt: *et supplicabit ei*, Deo scilicet internuncius, s. angelus. Sed quum verbum חָנַן *supplicandi* notione in sola specie Hithpael occurrat, vertendum potius: *et miseretur* sc. Deus hominis sic resipiscentis. Nam ad Deum hoc verbum referendum esse, non ad legatum, recte monuit Schnurrerus, „propterea quod et res ipsa maxime in Deum cadit, et verbum וַיְחֻנֶּנּוּ, si ad nomen מַלְאָךְ pertineat, superius ponendum erat ante לְהַגִּיד." Verba, quae sequuntur, וַיֹּאמַר פְּדֵהוּ מֵרֶדֶת שַׁחַת, ambiguum est, an ipsius Dei sint, an vero internuncii, מַלְאָךְ מֵלִיץ; nam ad angelos justitiae ministros, quos nonnulli interpretes per מְמִירִים Vs 22. volunt intelligi, referenda illa esse, quod quibusdam visum, vix probabile est. Qui verbum וַיְחֻנֶּנּוּ ad internuncium referunt, eidem tribuunt et haec verba, quibus Deum alloquatur, ut ei commendet preces et poenitentiam peccatoris, ac pro eo oret. Sed verba פְּדֵהוּ מֵרֶדֶת שַׁחַת non minus quam prius וַיְחֻנֶּנּוּ Deo tribuenda sunt. Legati vero divini nonnumquam facere ea jubentur, quae hominibus significanda tantum ab ipsis sunt. Igitur, ut locus Jer. 1, 10. *praeficio te gentibus et regnis ad exstirpandum et evertendum, ad exstruendum et plantandum*, nonnisi hunc locum habere potest, destinavi te, ut populorum aliis interitum denuncies, aliis salutem et incrementum: ita similiter verba פְּדֵהוּ מֵרֶדֶת שַׁחַת intelligi possunt hoc modo: *indica liberum nunc illum esse ab interitu.*

Digitized by Google

Ἅπαξ λεγόμενον פָּדַת significatione non videtur diversum esse a פָּדָה, ut sit פָּדַתּוּ idem quod פָּדָהוּ, *redime eum*. Literarum ת, ה et ע permutatione nil Chaldaeis usitatius; Aramaeismos autem in hoc libro jam plures deprehendimus. Nomini כֹּפֶר, quod proxime sequitur, optime convenire verbum *redimendi* notionem habens, nemo non intelligit. Hieronymus *libera eum*, itidemque Chaldaeus פְּרוֹק vertit. Saepe autem Chaldaei V. T. interpretes hebraeum פָּדָה verbo פְּרַק exprimunt. Exempla larga manu attulit BUXTORF in *Lexico Chald.* p. 1837. מָצָאתִי כֹּפֶר *Inveni redemtionis pretium*, q. d. jam satis humiliatus est afflictionibus, culpam suam agnovit, mihi satisfactum est ejus resipiscentia. Opportune ergo haec ad Jobum consolandum dicuntur, quod in ejus bonum hae afflictiones sint ei immissae, ut peccati reliquias in se agnoscens, Dei misericordiam amplectatur.

25. Subjungit jam amplissimos fructus hujus liberationis, *Ἅπαξ λεγόμενον* רָטַפַשׁ plerique putant compositum ex רָטוֹב *virens* (supra 8, 16.), *vegetum*, et פּוּשׁ *crescere* (Mal. 3, 20.), unde פֶּשׁ infra 35, 16., ut sit: *revirescet et vegetior fiet*. Schultens confert arabicum מרפשׁ (literis transpositis), quod de eo dicitur, qui e morbo reconvalescit, item de iis, quae post sterilitatem pluvia et ubertate gaudent. N. G. SCHROEDER in *Institutt. ad fundamm. Ling. Hebr.* Sect. 6. Reg. 70. ex רָטַב *succosus fuit*, et טָפַשׁ *crassus fuit*, putat coaluisse רָטְפַשׁ, a quo רִטְפַשׁ sit *succo ad crassitiem usque repletus est*. Cui expositioni opposuit quidem Velthusen (in *Commentatt.* P. V. p. 132.), verbum טָפַשׁ sensu *morali* tantummodo de ingenii *crassitudine* s. pinguedine dici. Verum non esset sensu morali hac notione usurpatum, nisi prius *physice* qualemcunque pinguedinem significasset. Ipse Velthusen nostrum verbum compositum existimat ex רָטַב et arabico טָמַשׁ *mortuus est*, ut significet: *post mortem revirescet*, cujus sententiae patronum citat tam Syrum interpretem, qui נָתְחַלַּף *immutabitur* vertit, qua voce Job. 14, 7. arborum *emortuarum regerminatio*, quemadmodum ibidem Vs. 14. nomine חֲלִיפָה *palingenesia corporis* (ex Velthusenii mente) describitur; quam Chaldaeum, qui אִתְחֲלִישׁ posuit, quod, collato arabico חَلَسَ *pabulum arescens cui a radice novum subnascitur*, non, ut vulgo sit, *infirmatur*, sed *revirescet* vertendum censet. Cui interpretationi tamen obstare videtur usus linguae Chaldaicae, ex quo verbum חֲלַשׁ et de eo derivata vocabula longe pleraque *remissionis*, *debilitatis* notione usurpantur. Non dubitamus autem in textu Chaldaeo h. l. pro אִתְחֲלִישׁ reponendum esse אִתְקְלִישׁ *tenerior, et mollior redditur*, quod ipsum in Bibliis Regiis exstat; exponiturque nostrum רִטְפַשׁ a pluribus Hebraeis הִתְרַכְּךְ *mollis redditur*, tenerescit. Ita jam Alexandrinus: *ἁπαλυνεῖ αὐτοῦ τὰς σαρκὰς ὥσπερ νηπίου, molliet carnes suas sicut parvuli*, ut vetus Latinus vertit. Similiter 2 Reg. 5, 14. וַיָּשָׁב בְּשָׂרוֹ כִּבְשַׂר נַעַר

Digitized by Google

rediit caro ejus ut càro pueri. Hieronymus verba רִטְפַשׁ בְּשָׂרוֹ מִנֹּעַר vertit: *consumta est caro ejus a suppliciis.* Cujus interpretationis ratio intelligitur ex Jarchio, qui hebraeum verbum gallico *ecosser*, i. e. *deglubere*, *folliculos detrahere* explicat (licet ipse hanc interpretationem non satis certam esse innuat, addit enim, verbi רִטְפַשׁ significationem, quum nonnisi hoc loco occurrat, definiendam esse contextus ope); voci נֹעַר vero tribuit *concussionis* significatum (cf. infra 38, 13. Ps. 88, 16. 109, 23. Nehem. 5, 13.) et verba nostra hebraica sic exponit: *concussum est corpus ejus castigationibus morbi sui.* Qua adscita interpretatione alterum hemistichium, יָשׁוּב לִימֵי עֲלוּמָיו antithesin continebit, ut sit integri Versus sententia haec (retentis Hieronymi verbis): *consumta est caro ejus a suppliciis*, (sed jam) *revertatur ad dies adolescentiae suae.* Sed praestat נֹעַר *pueritiae* significatu (ut Prov. 29, 21.) accipere, quum respondeat יְמֵי עֲלוּמָיו. Non solum pristinae valetudini restituitur, sed et incolumior multo redditur et vegetior, quam vel a puero fuerat.

26. וְיֶעְתַּר אֶל־אֱלוֹהַּ וַיִּרְצֵהוּ *Deprecatur Deum* suam culpam agnoscens, *et gratum*, acceptum, *habet eum* scil. Deus, ei placatur, reconciliabitur. וַיַּרְא פָּנָיו בִּתְרוּעָה *Et videt* sc. homo *faciem ejus Dei*, qui vultum ante aversum ita jam faventem rursus ad hominem convertit, *cum jubilo*, i. e. laetitia. Alii de Deo accipiunt: *videt* Deus *faciem ejus*, hominis, *cum laetitia*, i. e. hilariter eum intuetur, vultu facili et comitatem prae se ferente. Sed ubique alias, non *Deus hominis faciem*, sed *homo Dei faciem quaerens* eamque *tandem videns* inducitur; *jubilus* etiam incongrue ad Deum refertur, homini unice conveniens, gratias agenti. Similis plane formula Ps. 95, 2. נְקַדְּמָה פָנָיו בְּתוֹדָה *accedamus faciem ejus cum laude.* וַיָּשֶׁב לָאֱנוֹשׁ צִדְקָתוֹ *Et restituit homini justitiam suam*, quam ante amiserat, cum ob peccatum affligeretur, pro justo eum habet. Sunt, qui subaudito כ ante צִדְקָתוֹ (et in cod. Kennicott. 158. כְּצִדְקָתוֹ scriptum exstat), vertant: *reddit*, retribuit *homini secundum justitiam suam*, coll. 1 Reg. 8, 32. 1 Sam. 26, 23. Ita et Chaldaeus. Prius tamen praeferimus, quod et Alexandrinus expressit: ἀποδώσει δὲ ἀνθρώπῳ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, et Hieronymus: *reddet homini justitiam suam.*

27. Fructum alium misericordiae Dei in afflictum subjungit, quod ille liberatus et culpam suam coram ceteris hominibus agnoscet, et Dei misericordiam in se confitebitur. Ambiguum est primum hujus Versus verbum, יָשַׁר, quum verbum שׁוּר et *intueri* et *canere* significet. Plerique priorem adsciscunt significatum, vertuntque: *intuebitur* ille afflictus jam restitutus *in homines*, convertit se ad homines, *dicitque*, et quae sequuntur. Alii: *intuetur* scil. Deus *in homines*, *cum* quis ita *dicit*, *peccavi* etc., q. d. si quis culpam suam agnoverit, est ei propitius. Sed filo orationis, quod a superiore Versu continuatur, ubi coeperat de

Digitized by Google

homine dicere, magis congruit, et verbum יָשַׁר ad eundem referre, quod tamen malo *canendi* significatione h. l. sumere, qua cum עַל et Prov. 25, 20. construitur (וְשָׁר בַּשִּׁרִים עַל לֵב־רָע *canit cantilenas animo afflicto*). Ita et Schultens: „*Cane super homines*, laetam publicamque edet confessionem. עַל *super*, pro *coram* tritum valde. Id תְּרוּעָה *clangori* Versu praeced. succinit jucunde. Obstitit, quominus huc ab omnibus concederetur, forma rarior, quum יָשִׁיר potius sit *cantabit*. At שׁוּר in *Kal* fuisse item *cantavit*, cave dubites. Arguunt eam formam Ps. 7, 1. 87, 7. et 1 Sam. 18, 6., ubi לָשׁוּר, ex *Infinit. Kal*, correctione masorethica non egebat. Suspicor huc quoque pertinere Jes. 57, 9. *Et cantitas* (וַתְּשַׁחֲרִי) *regi tuo in oleo*, cf. Jes. 23, 15. (כִּשְׁרַת הַזּוֹנָה); utrobique *meretrix* pingitur.“ חָטָאתִי *Peccavi*, confessionis formula, ut Exod. 9, 27. 10, 16. Jos. 7, 20. 2 Sam. 12, 13. al. וְיָשָׁר הָעֲוִיתִי *Et rectum*, quod rectum erat, *perverti*, curvum quasi feci, i. e. perverse egi, ut 2 Sam. 19, 20. 24, 17. 1 Reg. 8, 47. Postrema verba, וְלֹא־שָׁוָה לִי, vertunt plures: *meo profuit mihi* (ut שָׁוָה Esth. 3, 8. 5, 13.), proprie, *non aequale*, s. *non conveniens fuit, mihi*, ut sit ἀτοπίης, q. d. peccaram, et video, quod mihi id male cesserit, inde enim tam graviter sum afflictus. Languidior sententia. Rectius alii: *non aequale* s. aequatum est *mihi*, i. e. non condigna meis peccatis recepi, quum longe graviorem essem commeritus poenam, pepercit, et lenius me punivit Deus. Ita Alexandrinus: καὶ οὐκ ἄξια ἤτασέν με ὧν ἥμαρτον. Et Hieronymus: *et non recepi, ut dignus eram.*

28. פָּדָה נַפְשִׁי מֵעֲבֹר בַּשָּׁחַת *Redemit*, liberavit, *animam meam a transeundo in foveam*, ne in sepulchrum descenderem, Vs. 18. 30. Alexandrinus: τοῦ μὴ ἐλθεῖν εἰς διαφθοράν. וְחַיָּתִי בָּאוֹר תִּרְאֶה *Et vita mea lucem videt*, luce hac et vita jam fruor. Masorethae jubent, נַפְשִׁי et חַיָּתִי legi (quemadmodum et multi codd. in textu habent), ut hoc Versu non continuetur confessio afflicti restituti, Dei in se summam beneficentiam agnoscentis, sed ut verba Elihui sint, hunc locum de admiranda Dei misericordia concludentis: q. d. liberat hac ratione hominem ab exitio, ut ejus vita lucem cernat. Ita Hieronymus: *Liberabit animam suam, ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.* Τὸ קְרִי expressit quoque Chaldaeus. Concinniorem sensum tamen praebet τὸ כְּתִיב, ut Elihu suam conclusionem demum Versu seq. subsumat. Pro תִּרְאֶה in codd. nonnullis est תִּהְיֶה *vita mea in luce est.* Sed recepta lectio praeferenda, utpote elegantior, et רָאָה cum ב construitur quoque Ps. 27, 13. Cohel. 2, 1.

29. כָּל־אֵלֶּה *Omnia ista*, quae inde a Vs. 15. de redarguitione per morbos, per visiones nocturnas, et nuncios divinitus missos dixerat; unde subjungit שָׁלֹשׁ פְּעָמִים *bis terve.* Alii, numerum certum pro indefinito positum existimantes, sensum hunc in modum concipiunt: ita aliquoties cum homine agere solet Deus

Digitized by Google

nunc eum deprimens, et ad sepulchrum usque adducens, nunc attollens, et a sepulchro liberans. Hoc autem facit aliquoties, ut si una afflictione non resipuit, rursum afflictione admoneatur, ut in viam redeat, et si hoc non profecerit, aliam rursum immittat. Prior tamen sensus rei magis convenit.

30. לְהָשִׁיב נַפְשׁוֹ מִנִּי־שָׁחַת לֵאוֹר בְּאוֹר הַחַיִּים *Ut reducat animam ejus a fovea, ad illustrandum* (לֵאוֹר pro לְהֵאוֹר Infinit. *Niphal*), *ut illustretur luce viventium*, i. e. lumen recipiat, et versetur ac conspicuus sit inter homines, qui ante obscurus jacebat, et paene jam sepultus erat.

31. Primam hanc orationem ita claudit, ut plura restare dicenda insinuet. הַקְשֶׁב *Attende*, inquit, non, *ad ea, quae dicta sunt*, sed ad ea, quae dicturus sum porro, ut patet ex altero hemistichio, הַחֲרֵשׁ וַאֲנִכִי אֲדַבֵּר *sile, et ego loquar.*

32. Interim, אִם־יֵשׁ מִלִּין *si sunt sermones*, si quid habes, quod possis contradicere, si sermo tibi suppetit, ad haec, quae vel dixi, vel dicturus sum, refellenda, הָשִׁיבֵנִי *responde mihi*, דַּבֵּר כִּי חָפַצְתִּי צַדֶּקְךָ *loquere, nam cupio te justum esse*, velim te justum apparere, non mihi voluptati est, ut tuam causam injustam ostendam. Velim eam esse justam, nec esse in te, quod reprehendi possit. Significat, se non contentionis studio et amarulente cum Jobo velle agere, ut egerant alii, sed studio inveniendae veritatis in hac re tanta.

33. אִם־אַיִן אַתָּה שְׁמַע־לִי *Si non*, sin minus, si nihil habes, quod possis ad haec respondere, *tu me audi*, הַחֲרֵשׁ וַאֲאַלֶּפְךָ חָכְמָה *tace et docebo te sapientiam*, sic appellat doctrinam, quam est traditurus in sequentibus. Quibus verbis minime inesse arrogantiam, sed fiduciam, ex optima causa natam, quae nihil insolens spiret, recte observat Schultens. Hic verisimile est aliquantisper Elihuum tacuisse, ut videret, num sermonem resumeret Jobus, quia loquendi et respondendi, si posset, ei potestatem fecerat.

Digitized by Google

ELIHU.

CAP. 34.

Quia Jobus ad ea, quae Elihu disseruit, nihil respondebat, velut se aliqua ex parte jam convictum sentiens, denuo ille sermonem orditur, in quo Jobum reprehendit, primum quod se dixerit insontem et immerito affligi, unde Jova cum se injuste agere, eum censere concludit, deinde quod affirmavit, nihil homini prodesse, quod Deo placere studeat virtute et pietate. Ostendit, quam audaciter factum esset, Deo injustam agendi rationem objicere, quum is, qui mundum gubernaret, et qui hujus universi curam gereret, nisi benigne cum humano genere ageret, sed strenue in omnes vellet animadvertere, omnes perditurus esset. Tum, quam indecorum et temerarium factum sit, potentissimum simul et sapientissimum numen injustitiae insimulare, pluribus demonstrat. Denique iterum se paratum ad audiendas Jobi exceptiones testatur, omnes autem sapientes et cordatos viros certissime consentientes sibi pollicetur.

CAP. 34, 1. וַיַּעַן Alexandrinus bene ὑπολαβών, *subjiciens*, *excipiens* reddidit, nam orationem suam continuat Elihu. Eodem *proloquendi* significatu verbum עָנָה supra 3, 2. 32, 6. usurpatum vidimus.

2. Attentionem simul et benevolentiam conciliat, dum auditores חֲכָמִים *sapientes*, et יוֹדְעִים *intelligentes*, vocat, quod tales requirat judices, qui rem diligenter auditam propius considerent, talibus controversiam hanc judicandam permittens.

3. Rationem subjungit, cur velit eos attente sibi auscultare. כִּי־אֹזֶן מִלִּין תִּבְחָן וְחֵךְ יִטְעַם לֶאֱכֹל *Quia auris sermones probat*, explorat, *et palatum gustat comedendo* (ו ante חֵךְ est similitudinis, ut supra 5, 7. ubi not. vid.), i. e. sicut palatum cibos et eorum sapores gustu dijudicat, sic aure sermonum veritas exploratur, sintne veri an falsi. *Aurem* autem non externam tantum, sed et internam intellige, i. e. mentem et judicium. Eandem figuram supra 12, 4. Jobus usurpaverat.

Digitized by Google

4. מִשְׁפָּט נִבְחָרָה־לָּנוּ *Judicium eligamus nobis* non uno modo omnes intelligunt. Quidam *judicium* pro *aequo* capiunt, ut sit: ex aequo inter nos agamus. Alii exponunt illud verborum contentionem, q. d. rem totam agamus judicii more; omnia aequa lance expendamus, justam formulam judicii sequamur. Rectius alii *eligere judicium* significare dicunt *examinare, atque explorare*, quid veritate adstipulante statui ac pronunciari possit; sive, ut Schultens sensum expressit: legitimam cognitionem discussionemque instituere praesentis causae, adhibita ea veritate et religione, quae cordatos et aequos judices arbitrosve decet. נֵדְעָה בֵּינֵינוּ מַה־טּוֹב *Sciamus inter nos quid bonum* sit, quid sit optimum, non temere judicemus; sed ex aequo, ut statuamus tandem, quid sit verum, et sequendum hac in re, idne quod Jobus dicit, an vero quod ego?

5. Jam proponit dicta Jobi, quae reprehensione digna censet. כִּי אָמַר אִיּוֹב *Quia dixit Jobus*, q. d. hoc est, in quo vos appello, et pro sapientia vestra vos judicare volo, num recte sentiat Jobus in eo, quod dixit: צָדַקְתִּי *Justus sum;* respicit illud Jobi 13, 18. יָדַעְתִּי כִּי־אֲנִי אֶצְדָּק *scio me justum esse.* Item 23, 10. 11. ubi se dicebat, si judicaretur, inveniendum justum, et e fornace, si probaretur, exiturum purum more auri. Item Cap. 31., ubi per singula vitae ante actae puritatem et integritatem ostendit. Cf. 27, 6. Recte Schultens: „Habes plane idem, quod 33, 1. 2. *Justus in oculis suis*, et *justior esse*, *quam Deus;* quatenus tendebat se meliorem habere causam, quam Deum, quippe qui religiosissimum sui cultorem, supplicio exitioque diriissimo mactasset, haud secus ac scelęratum caput, idque citra culpam ullam.“ וְאֵל הֵסִיר מִשְׁפָּטִי *Et Deus removit jus meum*, me jure meo privavit; dum me praeter meritum affligit, mihi meum jus eripit. Haec ipsa verba Jobus supra 27, 2. dixerat. Etsi vero Jobus haec non eo consilio diceret, ut Deum injustitiae insimularet, sed morbi vis ipsi tales querelas exprimeret, quod causam non videret, nec sibi a Deo manifestum fieret, cur affligeretur, quum esset innocens; tacite tamen, quum de sui doloris magnitudine una ex parte expostularet, et ex altera suam innocentiam tam mordicus tueretur, Deum injustitiae accusare videbatur. Illa igitur dicta ut indecentia, et in divinam justitiam et majestatem injuriosa, carpit Elihu.

6. Verba עַל־מִשְׁפָּטִי אֲכַזֵּב varie accipiuntur. Quidam verbum אֲכַזֵּב transitive exponunt: *in jure meo falsi arguam* et convincam judicem meum, vel Deum, vel quemvis alium. Ita Chaldaeus: *propter judicium meum mendacem faciam hominem.* Respici volunt illud loci 24, 25. אִם־לֹא אֵפוֹ מִי יַכְזִיבֵנִי *Si non ita est, quis me falsi arguet?* Verum eo loco est Hiphil, hic vero Piel, quod semper intransitive usurpatur. Neque in illis verbis est, quod reprehensione dignum sit. Alii: *in judicio meo*

Digitized by Google

fallor, quia, ut supra 30, 26. dixit, *quum bonum exspectarem pro* mea integritate, *venit mihi malum*, q. d. נְכֹזָבַת תּוֹחַלְתִּי *falsa est spes mea*, mea spe sum frustratus. Alii cum interrogatione: *an in jure meo mentiar?* i. e. meam causam prodam, et quum me norim innocentem, me sontem dicam? Quod ipsum et placuit Bouilliero, qui vertit: „*an mendacio jus meum eversum irem*, i. e. numquam faciam, ut justitiam abnegem, aut prodam, meae causae, neque unquam ab ea querela dimovebor, me insontem plecti, et nulli culpae adfinem lethali plaga affici. Nempe Jobus plus semel dixerat: *non derelinquam justitiam meam, aut jus proprium abjiciam; numquam ipse mihi deero.* Ob quam inexpugnabilem propositi pertinaciam, quae ipsi intoleranda audacia videbatur, Jobo dicam impietatis scribit Elihu.“ MERCERUS: „*super judicium meum*, in meo jure et causa, *mentior*, i. e. mendax habeor et falsus, quasi injuste me tuear, et me falso dicam innocentem, itaque tyrannice, quoquo jure, quaque injuria, tanquam sons condemnor et punior a Deo. Huc aliqua ex parte spectabant verba Jobi, ut, quum supra diceret 19, 7. *En, clamo miki vim fieri, nec exaudior, vociferor, nec mihi jus redditur;* et passim similia longe acerrima, vi doloris ei expressa, ubi in Deo impotentiam tyrannicam arguere videbatur.“ Magis tamen placet Schultensii interpretatio, observantis, עַל h. l. idem valere, quod supra 10, 7. 16, 17., ubi *quantumvis* reddendum erat, ut nostra verba ita sint vertenda: *non obstante jure meo mendax sum*, mendax appareo, mala, quibus affligor, testimonium contra me ferunt (quod ipsum supra 16, 8. dixerat), tanquam testes in me insurgunt; falsitatis et injustitiae reus peragor, etiamsi veritas et justitia palam a meis stent partibus. Hieronymus sensum minus assequutus est, dum vertit: *in judicando enim me mendacium est.* אָנוּשׁ חִצִּי בְלִי־פָשַׁע *Desperata est*, i. e. desperate mala, deplorata (cf. Jerem. 15, 18. 17, 9. Mich. 1, 9. אָנוּשָׁה מַכּוֹתֶיהָ *desperata plaga ejus*) *sagitta mea*, i. e. plaga mihi inflicta *absque scelere*, nullo meo delicto, aut culpa, ut saepe dixit, cf. 6, 4—9. 10. Suffixum in חִצִּי *passive* est sumendum, ut supra 23, 2. in יָדִי.

7. מִי־גֶבֶר כְּאִיּוֹב יִשְׁתֶּה־לַּעַג כַּמָּיִם *Quis est vir* clarus et sapiens *sicut Jobus*, Jobo similis et par, qui *bibat subsannationem ut aquam?* לַעַג *Subsannationem* h. l. esse sermones impios, quibus divina justitia carpitur, et quasi ludibrio exponitur, ostendit res ipsa. Tales vero sermones qui *haurit*, iis plenus est, sicut is, qui aquae haustus bibit, ea est repletus. Ita 15, 16. homo dicitur *bibere iniquitatem.* Sensus igitur est: quis unquam vidit talem virum, qualis Jobus, qui quum Omnipotentem, pro sapientia et pietate sua, adorare deberet, licentiam sibi sumit, profanos et injuriosos sermones in eum effundendi?

8. וְאֹרַח לְחַבְרָה עִם־פֹּעֲלֵי אָוֶן *Ambulat ad consortium cum agentibus iniquitatem*, aggregat sese impiis et profanis.

Digitized by Google

9. Aliud Jobi dictum reprehensione dignum proponit. לֹא יִסְכֹּן־גֶּבֶר בִּרְצֹתוֹ עִם־אֱלֹהִים *Non*, sive, *nihil proficit vir, quando sibi placet cum Deo*, cum Deo placere, et vitam suam ei probare ac ad ejus voluntatis praescriptum conformare nititur, eum sibi demereri et conciliare studet. Q. d. nihil prodest pium esse; nam justissimus aeque obnoxius est calamitatibus ut impius. Sunt, qui בִּרְצֹתוֹ ad verbum רוּץ, *currere*, referentes, vertant: *quando currit*, sive, ut Hieronymus, *etiamsi cucurrerit cum Deo*, i. e. cum, s. coram Deo ambulaverit; vitam ad praeceptorum ejus normam instituerit; ut idem sit quod הִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים Genes. 4, 22. 24., 6, 9., et לָלֶכֶת עִם־אֱלֹהִים Mich. 6, 8. Ita et Targum alterum hujus Versus: בְּמֵימְרֵיהּ עִם אֱלָהָא. Sed ad verbum רוּץ si hebraea dictio referenda esset, scriptum foret בִּרְצוֹ. Nostra vero locutio plane convenit cum וַתֵּרֶץ עִמּוֹ, Ps. 50, 18. ad quem loc. not. vid. Ceterum quem hic Jobo exprobrat sententiam Elihu, etsi iis ipsis verbis ille non expresserit, sponte tamen fluebat ex eo, quod Jobus dicebat 9, 22., Deum ex aequo et bonos et malos consumere, ac 21, 8. seqq. diserte ostendit, bonos hic saepe affligi, et impios prospérari; insuper 30, 26. postquam vitae anteactae integritatem descripsisset, addidit: *expectavi bonum, et venit malum*, quasi operam lusisset integre vivendo, et Dei praecepta sequendo, quum nunc pro sua pietate affligatur, et male habeat.

10. Jam refutationem dictorum Jobaeorum aggrediens, denuo attentionem captat ab auditoribus, quos ut judices appellat. אַנְשֵׁי לֵבָב *Viri cordis*, i. e. cordati, sapientes. *Cor* pro intellectu, sapientia, ut saepe. Alexandrinus: *συνετοὶ καρδίας*. Verba חָלִילָה לָאֵל מֵרֶשַׁע vertit Hieronymus: *absit a Deo impietas*; bene quidem, quod sensum attinet, sed proprie sonant, ut Schultens reddidit: *longissime Deo ab improbitate*, qui in Commentario monet, חָלִיל *profanum*, hinc significare *nefarium* et *abominandum*. Unde חָלִילָה לוֹ מ cum He paragogico superlativo ad verbum esse: *maxime profanum ei ab ea re*, i. e. a re ista, ut plane scelesta et execrabili, abhorret. Vides, quare מִן adsit, et לְ abesse non possit, nisi per ellipsin, ut in שַׁדַּי pro לְשַׁדַּי heic loci.

11. כִּי פֹעַל אָדָם יְשַׁלֶּם־לוֹ *Quia opus hominis reddet ei.* וּכְאֹרַח אִישׁ יַמְצִאֶנּוּ *et secundum semitam viri*, cujusque, pro cujusque moribus et studiis *facit invenire illum*, i. e. facit, ut quisquam inveniat, s. ut cuique eveniat pro suis meritis, nemini injuriam facit. Quod non eo consilio dicit Elihu, ut innuat Jobum criminum poenas luere, in quam quidem quaestionem hic non descendit, sed ut defendat Deum ab injustitiae suspicione, quae ex immoderatis Jobi querelis, dictisque temerariis, in illum cadere videbatur.

12. אַף־אָמְנָם אֵל לֹא־יַרְשִׁיעַ *Imo profecto Deus non improbe agit.* יַרְשִׁיעַ sunt, qui post Hieronymum vertant *con-*

Digitized by Google

demnabit, et sane תַּרְשִׁיעַ haud raro *impium pronunciare, condemnare*, ut infra Vs. 17., significat. Ita vero subaudiendum erit, vel: *frustra*, vel: *justum.* Quod tamen non est opus, si verbum hebraeum *impie, inique, agendi* significatu sumas, quo 2 Chron. 20, 35. 22, 3. Dan. 12, 10. usurpatur. Deum igitur negat inique agere, quod fieret, si homines immeritis plagis plecteret. Nomine אֵל utitur, quod *potentem* significat et *fortem*, quia, ut mox dicet, quum sit eximia potentia, et omnia condiderit et gubernet, non potest quicquam inique agere.

13. מִי־פָקַד עָלָיו אַרְצָה *Quis mandavit ei terram*, i. e. quis ei terrae gubernandae provinciam delegavit? Verbum פָּקַד cum עַל constructum *alicui quicquam mandare*, s. *injungere* designat, vid. 2 Chron. 36, 23. Esr. 1, 2. Num. 4, 27. infra 36, 23. *He* in אַרְצָה *paragogicum* est, ut sit idem quod אֶרֶץ, ut לַיְלָה i. q. לַיִל. Si vero pro *locali* habeas, vertendum erit cum Schultensio: *quis praefecturam ei imposuit, in terram?* Vel: *quis injunxit ei*, ut esset *in terram?* Formulam obtinuisse putat, vivente lingua, qua dictum fuit, verbi gratia, פָּקַד עָלָיו, *injunxit ei, in Syriam, in Aegyptum*, pro *praefecturam regionis ei tradidit:* jussit supremus rex eum illuc praefectum ire. Sensus est, a nemine terrae curam Deo mandatam: sed jure creationis eam ipsius imperio subjici, unde nemini rationem administrationis suae reddere tenetur. Respondet posterius hemistichium: וּמִי שָׂם תֵּבֵל כֻּלָּהּ *Et quis posuit orbem universum?* disposuit, quum non esset, exstare jussit immotisque imposuit fundamentis? Ipse solus et orbem hunc posuit eo, quo est loco ac statu, et solus gubernat, ex nullo pendet. Sunt, qui et in posteriore hemistichio עָלָיו post שָׂם repetant: *quis imposuit ei universum orbem?* utrumque membrum idem fere sonet.

14. אִם יָשִׂים אֵלָיו לִבּוֹ רוּחוֹ וְנִשְׁמָתוֹ אֵלָיו יֶאֱסֹף *Si poneret* Deus *ad eum*, hominem, *cor suum*, si Deus accurate in hominis omnia cogitata, dicta et facta inquirere vellet, eaque rigide examinare, *spiritum ejus* vitalem (ut Ps. 104, 29. 146, 4. Cohel. 12, 7.) *et halitum ejus ad se colliget*, recipiet, retrahet (cf. not. ad Ps. XXVI, 9.), i. e. eum statim perimere posset. שׂוּם לֵב אֶל *Ponere animum ad* aliquem h. l. in malam partem sumendum, de attentione severiore, quae fit eo consilio, ut reperiat quis in altero, ob quod reprehendi et plecti posset. Sensu, si non plane eodem, certe non multum diverso, eadem locutio usurpatur supra 2, 3. Cf. 2 Sam. 18, 3. Grotius suffixum ad אֵלָיו ad Deum referens verba hebraea ita reddit: *si poneret ad se cor suum* Deus, si sibi tantum bonus esse vellet, *spiritum illius*, hominis, *flatumque ad se traheret;* coll. Ps. 104, 29. Cui interpretationi etsi iam Schultens opposuisset, *ponere cor ad se*, isthoc usu vix ullo alio exemplo confirmari posse, idem ille sensus tamen placuit et Schnurrero, qui illum sic expressit: *si Deus sibi soli vivere*,

Digitized by Google

sui unius curam habere velit, brevi omnibus pereundum foret. Eodem modo hunc locum Alexandrinus accepit: *εἰ γὰρ βούλοιτο συνέχειν, καὶ τὸ πνεῦμα παρ' αὐτῷ κατασχεῖν.* Eodem refert Schnurrerus Syrum, cujus verba, אֶן מַפְנֵא עֲלוֹהִי לִבֵּהּ ita vertit: *si converteret ad se cor suum*, quae tamen ita potius reddenda videntur: *si adverteret contra eum*, hominem, *cor suum. Ad se* Syriace sonat עַל נַפְשֵׁהּ. Hieronymus: *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.* Ceterum Syrus videtur יִשִׁיב (pro יָשִׂים) legisse, quod est hodienum lectio Judaeorum orientalium, et in duobus Kennicotti codd., item in de Rossii codice uno, in Persia conscripto, exstat, sed cum Keri יָשִׂים, quod et Persica translatio addita sequitur.

15. יִגְוַע כָּל־בָּשָׂר יָחַד *Exspiraret omnis caro simul*, i. e. omne quod vivit, ut in diluvio, Genes. 7, 21., ubi eadem loquendi formula, וְאָדָם עַל־עָפָר יָשׁוּב *et homo ad pulverem* terrae, unde sumtus est, *rediturus esset.*

16. וְאִם בִּינָה *Quod si intelligentia*, i. e. si quid intelligentiae est tibi. Plena locutio erat: אִם יֵשׁ לְךָ לֵב לָהָבִין. Jarchio בִּינָה est Imperativus, ut Ps. V, 2., et post אִם subaudit אִינָהּ: ut sit: *si non est illud*, si non ita est, ut dico, *audi hoc*, etc. Sensu non satis commodo. Alii: *quodsi* scil. res ita se habet, ut certissime habet, *audi* jam. „Orationem a Jobo aversam ante Vs. 2. et 10. denuo ad eum convertit cum magna fiducia causae victricis, et meditatur increpationem appositissimam, quae ulteriori convictioni sit datura viam et cursum.“ Schultens.

17. הַאַף שׂוֹנֵא מִשְׁפָּט יַחְבּוֹשׁ *Num etiam qui odio habet jus*, *imperabit?* q. d. alienum est et absurdum, dicere, penes eum, qui jus oderit, et qui ita iniquus sit, ut tu dicis, rerum summam esse. Verbum *ligandi*, חָבַשׁ h. l. sumitur pro *imperare*, *rerum potiri*, quia qui imperant, coercent subditos, legum vinculis eos constringentes aut alioquin cohibentes, sicut et synonymum עָצַר 1 Sam. 9, 17., (unde עֹצֶר regnum Jud. 18, 7.), et אָסַר Ps. 105, 22. pro *imperare* sumitur. Schultens verbum חָבַשׁ h. l. *frenandi* notione, אַף vero pro nomine, *iram* notante, capiens, locutionem חָבַשׁ אַף sensu non differre censet a חָטַם אַף, *frenavit iram*, Jes. 48, 9., nostrumque locum ita interpretatur: *an nasum*, iram, *osor judicii* (quo Jobum pungi vult) *frenabit?* an iram comprimet Jobus? In qua quidem interpretatione nescio quid duri et elumbe est. Quod et sensisse Schnurrerus videtur, qui quidem חָבַשׁ אַף eodem sensu, quo Schultens, capit, sed Versum nostrum sic exponit: *num iram, qui jus spernit, compesceret, et num Juris amantem, si potens sit, injustum pronunciare ausus fueris?* „Vel ex eo, Deum haud injustum esse, intelligi dicit Elihu, quod, si juris curam non haberet, istiusmodi exprobationes Jobo non esset tam clementer condonaturus in tanta sua rerum omnium potestate.“ Id vero quum non sit *justitiae*,

Digitized by Google

sed *clementiae*, ea sententia consilio Elihui minus apta videtur. Multo commodior et satis aptus ad rem ille sensus quem superius attulimus. Argumentatur Elihu ab adjuncto: Deus ideo justus est, quia regnat. Summi imperii comitem indivulsam esse justitiam significat, nec fieri posse, ut, qui omnia condidit, digessit, ordinavit, eademque tuetur, atque administrat, juris quoque et aequi non sit servantissimus. Unde subdit: אַם־צַדִּיק כַּבִּיר תַּרְשִׁיעַ *num justum* et *potentem condemnabis?* iniquitatis argues? Sunt, qui Jarchio auctore כַּבִּיר *validum*, i. e. מְאֹד *valde*, *multum* exponant, q. d. num eum, qui summe justus est, audes damnare, cum eo expostulare, quasi tibi sit iniquior? Verum quae Verss. proximis subjiciuntur, jubent כַּבִּיר *potentis* significatione, ut infra Vs. 24. 36, 5. sumere, et in כַּבִּיר צַדִּיק asyndeton statuere, ut sit: num eum, qui simul et justus est et potens, iniquum pronunciabis?

18. הַאָמֹר *Num dicendo* scil. *dices*, ut plene est Ezech. 28, 9. הֲתֹאמַר תֹּאמַר. Sic saepe verbum finitum post Infinitivum est subaudiendum, vid. c. c. Exod. 20, 8. Ezech. 24, 5. Et Jarchius locum nostrum recte judicat sic explicandum esse: הֲנָאוֹן וְרָאוּי לוֹמַר לַמֶּלֶךְ בְּלִיָּעַל *num decens et conveniens est dicere regi: o nequam?* Eodem modo Chaldaeus: הֲכְשַׁר לְמֵימַר לְמַלְכָּא רַשִׁיעָא *num congruum est dicere regi: impius es?* De בְּלִיָּעַל vid. not. ad Ps. 18, 5. In altero hemistichio est iterum הַאָמֹר subaudiendum: *num dices* רָשָׁע אֶל־נְדִיבִים *impie! ad principes?* Agit argumento a minori: si talibus contumeliis et convitiis ne terrenorum quidem regum aut principum aliquem auderes afficere, quanto minus regi regum, domino universi, par est justitiam tribuere! Hieronymus: *Qui dicit regi, apostata; qui vocat duces, impios.* Pro הַאָמֹר legit הֹאמֵר (quod ipsum in suorum codicum uno a prima manu reperit de Rossi), ad Deumque, qui Versu superiori *justus* dicebatur, refert. Ita sensus erit: qua ratione Deus injustitiae appellari potest, qui alios injustitiae appellat atque condemnat, nullius vel potentissimi regis personam reveritus. Eundem sensum expressit Schnurrerus: *Illum, qui regem adeo compellat hominem nequam, viros primarios improbos?* הַאָמֹר legit quidem et Alexandrinus, sed hunc Versum contrario sensu capit, regibus et principibus non esse convicium faciendum: Ἰσεβὴς ὁ λέγων βασιλεῖ, παρανομεῖς ἀσεβέστατε τοῖς ἄρχουσιν.

19. Ad hunc Versum ut subaudiatur אַף כִּי, *quanto minus*, poscit res ipsa et orationis series. Quanto minus talia dicenda regi regum, לַמֶּלֶךְ אֲשֶׁר לֹא־נָשָׂא פְנֵי־שָׂרִים *regi illi, qui non suscipit vultum*, qui nullam habet rationem (ut supra 13, 8. 32, 21.) *principum*, prae aliis, quando eos vult perdere, aeque perdit quam abjectissimos quosque homunciones. וְלֹא נָכַר שׁוֹעַ לִפְנֵי דָל *Neque agnoscit* (Piel, ut supra 21, 28., aliis Niphal, ut Thren. 4, 8. *non agnoscitur*, sed mutata constructione) *nobilem ante*

Digitized by Google

tenuem, prae tenui; non pluris habet opulentos et nobiles, quam tenues, et inferiores conditione, sed tam facile illos dejicit et interimit, quam obscurissimos et vilissimos quosque. Terreni reges coguntur nonnumquam in jure dicendo procerum et divitum rationem habere, pauperibus posthabitis. In Deum nil tale cadit. Rex et servus eodem apud eum gradu. מַעֲשֵׂה יָדָיו כֻּלָּם *Opus manuum ejus omnes sunt*, utrique ex aequo ab eo conditi sunt, ideo perinde illi est, utrosque, cum voluerit, perimere, ut Vs. proximo subjungit. Ergo ut repugnans, ita grande nefas, illum judicem vel in suspicionem vocare juris sepositi, aut subversi.

20. רֶגַע יָמֻתוּ *Momento morientur* utrique, ubi volet ille, nec resistere possunt. וַחֲצוֹת לַיְלָה *Et* in *media nocte*, (ut Exod. 11, 4., Ps. 119, 62.) i. e. derepente, inexspectato, in alta quiete, ubi se maxime florere cogitant, dum minime cogitant. Cf. supra 27, 20. יִגְעֲשׁוּ עַם *Commoventur populus*, synthesis, qualis in: *turba ruunt*, ut Ps. 64, 9. 66, 1. 68, 11., i. e. totae gentes successione quasi e suo loco et statu dimoventur. De verbo גָּעַשׁ vid. not. ad Ps. 18, 8. — וַיַּעֲבֹרוּ *Et transeunt*, i. e. pereunt, consumuntur. Non enim pro *migrare alio*, sed pro abire in sepulchrum, transiendi verbum h. l. intelligendum, ut Ps. 37, 36. Nah. 1, 12., ut verbum חָלַךְ Cohel. 1, 4. — וְיָסִירוּ אַבִּיר *Et auferunt potentem*, scil. auferentes, i. e. aufertur, impersonaliter, ut supra 18, 18. ubi not. vid. לֹא בְיָד *Non manu* i. e. nulla hominum manu adhibita, sed nutu tantum Dei, cujus potentiam exaggerat ex eo, quod terreni principes saepe magnis viribus et copiis contractis opus habeant ad hostes suos vincendos; sed Deus facile et nullis armis aut vi adhibita, quos vult perdere, etiam potentissimos, perdit.

21. כִּי־עֵינָיו עַל־דַּרְכֵי־אִישׁ וְכָל־צְעָדָיו יִרְאֶה *Nam oculi ejus* sunt *super vias viri*, sunt intenti in acta cujusque, *et omnes ejus gressus videt*. Ut Versu praeced. a Deo remota est *injustitiae* et partium studii suspicio, ex independentia ejus, omniumque magnorum et parvorum aequali dependentia; ita nunc eadem suspicio depellitur ex *omniscientia*, qua vias et gressus omnium omnino hominum, uno ictu oculi, actuque intelligendi, ita cernit simul discernitque, ut nihil illam aciem sole lucidiorem vel effugere, vel eludere, queat.

22. אֵין־חֹשֶׁךְ וְאֵין צַלְמָוֶת — פְּעָלֵי אָוֶן *Nullae tenebrae*, *seu umbra mortis*, *ut abscondant se ibi qui operantur iniquitatem*. Illi quidem conantur suam improbitatem occultare, et subtiliter eam excusant, praetexunt, palliant; neutiquam tamen nebulam offundere valent oculis illius, qui in densissimas usque tenebras, et profundissima secreta, penetrat.

23. Verba כִּי לֹא עַל־אִישׁ יָשִׂים עוֹד plures sic interpretantur: *non imponit* Deus *viro amplius* scil. reatum, non imputat homini peccata, quorum non sit reus, לָבוֹא אֶל־אֵל בַּמִּשְׁפָּט

Digitized by Google

ut eat ad Deum in judicium, i. e. ut eum ad judicium trahat. שׂוּם עַל־אִישׁ idem significare putant, quod שׂוּם בְּאִישׁ *alicui quicquam imputare*, ut supra 4, 18. Ita Jarchius, qui allusum putat ad illud quod dixerat Jobus supra 23, 6. (ex Jarchii interpretatione) לֹא אָךְ־הוּא יָשִׂים בִּי, *ipse non ponit nisi* iniquitatem et peccatum *mihi*. At Deus, inquit Elihu, non aggravat cujusquam iniquitatem. Verum שׂוּם בּוֹ et שׂוּם עָלָיו idem valere, gratis sumitur. Alii: *non imponet Deus homini ultra* peccatum aut meritum suum, de quo ille queri juste queat, *ut eat ad eum in judicium*, i. e. ut cum illo possit contendere, et velut eum in jus trahere eo nomine, quod sibi dicat plus impositum, quam ferat culpae aut peccati sui ratio. Habebit semper et afferet justam causam Deus, cur hominem affligat, etsi gravissime. Quod propter Jobum dictum volunt, qui se praeter meritum affligi querebatur, quia causam non videbat, cur ita affligeretur. Sensus quidem per se satis commodus, sed ad עוֹד plane arbitrario subauditur עָוֹן sive חַטָּאָה. Est potius, ut post Reimarum bene monuit Schnurrerus, subaudiendum לְבּוֹ, ex Vs. 14. coll. 1, 8. 2, 3., quibus locis ea phrasis usurpatur de studiosa observatione hominis eo fine instituta, ut criminis aliquid possit in eum conjici. Quare Versus ita erit reddendus: *etenim non est, ut ad hominem amplius attendat animum, ad eundum ad Deum in judicio*, s. *in judicium*, i. e. si illi coram Deo in judicio est comparendum. Atque hoc ipsum Versui proximo apprime est accommodatum, ut sensus sit, non esse, cur Deus hominem diu multumque notet atque observet, si velit illum in jus secum vocari criminisque reum agi. Sunt, qui שׂוּם עַל־אִישׁ exponant *potestatem alicui facere*, ex mera conjectura. Ita tamen jam Hieronymus: *Neque enim ultra est in potestate hominis, ut veniat ad Deum in judicium;* non est, quod in animum inducat homo, unquam cum Deo contendere.

24. יָרֹעַ כַּבִּירִים לֹא חֵקֶר *Conterit potentes absque investigatione*, ut non opus habeat longa prius inquisitione, uti homines, quibus res statim notae non sunt. Ille vero, cui omnia aperta sunt, non indiget investigationibus; sed confringit vel potentissimos sine examinatione, et probatione testium, et dignitatem eorum aliis confert. Alii לֹא חֵקֶר intelligunt: ita ut eorum numerus investigari non possit, ut supra 9, 10. עַד־אֵין חֵקֶר, cui in altero ibi hemistichio respondet עַד־אֵין מִסְפָּר, sine numero, infinitos. Ita Hieronymus: *conteret multos innumerabiles.* Et Syrus: *qui affligit multos sine numero*, s. infinitos.

25. לָכֵן יַכִּיר מַעְבָּדֵיהֶם *Propterea quod cognoscit facta eorum*, eos scilicet conterit, וְיַהֲפֹךְ לַיְלָה וְיִדְכָּאוּ *Et convertit*, super illos, *noctem*, calamitatum intellige, diem illis in noctem vertit, felicitatem in miseriam, (cf. Amos 5, 8. 8, 9.), *et atterentur.* Potes ita continuare: itaque, quia eorum facta cognoscit,

Digitized by Google

in illos noctem convertit, noctem illis et tenebras offundit, ut atterantur. Sunt, qui יַכִּיר transitive exponant *facit cognoscere*, facit ut ab omnibus eorum scelera cognoscantur, ut omnes videant, poenas, quae illis postea irrogantur, merito irrogari, et huic sententiae convenienter alterum hemistichium sic interpretantur: *convertit*, mutavit, illis *noctem* scil. *in diem*, ut, quum putarent sua facta latere, fiant omnibus nota. Sed לְיוֹם subaudire plane arbitrarium, et הַכִּיר nonnisi *intransitive* usurpatur. Alii: *et vertitur nox*, i. e. exiguo momento, in quanto nox in diem convertitur, conteruntur. Non male Hieronymus hunc Versum reddidit: *Novit enim opera illorum, et inducit noctem, et conteruntur.*

26. תַּחַת רְשָׁעִים סְפָקָם *Propterea quod sunt impii, collidit illos.* תַּחַת *Pro eo quod*, pro תַּחַת כִּי s. תַּחַת אֲשֶׁר Deut. 4, 37. 21, 14. 26, 21. etc., ut Jesaj. 60, 15. תַּחַת הְיוֹתֵךְ עֲזוּבָה *propterea quod es deserta.* Alii: *propter* (ut 2 Sam. 19, 22.) *crimina*, ut רְשָׁעִים sit pluralis nominis רֶשַׁע, qui tamen alias non occurrit. Sunt, qui exponant: *pro impiis*, hoc sensu: non quod eos tanquam impios, quum impii non sint, puniat, ut saepe solent terreni judices insontes perinde ac sontes damnare; sed ipsos tanquam impios, ut impii sunt, percutit. Hieronymus: *quasi impios percussit eos.* Quidam: *infra* s. *subter impios*, i. e. magis etiam, quam ceteros impios, potentes illos dejicit. Verbum סָפַק, quod alias de *manuum complosione* dicitur (ut infra Vs. 37.), h. l. pro *percutere* est sumendum, coll. arab. ספק et ספע *colaphis cecidit*, et in genere *percussit.* בִּמְקוֹם רֹאִים *In loco videntium*, velut in proscenio, unde omnes eorum supplicia spectare possint.

27. אֲשֶׁר עַל־כֵּן *Quod propter sic*, i. e. אֲשֶׁר עַל זֹאת, quod alias dicitur עַל־אֲשֶׁר, *propterea quod*, סָרוּ מֵאַחֲרָיו *recesserunt ab eo*, ab eo et ejus praescriptis aversi sunt, ut Num. 16, 26. 1 Sam. 15, 6. 2 Sam. 2, 21. 22. Alexandrinus: ὅτι ἐξέκλιναν ἐκ νόμου Θεοῦ. Verba וְכָל־דְּרָכָיו לֹא הִשְׂכִּילוּ docte Hieronymus reddidit: *et omnes vias ejus intelligere noluerunt*, quum possent, et illis oblatae essent, ut eas cernere liceret, contempserunt tamen.

28. לְהָבִיא עָלָיו צַעֲקַת דָּל *Ut adducat* Deus *super eum*, i. e. super unumquemque talium impiorum potentum, *clamorem pauperum*, i. e. ut eis poenas irroget oppressionis pauperum, quos clamare faciunt prae oppressione et violentia, quam illis inferunt. Pendet Infinitivus לְהָבִיא in constructione a verbo finito Vs. 25. 26., quod Deus conterat potentes eosque percutiat. Alii: *ut adducant* potentes divinis suppliciis afflicti *ad eum* scil. Deum *clamorem tenuium*, ut indicetur causa, quare Deus impios potentes perdat, nempe ut ad ipsum adducant afflictorum clamorem, quos illi indignis modis tractant. Ita Hieronymus: *ut pervenire face-*

Digitized by Google

rent ad eum clamorem egeni. Quae sententia tamen minus commoda videtur, ut taceamus eam niti eo, quod עָלָיו pro אֵלָיו sumatur. Sed phrasis עָלָיו לְהָבִיא, *adducere super aliquem aliquid* in malam partem usurpatur, de malo, quod in aliquem adducitur, Deut. 29, 26. Dan. 9, 12. In altero hemistichio ו ante צַעֲקַת est *nam* vertendum, ut alias saepissime.

29. וְהוּא יַשְׁקִט וּמִי יַרְשִׁיעַ *Et ipse* si *sedabit*, i. e. tranquillitatem concedit (cf. verbum שָׁקַט supra 3, 26.) *quis turbabit?* Ita enim, non *condemnabit*, ut alias in hoc libro, verbum יַרְשִׁיעַ h. l. vertendum esse, suadet antithesis verbi יַשְׁקִט, quod, ut arabicum סקט, est *sidere*, et proprie dicitur de liquore ita sidente, ut quicquid in eo turbidum et faeculentum erat, subsidat, unde deinceps reliquae significationes *quietis*, *tranquillitatis*, *securitatis* sunt natae, uti pluribus ostendit N. G. SCHROEDER *Observatt. Selectt. ad Origg. Hebrr.* Cap. 6. p. 88. seqq., et de nostro speciatim loco p. 109. dixit. Contra vero verbi רָשַׁע primaria et genuina significatio est *turbidum et commodum esse*, unde רְשָׁעִים dicti, cf. not nostr. ad Ps. 1, 1. Quod etymon aperte et abunde declarat illud Jes. 57, 20. וְהָרְשָׁעִים כַּיָּם נִגָּרֵשׁ כִּי הַשָּׁקֹט לֹא יוּכָל *impii autem sunt tanquam mare propulsum, quod quiescere non potest*, ubi alludit ad etymon nominis רְשָׁעִים. Sic de Saule dicitur 1 Sam. 14, 47. *Et quocunque se vertebat*, יַרְשִׁיעַ *commovebat*, omnia turbabat et proterebat, de victoria loquens, quam de omnibus hostibus, quos aggrederetur, referret. וּמַסְתִּיר פָּנִים וּמִי יְשׁוּרֶנּוּ *Et* si *abscondit vultum*, *quis* (ו ante מִי ἀπόδοσιν facit) *intuebitur eum?* i. e. contra si a quopiam vultum avertat, suum ei favorem denegans, quis tandem illi suum favorem conciliabit? aut ipsi ullo modo extorquebit quasi benignitatem? *Deus occultare faciem* dicitur, cum subtrahit radios gratiae et favoris, et iram suam monstrat, vid. supra 13, 24., ubi eadem phrasi usus Jobus, et Jes. 59, 2. — וְעַל־גּוֹי וְעַל־אָדָם יָחַד *Et super gentem* aliquam totam, *et super hominem* unicum *pariter*, i. e. quod dictum de Dei potentia, quod eo pacante nemo turbet, aut turbante nemo pacem reddat, ex aequo locum habet, et in totis gentibus, et in singulis hominibus. Perinde illi est magna multitudo, et hominum universitas aut turba, ac homo solus. Quod affert ad amplificandum Dei potentiam, quae ab ejus justitia non separatur, cf. not. supra ad Vs. 17. Schultensius verbum יַרְשִׁיעַ *condemnandi*, יַשְׁקִט vero *insontem agnoscendi* notione sumit, integrique versiculi sensum ita exponit: ubi Deus, acutissimus simul ac justissimus judex, aliquem tranquillat, et insontem agnoscit, nemo tunc potest condemnare talem, quem Deus ipse absolvit; itemque contra, si Deus aliquem damnet, et ut nocentem privet lumine vultus sui, neminem tunc justitiam, innocentiamque sibi jure vindicaturum, eamque evicturum. Quod quidem ab Elihuo eum in finem commemorari putat, ut Jobum

Digitized by Google

admoneat, ipsum in sua causa temere judicem agere, quum solius Dei sit, justum vel injustum aliquem pronunciare. Si ergo Deus ipsum absolveret, frustra fore omnes hominum condemnationes. At si Deus faciem suam ab ipso abscondere pergeret, atque ita eum condemnaret, frustra fore omnes illas contentiones pro justitia obtinenda. Verum si יַרְשִׁיעַ *condemnandi* significatu h. l. sumendum Noster voluisset, credibile est illum pro יַשְׁקֵט usurpaturum fuisse יַצְדִּיק.

30. Hic Versus, ob concisam dictionem difficilior, cum superioribus, ubi hominis solius mentionem fecit, hoc sensu videtur connectendus, ut quia inter homines rex primo loco est, et hominum judicio difficilius videatur, regem de solio dejicere, quam privatum aliquem de suo gradu, nunc, ut Dei potentiam Elihu magis extollat et commendet, dicat de rege: מִמְלֹךְ אָדָם חָנֵף *Ne regnet homo impius* (vid. de חָנֵף not. ad Ps. 35, 16.): מ in מִמְלֹךְ negationem infert, ut cum eodem verbo junctum 1 Sam. 8, 7. 16, 1. 2 Reg. 23, 33. (ex lectione marginali). Cf. not. ad Ps. 49, 15. p. 321. Itidem *negativum* s. privativum est מ in proxime sequente מִמֹּקְשֵׁי עָם quod est pro מִהְיוֹת מֹקְשֵׁי עָם, *ut non sit* (coll. simili מ Jerem. 48, 2.) talis rex improbus *laquei populi*, i. e. ne ultra populus laqueis irretiatur, quibus eum constrictum rex tenebat, sed ab ejus tyrannide liberetur: sicut et paulo ante dixerat de punitione impiorum, ut audiret Deus clamorem tenuium ab illis oppressorum. Bene Mercerus sensum exposuit: Quid dico, super populum totum, aut solum hominem Deum potentiam suam, quum vult, exercere? Etiam regibus, qui omnibus supereminent, manum injicit, ac efficit, ne impius rex ultra sceptrum teneat, ut ejus laquei a populo quem opprimebat, tollantur, et ab ejus tyrannide et jugo eximatur: in quo simul Dei justitia et potentia cernitur, quam utramque vindicare, institutum est Elihu. Pro מִמְלֹךְ veteres omnes legerunt מַמְלִיךְ, *regnare facit*, s. regem constituit. Alexandrinus: *βασιλεύων ἄνθρωπον ὑποκριτὴν ἀπὸ δυσκολίας λαοῦ*. Hieronymus: *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Chaldaeus: *qui constituit regem hominem delatorem, propter offendicula, quae sunt in populo.* Syrus: *qui non regnare facit hominem impium et peccatorem populo.* מִמְלֹךְ placet quoque Schnurrero, qui hunc Versum cum superiore ita conjungit, ut, voce יָחַד accepta pro Futuro verbi חָדַד, coll. arab. حدد sequ. على *vehemens fuit, animo efferbuit contra aliquem*, sensus efficiatur hic: si vel genti universae, vel singulis civibus indignatus fuerit Deus, regem praeficit hominem impium, talem aliquem, qui corruptor populi est, atque pestis. „Neque hoc, (addit), alienum videri potest a serie orationis. Etenim quum Vs 24. dictum sit, homines vi atque opibus praepollentes nonnumquam tolli a Deo, ob injurias aliis illatas, sponte in mentem venit cogitatio rei oppositae, permittere inter-

Digitized by Google

dum divinam providentiam, ut in civitate, quae poenas Deo debeat, summas imperii obtineat ejusmodi aliquis, qui sua impietate turbatam reddat rempublicam, variisque calamitatibus afflictam."

31. כִּי אֶל־אֵל הָאָמַר *Nam*, quum Deus, judex justissimus, idem sit omniscius et omnipotens, *nonne dicit*, (pro הֲלֹא אָמַר ut supra 20, 4.) i. e. nonne dicere par est eum qui ab eo castigatur, נָשָׂאתִי scil. חֲטָאַי s. עֲוֹנִי coll. Levit. 24, 15. Num. 14, 34. Ezech. 18, 20., *poenas lui peccatis meis promeritas.* לֹא אֶחְבֹּל *Non corrumpam* scil. ultra vias meas et mores, non prave ac perdite agam, ut Nehem. 1, 7. חִבַּלְנוּ לָךְ *corruptissime egimus contra te;* ut שִׁחֲתוּ עַמְּךָ scil. דַּרְכּוֹ וּמַעֲשָׂיו, Exod. 32, 7., ubi Onkelos nostro usus verbo, tanquam synonymo, חַבִּילוּ עַמָּךְ vertit. Apparet, Elihuum Jobo rationem praescribere, qua ille erga Deum sese gerere debuerat, communem omnibus, qui affliguntur, ut haec ad superiora referantur, ubi dixerat Jobum de Dei judiciis conqueri. Non hoc, inquit, debueras facere, et ita in Deum insurgere; tanquam iniquum tibi, sed haec par erat ad eum a te dici, et a quovis afflicto: libens sane suscepi et amplector tua judicia, poenam mihi inflictam non detrecto, et quia ob peccata mea haec mihi accidisse intelligo, ultra non perdite agam, sed mores meos emendabo. A Schultens הָאָמַר verti posse censet vel *num dicet*, impersonaliter, per interrogationem negantem τοῦ π, ut Joel 1, 2. Ezech. 18, 23., vel cum asseveratione: *ecce! sane dixit.* Verbum חָבַל autem h. l. *pignoratum esse*, coll. supra 22, 6. 24, 3. 9. Proverb. 20, 16. et alias, notare putat. Versum integrum ita reddit: *Nam ad Deum sane dixit; accepi*, quod *non pignoratus eram. Pignorari poenam* valere existimat, *pignore capto*, i. e. crimine, injuria, noxa, *obligari ad poenam recipiendam*, veluti portionem debitam, ad quod explicandum affert Arabum formulam adagialem: *omnis vir in eo quod patrat pignoratus est*, i. e. ad poenam subeundam obstrictus est. Eundem sensum, sed clarius, expressit Schnurrerus: *Deo enim quis dicere ausus fuerit: poenam luo, quum tamen obligatus haud sim.* Activum אֶחְבֹּל tamen mutandum censet in passivum אֵחָבֵל. Sed videtur illa phrasis ab Hebraeorum loquendi usu aliena esse.

32. Confessionis formulam, quam praescribere Jobo exorsus erat Elihu superiori Versu, hoc prosequitur: בִּלְעָדַי אֶחֱזֶה *Praeter* illud quod (subaudito אֲשֶׁר) *video*, i. e. si quid est, ad quod non adverterim ex delictis meis, אַתָּה הֹרֵנִי, *tu*, Deus, *doce me!* Alii *Jobum* compellari putant, quasi diceret Elihu: en habes sententiam meam de ratione, qua Deus pios et impios gubernare solet: si quid vero sit, quod ego in hac re nondum viderim, aut in quo errasse me putes, id *tu* libere nunc *doceto me.* Cui interpretationi tamen repugnat, quod subjicitur: אִם־עָוֶל פָּעַלְתִּי לֹא אֹסִיף *si iniquitatem*, si quid perversi *feci*, *non addam*, quae

Digitized by Google

verba vix potest ambigi esse confitentis et veniam deprecantis. Significat Elihu, saepe hominem a se peccatum committi ignorare, igitur si peccata aperta non videat, propter quae sit punitus, debere rogare Deum, ut sibi ea patefaciat, quae se fugiunt, ob quae nunc ita affligatur, ut illa in posterum evitet. Quod quidem consilium casui Jobaeo optime esse accommodatum, nemo non intelligit.

33. הֵמֵעִמְּךָ *An vero ex te*, i. e. ex animi tui sententia ac mente, tuo consilio et arbitratu, יְשַׁלְּמֶנָּה *rependet illud?* bonum scilicet vel malum. Cum Deus alicui vel tibi poenam irrogat et mercedem rependit, num ea in re te in consilium adhibebit, ut ei modum praescribas, quo te affligat, et tibi mercedem rependat? Quae sequuntur, כִּי מָאַסְתָּ כִּי אַתָּה תִּבְחַר וְלֹא־אָנִי, *quia tu aversatus es, quia tu eliges, nec ego*, verba Dei per mimesin esse, post Mercerum plures monuerunt, q. d. num tibi dari optionem postulas, ut modum quo affligi velis, definias? Quod absurdum est, proponit Jobo, et quod ex ejus sermonibus consequi innuit, nempe ut Deus petat ab unoquoque, quid sibi videtur, antequam quicquam agat, assignetve cuiquam suam partem et sortes distribuit. Conclusio est, Deum esse justissimum rerum omnium arbitrum, neque cuiquam esse obnoxium, aut ad nutum cujusquam partes assignare, sed pro liberrima atque justissima voluntate sua librare lances, atque ex aequo omnia dispensare, et suum unicuique tribuere. וּמַה־יֵּדַעְתָּ דַּבֵּר *Et quid nosti? loquere!* Verba sunt Elihui concludentis: vides, quam absurde facias, Jobe, ita Deo modum praefinire volens, homines affligendi. Quod si quid scias, quod adversum haec afferre possis, age, loquere! Ei potestatem loquendi facit, ut supra 33, 5. indicans interim se certum de victoria. Nam ideo sic confidenter loquitur.

34. אַנְשֵׁי לֵבָב יֹאמְרוּ לִי *Viri cordis*, cordati, intelligentes, *dicent mihi*, i. e. pro me, mihi annuent et mecum sentient. וְגֶבֶר חָכָם שֹׁמֵעַ לִי *Et vir sapiens audiens* erit *mihi*, mihi acquiescet in eo quod sequitur.

35. אִיּוֹב לֹא־בְדַעַת יְדַבֵּר Quod (sub audiendum est כִּי) *Jobus non cum scientia loquitur*, וּדְבָרָיו לֹא בְהַשְׂכִּיל *et verba ejus* sunt *non cum intelligentia*, sunt imperita et indocta.

36. אָבִי plures post Hieronymum vertunt *Pater mi!* et Deum compellari volunt, quod tamen insolentius est, quum nonnisi bis in V. T. Jesaj. 63, 16. et 64, 7. Deo *patris* appellatio tribuatur. Nec ratio perspicitur, cur hoc nostro loco illa appellatione utatur Elihu. Alii אָבִי defective scriptum volunt pro אָבִיא, *adducam*, *afferam*, a verbo אבא, in quo saepius aphaeresis literae א reperitur, veluti 1 Reg. 21, 21. 29. Jerem. 19, 15. 39, 16. Mich. 1, 15. Ita Schultens, qui verba אָבִי יִבָּחֵן אִיּוֹב עַד־נֶצַח ita vertit: *adduco, quo Jobus exploretur ad purum putum*, i. e. exactissime; haec in medium adfero, ut res Jobi discutiantur ex-

Digitized by Google

actissime. Alii: adducam plura, donec se victum Jobus fateatur, עַד־נֶצַח *usque ad victoriam* **vertentes. Sensus tamen multo commodior prodibit, si pro nomine habeamus a verbo** אָבָה *voluit*, **deducto,** *voluntas*, *desiderium meum!* **quod pro interjectione** *utinam*, *o si!* **usurpetur. Ita Chaldaeus:** אֲצַבֵּינָא דְיִתְבַּחַר אִיּוֹב עַד עָלְמִין *cupio ut probetur Jobus usque in aeternum.* **Aben-Esra quoque explicat:** חֶפְצִי וְרָצוֹנִי שֶׁיִּבָּחֵן אִיּוֹב. **Est exclamatio Elihui, qui Jobum detineri in probatione aequum censet,** עַד־נֶצַח *usque ad finem*, **i. e. ut castigentur responsiones Jobi donec recta sentiat et loquatur. Idque** עַל־תְּשֻׁבוֹת בָּאֲנָשִׁי אָוֶן *propter responsiones* **quas fecit, ob sermones quos habet (ut supra 21, 33.)** *cum viris iniquitatis*, **i. e. pares iniquorum et impiorum hominum sermonibus, quum de Dei judiciis queritur improborum more; ut supra Vs. 8. dixerat, eum talibus dictis se associare impiis.**

37. כִּי יֹסִיף עַל־חַטָּאתוֹ פָּשַׁע *Nam addit ad peccatum suum praevaricationem*, **antea leve peccatum erat, ob quod affligebatur, sed nunc, ex quo coepit affligi, peccatum illud auxit scelere, dum velut in Deum insurgens de ejus justitia conquestus est. Elihu a ceteris Jobi adversariis in hoc differt, quod illi ob graviora scelera Jobum putarent et contenderent ita atrociter cruciari, Elihu non nisi ob leviora peccata, quae ipse ignoraret, unde ei hoc dabat consilii (Vs. 32.), Deum ut oraret, ut illa sibi aperiret. Verum istis levioribus peccatis censet accessisse gravissimum delictum, quod in Deum esset contumeliosus.** פֶּשַׁע *Delictum*, **est, quod de industria committitur,** חַטָּאָה, *peccatum*, **etsi generale est, proprie tamen significat per imprudentiam et errorem admissum,** *lapsum*, **cf. not. ad Ps. 14. 1. —** בֵּינֵינוּ יִסְפֹּק *Inter nos complodit*, **scil.** כַּפָּיו, **scil. in signum victoriae; manibus inter nos plaudit velut jam certus de victoria, quasi jam causam suam evicerit, se plane insontem et nihil commeritum plecti. Alii verbum** סָפַק **h. l. intelligunt de** *strepitu verborum* **et vanis jactationibus, quas in Deum profuderit, a significatione** *sufficientiae* **et** *abundantiae*, **quam verbum illud ex usu Chaldaico habet, cf. not. supra ad 20, 22. Quod ipsum tamen exprimitur verbis hujus Versus postremis:** וַיַּרֶב אֲמָרָיו לָאֵל *et multiplicat sermones suos in Deum*, **multa garrit in Deum injuriosa.**

Digitized by Google

ELIHU.

CAP. 35.

Tertia oratio Elihui brevior, quae hoc capite absolvitur. Reprehendit quaedam Jobi dicta, quae jam in superioribus proposuerat, ac notanter quod dixisset, nihil suam sibi prodesse innocentiam quo minus affligatur. Ostendit igitur, Dei non interesse, homines virtuti studerent, nec ne, sed hominum ipsorum. Nihil Deum ex virtutis studio hominum lucri percipere, multo minus damni quicquam ei ex peccatis enasci, Deum immensum, summum et maximum, ab imbecilli homine juvari non posse. Igitur quum nihilominus Deus res humanas curet, id merae ejus clementiae tribuendum esse. Si vero oppressis et auxilium implorantibus non statim succurrat, illum propterea non esse injustitiae accusandum, sed causam esse in hominibus, quod non animo pio gratoque propter divina beneficia sese ad Deum converterent. Vanos ergo ac temerarios esse Jobi questus.

CAP. 35, 2. הַזֹּאת חָשַׁבְתָּ לְמִשְׁפָּט *Num hoc computasti in judicium*, pro jure, et recte ac juste dicto, q. d. an hoc vere a te et justum dictum fuisse cogitas? אָמַרְתָּ צִדְקִי מֵאֵל In eo quod *dixisti*, *justitia mea* est *prae Deo*, i. e. major quam Dei, justior sum Deo. Cf. not. ad 32, 2. 34, 5.

3. כִּי־תֹאמַר *Quia dicis*, nam quod sequitur ad justitiam causae suae defendendam afferebat, juxta id quod dicit Elihu. מַה־יִּסְכָּן־לָךְ *Quid prodest tibi*, scilicet תָּם־דְּרָכֶיךָ, *integritas viarum tuarum*, s. (ex Versu 2.) צִדְקָךְ, *justa tua causa?* quum perinde affligi te dicas, ac si impius esses? Dicendum erat per mimesin: *quid prodest mihi?* sed ita passim hebraice orationis forma commutatur, ut et mox מָה אֹעִיל מֵחַטָּאתִי, quae verba bene Jarchi explicat: מָה אֹעִיל בְּצִדְקָתִי יוֹתֵר מֵחַטָּאתִי, *quid proficiam justitia mea magis quam meo peccato?* Respicit illud, quod Jobus supra 10, 15. dixerat: *Si impius sim*, *hei mihi! sin justus*, *ne tum quidem caput attollam;* utrinque mecum male agitur. Cf. et 34, 9.

Digitized by Google

4. אֲנִי אֲשִׁיבְךָ מִלִּין וְאֶת־רֵעֶיךָ עִמָּךְ *Ego respondebo tibi verba*, adferam adversus te rationes, quibus confuteris, *et sociis tuis tecum*, quia illi scilicet non efficacibus adversum te usi sunt argumentis, et velut victi turpiter obmutuerunt; ubi maxime Jobus erat redarguendus. Et sane Eliphasus de hac re coeperat dicere 22, 2. seqq., sed mox ibi affectu praepeditus, ab illo argumento tractando ad falsas criminationes et obtrectationes in Jobum accumulandas se abripi passus erat. Et postea Jobus abunde Cap. 23. et 24. de prosperitate impiorum et bonorum afflictionibus objecerat, ad quod socii nihil responderant. Plenius ergo hoc loco Elihu hanc rem tractat, et Jobi objectionem diluit. אָשִׁיב pro אָשִׁיבָה לָּךְ, verba *respondendi* Hebraice cum duplici accusativo construuntur, vid. Num. 22, 8. Genes. 37, 14.

5. A sensu incipit Jobum redarguere. הַבֶּט שָׁמַיִם וּרְאֵה וְשׁוּר שְׁחָקִים גָּבְהוּ מִמֶּךָּ *Intuere coelos et vide, et adspice nubes, quae sunt te altiores*, quo vix possis visu pertingere; at Deus longe etiam altior est, quid ergo tua virtute ei conferes, vel scelere officies?

6. אִם־חָטָאתָ מַה־תִּפְעַל־בּוֹ *Si peccaveris, quid ages in eum?* וְרַבּוּ פְשָׁעֶיךָ מַה־תַּעֲשֶׂה־לּוֹ *Et si multiplicata fuerint delicta tua*, quamvis multa sint, *quae facere ei?* i. e. nocebis? Nihil haud dubie. Rursus 7. אִם־צָדַקְתָּ מַה־תִּתֶּן־לוֹ אוֹ מַה־מִּיָּדְךָ יִקָּח *Si justus fueris quid dabis illi, aut quid e manu tua capiet?* quum omnia sint illius, ut est Ps. 50, 2., et ipse omnium bonorum auctor sit et fons.

8. לָאִישׁ (אֲשֶׁר) כָּמוֹךָ רִשְׁעֶךָ *Viro qui est sicut tu*, tui simili, *improbitas* scil. nocet, וּלְבֶן־אָדָם צִדְקָתֶךָ *et filio hominis justitia tua* scil. prodest, cuique sua prodest pietas, aut nocet improbitas. Quum igitur nihil Deo vel nostra recte facta conferant, vel male acta incommodent, non est, dicit Elihu Jobo, quod ita tuam justitiam praedices, quasi quicquam ea illi conferat, ut propterea remunerationem ab illo jure exspectare possis. Quod enim nostram probitatem et recte acta Deus curet et remuneretur, id ex ejus clementia procedit, et ejus gratuitae bonitati est acceptum ferendum, sicut et quum peccata punit, non ideo punit, quod illis ipse incommodetur, ut homines de inimicis sese vindicare solent, sed ideo punit, quia suis sceleribus homines nocent aliis, ut sequitur, nec ferre potest diu tenues ab impiis opprimi, modo et illi animo pio et submisso sese ad ipsum convertant, ab ejusque potentia auxilium exspectent.

9. מֵרֹב *Prae multitudine* scil. חָמָס, *oppressionis* et *violentiae*, s. חָמָס, quod facile est subaudire ex sequenti עָשְׁקִים יַזְעִיקוּ, *oppressi vociferantur*, verbum intransitive capiendum, ut 2 Sam. 20, 4. 5. Zachar. 6, 8., sicuti et sequens יְשַׁוְּעוּ *clamant* scil. oppressi מִזְּרוֹעַ רַבִּים *prae brachio*, i. e. violentia et tyrannide (ut supra 22, 8. infra 38, 15. Ps. 37, 17.) *magnatum*

Digitized by Google

(cf. not. ad 32, 9.) potentum. Pauperes et egeni clamant prae violentia et oppressione improborum potentum. Hoc tibi do, dicit Elihu Jobo, qui hoc supra 24, 12. objecerat. Sed quid in causa est, quo minus clamantes a Deo exaudiantur? an vero statim injustitiae accusandus est Deus, quod eos non exaudiat? Minime vero, absit. Sed causa in ipsis oppressis est, ut sequitur.

10. וְלֹא־אָמַר אַיֵּה אֱלוֹהַּ עֹשָׂי *Nec dicit* scil. ullus eorum, qui opprimuntur, *ubi est Deus, conditor meus?* Non convertunt se animo pio et submisso ad Deum, ab eo, utpote conditore suo et benefactore, auxilium petituri. De Deo non cogitant, providentiam ejus non suspiciunt; hinc fit, ut vicissim res adversas experti clamitent, Deus non respondeat. עֹשָׂי pro singulari עוֹשִׂי, nomen plurale cum singulari אֱלוֹהַּ, quae numeri varietas, honoris causa, ubi de Deo sermo est, saepe committitur, vel in verbo, vel in adjectivo adjuncto, ut Jos. 24, 19. אֱלֹהִים קְדוֹשִׁים הוּא, quod dici etiam potuit, אֱלֹהִים קָדוֹשׁ הוּא. Itidem in nomine domini humani fieri solet in lingua hebraea, ut Jes. 19, 14. אֲדֹנִים קָשֶׁה *dominus durus.* נֹתֵן זְמִירוֹת בַּלָּיְלָה *Qui dat cantica noctu,* noctem calamitatum et afflictionum intellige, ut lux e diverso felicitatem indicat; q. d. qui rebus tristibus lucem afferens, et laetitiam invehens, canendi ansam praebet, et sui celebrandi.

11. מַלְּפֵנוּ מִבַּהֲמוֹת אֶרֶץ וּמֵעוֹף הַשָּׁמַיִם יְחַכְּמֵנוּ *Qui docet nos prae bestiis terrae, prae avibus coelorum nos sapientes reddit,* qui efficit, ut doctrina, mente et sapientia bestiis et avibus praecellamus. Haec tanta beneficia quum oppressi non considerent, et in memoriam revocent, ingratitudine Dei summam in se clementiam obliterantes, quid miraris, si eos Deus libidini ac tyrannidi potentum permittit? Quia, si Deum, ut par est agnoscerent, subveniret illis utique Deus, nec eos opprimi sineret. Non est ergo, quod hoc nobis objicias, Jobe, quasi ea in re injustus sit Deus. Vides sane, hoc ejus injustitiae non esse adscribendum, sed hominum ingratitudini. מַלְּפֵנוּ dictum pro מְאַלְּפֵנוּ, eliso א, ut in הַסּוּרִים Cohel. 4, 14. Alii hosce tres Versus ita intelligunt, ut, quia hominis probitatem nihil Deo conferre, nec improbitatem nocere dixerat, nunc causam subjungat, cur ergo Deus peccata hominum puniat, quum ea ipsi nihil noceant. Ratio autem est, quia miseretur suarum creaturarum, diutius ferre non potest tenues a potentibus opprimi, ideo clamorem audit tenuium afflictorum, et oppressores ipsos punit, quorum nullus Dei beneficia agnoscens dicit apud se: *ubi est Deus, conditor meus,* qui ut me, sic eos, quos opprimo, condidit, ut supra 31, 15. Jobus dixerat de servo, *qui fecit me, fecit et illum,* et eadem conditione creatus est uterque nostrum homo. Utraque interpretatio locum habere potest. Nam neutri exaudiuntur, quia non ex animo ad Deum redeunt ejus beneficia agnoscentes. Sed videtur potius

Digitized by Google

dilutio esse objectionis a Jobo factae, de oppressis, qui non exaudiuntur, quod eorum ingratitudini et socordiae, non injustitiae Dei tribuendum fuerit.

12. שָׁם יִצְעֲקוּ וְלֹא יַעֲנֶה מִפְּנֵי גְּאוֹן רָעִים *Ibi* ergo, inquit, *clamabunt*, s. clamant, *nec exaudiet* eos sc. Deus, *propter elationem malorum*, i. e. improborum hominum; hoc posterius jungendum cum יִצְעֲקוּ. Clamabunt propter fastum, s. prae fastu improborum, a quibus opprimuntur, nec exaudientur, ob causam jam dictam, quod non redeant animo pio et submisso ad Deum. שָׁם *Ibi*, eo scilicet loco, in quo affliguntur, i. e. *tunc*, ut Ps. 14, 5. Cohel. 3, 17. Sunt, qui לֹא יַעֲנֶה מִפְּנֵי גְּאוֹן pro constructione praegnante habeant, *non exaudit* eos ita, ut liberet *a superbia malorum*.

13. אָךְ *Verum*, s. *sane*, *profecto*, ut Gen. 26, 9. 29, 14. שָׁוְא לֹא־יִשְׁמַע אֵל *Vanitatem*, i. e. vanas preces, clamorem illum pietate vacuum. וְשַׁדַּי לֹא יְשׁוּרֶנָּה *Et Omnipotens non videbit illam* scil. דִּבְרַת הַשָּׁוְא *orationem vanitatis*, i. e. vanam. Alii suffixum femininum neutraliter accipiunt: *illud*, quod opprimuntur, non intuetur, non curat, Deus; velut connivet ad eorum oppressionem, quod ingrati sunt.

14. אַף כִּי־תֹאמַר לֹא תְשׁוּרֶנּוּ *Quanto minus* scil. tu exaudieris *qui dicis te non videre eum.* Respicit illud, quod Jobus supra 23, 8. dixerat, Deum, etsi eum ubivis gentium quaerat, nusquam occurrere sibi, aut inveniri a se. אַף כִּי *Quanto minus*, ut supra 9, 14. 25, 6. 1 Reg. 8, 27. Alii: *etiam quum*, ut Ez. 14, 21. Neh. 9, 18. Hi prius hemistichium cum posteriore conjungunt hoc sensu: etiamsi dicas te eum non videre, tamen *judicium est coram eo*, i. e. quantumvis queraris, eum tibi non apparere, non est tamen dubium, quin apud eum sit judicium et aequitas, s. quin causa tua ei sit cognita, et judicium apud eum sit instructum, וּתְחוֹלַל לוֹ *modo exspecta eum*, i. e. in eum spera, et ei tua committe, ut idem verbum Ps. 37, 7. usurpatur.

15. וְעַתָּה כִּי־אֵין פָּקַד אַפּוֹ *Et nunc quia nihil est* quod *visitavit ira ejus*, i. e. quod te iratus punivit, paene nihil est; exigua est ejus ira, qua te afflixit, si ratio habeatur peccatorum tuorum, quibus longe graviora eras commeritus. אֵין *Nihilum* cum Praeterito aut Futuro non jungitur, ideo ante פָּקַד hic subaudiendum אֲשֶׁר *nihil est, quod visitavit*, animadvertit, punivit, *ira ejus*. וְלֹא־יָדַע בַּפַּשׁ מְאֹד *Nec novit multitudinem* peccatorum tuorum Deus *admodum*, lenius te punivit, quasi non nosset multitudinem tuorum peccatorum. Nomini פַּשׁ Hebraei notionem *multitudinis* tribuunt, a verbo פּוּשׁ *multiplicari*, Malach. 3, 20. Jer. 50, 11., quasi idem significet quod פִּשָּׂה *dimanavit*, Levit. 13, 5. Verum illis duobus locis potius *lasciviendi*, *turgescendi* notio apta, coll. arab. פּוּשׁ *gloriatus est*, *superbivit*. Nostrum פַּשׁ autem videtur vox magis Aramaea, quam Hebraea esse, nam

Digitized by Google

פּוּשׁ in versionibus Chaldaicis saepe pro talibus verbis hebraicis positum est, quae *crescere*, *augescere*, *multiplicare* designant. Vid. BUXTORFII *Lex. Chald. Talmud.* p. 1708. Scribitur פַּשׁ cum Pathach, pro פֵּשׁ cum Camez, ut et alia nomina a verbis media quiescentibus, veluti צַר *angustus*, פַּח *laqueus*, חַח *hamus*, רַע *malum*. Verbum יָדַע h. l. cum ב constructum, ut 1 Sam. 22, 15. Jerem. 38, 24. Gen. 19, 33. 55. Sunt, qui coll. arab. פוש (vid. supra) nostra verba sic reddant: *non agnoscit*, curat, *arrogantiam*, s. superbiam *valde*. Alexandrinus et Hieronymus pro בַּפֶּשַׁע videntur פֶּשַׁע legisse. Hic enim hunc Versum sic vertit: *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.* Ille vero: Ὅτι οὐκ ἔστιν ἐπισκεπτόμενος ὀργὴν αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔγνω παράπτωμά τι σφόδρα.

16. הֶבֶל Hieronymus bene *frustra* vertit; incassum, vane, ut supra 9, 21. — יִפְצֶה־פִּיהוּ *Aperit os suum* (Jud. 11, 35. Jes. 10, 14.), quiritando et disputando adversus justitiam Numinis. בְּבַלְעִי־דָעַת (pro מִבַּלְעִי) *sine scientia*, imperite, 34, 35. 38, 2. — יַכְבִּיר מִלִּין *Multiplicat*, multa effudit *verba* scil. contra Deum. Verbum כָּבַר utramque quantitatem notat; potest igitur vel de *multitudine* intelligi, ut infra 36, 31. vel de *elatione*, ut supra 8, 2., ut sensus sit: *grandia et superba facit*, quae ipsa et arabici verbi كبر significatio est.

Digitized by Google

E L I H U.

Cap. 36. 37.

Pergit Elihu in vindicanda Dei justitia, quae cum summa potentia conjuncta est. Primum monet, inesse Deo vim infinitae potentiae, simulque robur mentis excelsissimae, ab omni humanorum affectuum labe secretae, omnesque sapientiae, bonitatis, aequitatis numeros explentis. Deinde exponit, qua se ratione gerat erga hominum genus. Afflictos docet non sinere perpetuo lugere, sed pios, utpote disciplinae capaces, postquam divinis castigationibus emendati fuerint, nec opinantes e calamitate eripere; contra, qui inobedientes sint, et in peccato obdurentur, infeliciter, serius, ocyus, violenta et immatura morte absumi. Similiter cum Jobo Deum acturum docet: ipsum etiam in pristinum statum felicem restitutum iri, modo se per hasce castigationes erudire patiatur, nec divinis monitis in rebus adversis immorigerum se praestet. His amicissimas et saluberrimas addit hortationes. Caveret, ne, si iniquitatem et nequitiam constantiae et probitati praeferret, ipse se futura fortuna privaret. A contumacia, impatientia et contentione cum Deo Jobum vocat ad considerationem majestatis illius immensae, quae coelum, terras, maria, nutu temperat, et in omnibus suis operibus cum admirabilem, tum verendum sese exhibet. Multus est in laudibus et descriptionibus operum divinorum, quae in rerum natura cerni possunt, inde a Vs. 23. Cap. 36. et toto Capite 37. Qui quidem totus locus magnificentia et sublimitate superiora omnia antecellit.

Cap. 36, 1. Hebraei notant, tres habuisse orationes Elihuum ex adverso trium, quas quisque sociorum habuerat, praeter ultimum, Zopharum; vel ex adverso trium, quas Jobus habuerat, ad quas socii nihil responderant, nempe Cap. 24., item 27. et 28., et postremo 29. 30. et 31. Nam iis, quae illic dixerat, nihil responderant socii (Bildadus enim Cap. 25. nihil attulit, quod adversus dicta Jobi faceret). Nunc autem Elihuum hanc quartam orationem ex abundanti adjecisse; ideo illi inscriptum esse: וַיֹּסֶף אֱלִיהוּא וַיֹּאמַר *adjecit Elihu dixitque*, ut innueretur, satis prae-

Digitized by Google

cedentibus tribus sermonibus Jobum redarguitum fuisse, et Dei justitiam ostensam, sed ex abundanti quae sequuntur adjecisse Elihuum, velut ad pleniorem suae sententiae confirmationem.

2. Recte observat Jarchi, prius hujus Versus hemistichium, כַּתַּר־לִי זְעֵיר וַאֲחַוִּךְ, mere Aramaicum esse, quod hebraice potius ita sonaret: הוֹחַל־לִי מְעַט וַאֲגִידָךְ *expecta me paululum, et indicabo tibi*, scil. דַּעְתִּי *sententiam meam*, vel, quod reliquum est, quo te plane convincam, Deum justissimum esse, et te culpandum quam maxime, quod de eo queri ausus fueris. Verbum כַּתַּר ceteris, quibus occurrit, V. T. locis *circumdandi* notionem obtinet, hic vero ex usu Chaldaico et Syriaco *expectavit* denotat, quo significatu in Chaldaica paraphrasi Jes. 42, 4. pro hebraeo יָחַל usurpatur. Bene Hieronymus vertit: *sustine me paululum.* כִּי־עוֹד לָאֱלוֹהַּ מִלִּים *Nam adhuc Deo* sunt *sermones*, i. e. mihi, qui Dei causam defendo et justitiam assero; habet novas insuper pro se rationes Deus, quibus se tueatur. Hieronymus: *adhuc enim habeo, quod pro Deo loquar.*

3. אֶשָּׂא דֵעִי לְמֵרָחוֹק *Assumam sententiam meam ad* usque *e longinquo*, eminus, i. e. altius repetam, quae sum dicturus, rationes meas altius petam, non ex obviis tantum, sed ex operibus Dei admirandis et sublimibus. וּלְפֹעֲלִי אֶתֶּן־צֶדֶק *Et factori meo dabo*, tribuam, asseram, *justitiam suam.* Attentos reddit, quod de rebus magnis et longius petitis se dicturum pollicetur; benevolentiam sibi conciliat ex eo, quod conditori suo justitiam asserturum inquit. Aequum, inquit, est, ut ei, qui me condidit, suam illibatam servem justitiam et aequitatem.

4. כִּי־אָמְנָם לֹא־שֶׁקֶר מִלָּי *Quia profecto non falsitas*, falsi sunt vel erunt *sermones mei.* A studio veritatis attentionem et simul benevolentiam captat, quod nihil falsi dicturus sit. תְּמִים דֵּעוֹת עִמָּךְ *Integer sententiis* est *tecum.* Hoc de se dicit Elihu per tertiam personam, de se loquens modestiae causa. Habes, inquit, hominem tecum agentem recte judicantem, et pure et sincere sentientem, qui nihil sit adulteraturus, aut in alienum sensum depravaturus.

5. Hactenus exordium et praefatio. Sequitur argumenti tractatio. Primum Dei justitiam ex ejus potentia ostendit, qua quum maxime valeat, justos et pauperes, qui opprimuntur, non aversetur, etsi aliquando eos affligi sinat, et ex eo, quod impios puniat, bonos autem tueatur, et iis suum jus reddat et servet; in quo sane justitia consistit. Prius hemistichium Hieronymus sic vertit: *Deus potentes non abjicit.* כַּבִּיר accusandi casu cepit, et pro וְלֹא legit לֹא, quod ipsum, de Rossi teste, hodienum in pluribus codicibus reperitur. Ita sententia foret: causa, quare Deus potentes puniat, est, non quod potentes sint, sed quod sint improbi, et alios opprimant, abutentes sua potentia. Sed praestat, quod in longe plerisque codd. exstat, וְלֹא, retinere, ut ait כַּבִּיר

Digitized by Google

Nominativus, hoc sensu: *en! Deus* est *potens*, absolute scilicet, potentissimus est, וְלֹא יִמְאַס *neo reprobat* sc. תָּם *integrum, probum;* coll. Cap. 8, 20. תָּם־אֵל לֹא יִמְאַס־תֹּם, sive עָנִי *afflictum*, quod Jarchi subaudit. בְּבִיר כֹּחַ לֵב *Potens*, inquam, *robore cordis*, valens animi fortitudine ac praestantia. *Cor* sunt, qui ad intelligentiam et sapientiam referant, quod omnia norit, nec ignoret afflictiones justorum et oppressiones, quas improbi faciunt. Sed utroque referri potest *cordis* nomen, et ad intelligentiam seu cognitionem, et ad animi fortitudinem et praestantiam, q. d. est magni animi ad vindicandum injurias suis factas et suos defendendos. Ideo subjicit:

6. לֹא־יְחַיֶּה רָשָׁע Propterea *non vivificat*, i. e. conservat, gratia ac favore suo prosequitur, *impium*, וּמִשְׁפַּט עֲנִיִּים יִתֵּן *Et judicium*, jus, *pauperum*, afflictorum, *dat*, reddit illis jus suum, eos defendit et asserit ex illorum manu.

7. לֹא־יִגְרַע מִצַּדִּיק עֵינָיו *Non subtrahit*, deflectit, *a justo oculos suos*, etsi affligatur interim, non tamen desinit ejus curam assiduam agere, ut Ps. 33, 18. dicitur: *oculi Domini* directi sunt *in timentes eum*. Meminerimus autem, Elihuum hic in eo totum esse, ut tollat offendiculum illud: quod pios interdum affligi videmus, ne ea in re injustum putemus Deum, ut Jobus de se queri videbatur, quasi praeter meritum, quum sibi bene conscius esset, affligeretur. Ac ubique ad eum consolandum, si sibi bene conscius erat, ut ipse dicebat de se, spectat Elihu. Singularis צַדִּיק collective usurpatur, unde in posteriore hemistichio *suffixum* et *verbum plurale* sequuntur. Verba וְאֶת־מְלָכִים לַכִּסֵּא וַיּוֹשִׁבֵם Jarchius bene explicat: עַד־אֲשֶׁר עִם מְלָכִים־לַכִּסֵּא יוֹשִׁבֵם *donec cum regibus in solium collocat eos* (ו ante יוֹשִׁבֵם abundat, אֶת vere *cum* notat, collata eadem sententia 1 Sam. 2, 8. et Ps. 113, 7.), לָנֶצַח *in perpetuum*, s. *constanter*, in solium perenne staturum, וַיִּגְבָּהוּ *et attolluntur*, in supremum rerum fastigium et dignitatem evehentur. Significat pios semper a Deo magni fieri et evehi, esse ei in summo pretio et honore.

8. 9. וְאִם־אֲסוּרִים בַּזִּקִים *Quod si vincti* sint scil. צַדִּיקִים (ex Versu superiori subaudiendi) *in compedibus* s. catenis, יִלָּכְדוּן בַּחֶבְלֵי־עֹנִי *capti* s. constricti *fuerint in funibus humilitatis*, calamitatis. Sequitur apodosis Vs. 9. וַיַּגֶּד לָהֶם פָּעֳלָם *Tunc indicat illis* Deus *opus ipsorum*, eos de vita sua admonet, וּפִשְׁעֵיהֶם כִּי יִתְגַּבָּרוּ *et peccata eorum* ipsis annunciat *quod invaluerint;* quia coeperant nonnullis peccatis sese addicere, per afflictiones eos de illis admonet Deus. Bene Jarchi haec ita explicat: *Quod si videris justos quod vincti sint compedibus castigationum et morborum*, scias *illud eis immitti non alia ex causa, quam quod in eum peccaverunt; atque ille venit, ut poenam de iis sumat in ipsorum bonum, quo illos purget, eosque admoneat, ut ad ipsum sese convertant.*

Digitized by Google

10. וַיְגַל אָזְנָם לַמּוּסָר *Detegit aurem eorum ad correctionem*, eo fine, ut corrigantur et emendentur. Cf. supra 33, 16. וַיֹּאמֶר כִּי־יָשׁוּבוּן מֵאָוֶן *Et dicit quod*, i. e. ut *redeant ab iniquitate;* nam afflictiones velut loquuntur, aut Deus per illas, cum eas immittit; perinde est ac si nos admoneret ore suo loquens ut a scelere resipiscamus.

11. אִם־יִשְׁמְעוּ — בַּנְּעִימִים *Si audierint* monentem Deum, *et servierint* ei, *inveterabunt dies suos in bono*, feliciter, *et annos suos in suavibus*, jucunde et suaviter transigent. Jarchi: *Omnes Elihui sermones sunt cogitationes perfectae, non irritationes*, i. e. eo spectant, ut Jobum consolentur, non exasperent; *ac si diceret: ne metuas propter castigationes, si justus fueris, nam in bonum tibi illae sunt.* Pro יְבַלּוּ *inveterabunt*, in multis codd. legitur יְכַלּוּ *transigent*, absolvent, eadem in eadem phrasi lectionis diversitas supra 21, 13. ad quem loc. not. cf.

12. וְאִם־לֹא יִשְׁמְעוּ *Si vero non audiverint*, in peccato indurentur, tunc בְּשֶׁלַח יַעַבְרוּ *in gladium transibunt*, i. e. misere peribunt, et absque ulla salutis spe, ut qui gladio percussus est, posita specie pro genere. שֶׁלַח (ut supra 33, 18. in מַעֲבַר בַּשֶּׁלַח) est proprie *telum, jaculum*, a *mittendo*. Alii: *per gladium transibunt*, i. e. gladio absumentur, peribunt, ut supra 34, 20. יִגְּעֲשׁוּ עָם וַיַּעַבְרוּ *commovebuntur populi et transibunt*, i. e. peribunt. Sed malo: *in gladium transibunt*, quasi dicat, incident in gladium et arma. וְיִגְוְעוּ בְּבִלְתִּי דָעַת *Et exspirabunt sine scientia*, i. e. eo quod scire noluerint, et considerare ac intelligere Dei monita. Vel: in stultitia sua morientur, dum Dei monita respuentes stulti esse pergunt.

13. 14. 15. „Quod vero intercedit discrimen eorum, qui fucatam pietatem prae se ferunt, ab iis, qui sinceram animo gerunt, elucet ex afflictionum fructu et exitu. Hypocritae enim dum castigantur, adeo non clamant ad Deum supplices (cf. Ps. 107, 19.), ut ejus in se iram incendant magis magisque, dum praefracto animo emendationem respuunt. Unde fit, ut violenta et immatura morte pereant, eodemque cum impuratissimis exitio involvantur. Confer supra 27, 8. Ex adverso pios, utpote disciplinae capaces, postquam malis eruditi fuerint, Deus ex angustiis afflictionis liberat.“ Ita sensum nexumque horum trium Versuum optime expressit Bouillier. חַנְפֵי לֵב *Impuri corde*, animo (vid. supra 34, 30. et not. ad Ps. 35, 16.), qui scilicet sibi justi coram hominibus videntur, quum interim corde impuro sint intrinseçus et corrupto. Tales, inquit, intus mali, יָשִׂימוּ אַף *ponunt*, i. e. apponunt, adjiciunt sibi *iram*, θησαυρίζουσιν ἑαυτοῖς θυμόν, Rom. 2, 5. *Iram* intellige *Dei*, quem irritant. Alii *ponunt iram* sic explicant: incandescunt in Deum. Ita Jarchi; *quum castigationes super ipsos veniunt, plasphemias et convicia evomunt.* Sed praefero priorem sensum: Dei iram provocant, et in se magis

Digitized by Google

excitant. לֹא יְשַׁוְּעוּ כִּי אֲסָרָם *Non clamant* ad Deum, *quum eos vinxit*, quum eos affligit et in vincula conjicit, non ad eum vociferantur opem implorantes, et ad ejus misericordiam confugientes; sed obmurmurant potius. In quo Jobum notare videtur, tanquam minus sincere pium, qui suam justitiam tanto studio defenderet, peccata sua non agnoscens. Tenendum tamen, Elihuum omnibus modis conari Jobum in viam revocare, dum varias causas affert, propter quas Deus immittit afflictiones: nunc justis, ut emendentur; quod si justus es, Jobe, ut inquis, persuadeas tibi in bonum tuum te a Deo affligi, ut ad ipsum redeas peccatis tuis agnitis: nunc vero impiis immittuntur frustra, quia non agnoscunt per illas suam culpam, imo vero cum se justos putent, iram Dei sibi cumulant, et magis eum magisque irritant. Vide, Jobe, ne tu ex horum numero sis. Quod ante de piorum afflictionibus dixerat, in consolationem Jobi erat; sed nunc etiam lenitati asperitatem commiscet, si forte Jobus culpam suam nolit agnoscere.

14. תָּמֹת בַּנֹּעַר נַפְשָׁם *Morietur in pueritia*, in juventute, *anima eorum*, i. e. morientur ipsi adhuc juvenes; morte praematura exstinguentur. נֶפֶשׁ i. q. חַיָּה in altero hemistichio, ut et supra 30, 22. 28. haec duo nomina sibi invicem respondent. נֹעַר sunt qui h. l. *excussionem* notare existiment, quam notionem verbum נָעַר utique obtinet, unde jam Hieronymus: *morietur in tempestate anima eorum*. Schultens: *horum anima cum excussione morietur*. Sed נֹעַר potius est *juventus*, ut supra 33, 25. Prov. 29, 21. Cf. not. ad Ps. 88, 16. Addit crescente oratione, habita ratione impuritatis eorum, qua turpissimis quibusque flagitiis sese contaminant, in altero hemistichio: וְחַיָּתָם בַּקְּדֵשִׁים *et vita eorum* scil. תָּמֹת *perit*, *inter sacerrimos*, i. e. ut Hieronymus vertit, *inter effoeminatos*, s. cinaedos, dum per aetatem et calorem juvenilem proni sunt ad scortandum, et nefanda libidine corrupti. קְדֵשִׁים sunt *scorta mascula veneri nefandae sacrati in honorem numinis alicujus*, ut multis ostendit SPENCERUS de *Legg. rituall. Hebraeor.* L. II. Cap. 22. (p. 405. sqq. ed. Hagae Comit. 1686. 4.). Vid. Deut. 23, 18. 1 Reg. 14, 24. 15, 12. 22, 47. Chaldaeus h. l. vertit הֵיךְ מָרֵי זְנוּ *sicut scortatores*, quasi כַּקְּדֵשִׁים legisset pro בַּקְּדֵשִׁים. Dum adhuc inter juvenes cinaedos censentur, et per aetatem ad scortationem pronos, immatura adhuc aetate e medio tollentur justo Dei supplicio.

15. Contra יְחַלֵּץ עָנִי בְּעָנְיוֹ *eripit afflictum in afflictione sua*, dum in media miseria versatur, nec sinet eum perire. Nec male Schultens: *humilem in humiliatione*, h. e. qui, dum a Deo affligitur, vere est adflictus, contritus, omnem priscam superbiam deponens, nec Deo obmurmurans. וְיֶגֶל בַּלַּחַץ אָזְנָם *Revelatque in molestia*, s. arctatione *aurem eorum*, i. e. eos admonet, ut ad se redeant. Potest ב in בַּלַּחַץ modum significare, *per afflictionem*, afflictionis beneficio, quam eis immittit, sui officii eos com-

Digitized by Google

monefacit. Observa elegantem Hebraeis paronomasiam in יַסִּיתְךָ et בַּלַּחַץ.

16. Thesin revocat ad hypothesin, hoc est, generaliter dicta de piorum afflictionibus, quod eas Deus mittat in bonum et salutem ipsorum, accommodat ad Jobum. Similiter, inquit, tecum aget, o Jobe, וְאַף הֲסִיתְךָ מִפִּי־צָר *Et etiam te removebit ex ore angustiae*, i. e. ab angustia, metaphora a rictu ferae ducta, quae eum sit devoratura. Verbum הֲסִית, in Kal non usurpatum in V. T., sermoni hebraeo privum, quare ejus notio e contextu locorum, quibus occurrit, est finienda. Videtur in genere *trahere*, *incitare* ad aliquid notare, fere in malum, ut supra 2, 3. Deut. 13, 7. Jer. 38, 22. 43, 3. al.; et quia qui aliquem incitat, incitat ab una sententia aut re et propellit ac removet ad alteram; ideo verbum hoc pro *removere* sumitur, ut hic a Jarchio exponitur הדיחך *propellet te*, et Hieronymus sensum exprimens, non incommode vertit: *igitur salvabit te*. Ita et alias hoc verbum vides sumi. Locus apertus est 2 Paral. 18, 31., ubi de Josaphato cum in pugna adversum Syros ad Ramoth Galaad putaretur esse Achabus, Rex Israelis, qui habitum mutarat, ne agnoscetur, dicitur, וַיְסִיתֵם אֱלֹהִים מִמֶּנּוּ *et propulit*, removit, avertit, *eos Deus ab illo*, in animum eorum indidit, et eos excitavit, ut ab illo recederent. Verba praeterita in hoc Versu in Futuro sunt vertenda, ut saepius in promissionibus, vid. N. G. SCHROEDERI *Institt. L. H.* Syntax. Reg. 46. d. et STORRII *Observatt.* p. 163. Alii potentialiter h. l. vertunt: ac te quoque, sicut solet cum aliis, qui affliguntur, si resipiscant, agere, asseruisset, etc. Ante רַחַב subaudiendum אֶל, *ex angustia* removebit te *ad latitudinem*, לְאֶרֶץ מוּצַק תַּחְתֶּיהָ *sub qua non erit arctatio*, in spatium latissimum, ubi nulla angustia laborabis. Qui rebus adversis et calamitate premuntur, velut in arcto sunt, qui vero inde liberantur, velut in latum et liberum spatium educuntur. וְנַחַת שֻׁלְחָנְךָ מָלֵא דָשֶׁן *Et demissio mensae tuae plena erit pinguedine*, cibis pinguibus et delicatis replebitur, i. e. in felicitate et magna rerum abundantia versaberis. Cf. Ps. 23, 5., ubi eadem imago. נַחַת a verbo נָחַת *descendere* (Ps. 18, 35. 38, 3.) *demissionem*, *descensum* (Jes. 30, 30.), notat, et hoc speciatim loco, quicquid ciborum mensae imponitur, in eam quasi e coelo divinitus demittitur. Alii *requiem*, *positionem* vertunt, a נוּחַ *quievit*, vel יָנַח *posuit*, quae radices sibi notione vicinae sunt, quod enim ponitur in loco aliquo, ponitur ut requiescat. Et a יָנַח potest נַחַת descendere, ut דַּעַת *scientia* a יָדַע *novit*; שַׁחַת *fossa* a יָשַׁח *depressus fuit*. Sed illud praeferendum, quia alioqui discrepat genus substantivi et sequentis adjectivi. — Id igitur, inquit Elihu, tibi, Jobe, eveniet, modo piorum in adversis docilem, et Dei audientem animum aemuleris. Hic iterum indicium elucet mox instauran(lae Jobi prosperitatis.

Digitized by Google

17. Manifestum est, particulam אִם ex Vs. 11. et 12., ubi contraria exempla ex adverso proponuntur, resumendam hoc pacto: (אִם) דִּין־רָשָׁע מָלֵאתָ *At si judicium impii impleas*, i. e. si improbi sub flagellis coelestibus obdurationem et pertinaciam imitari malis, דִּין וּמִשְׁפָּט יִתְמְכוּ tum *causa et judicium se* invicem *sustentabunt*, i. e. sibi mutato cohaerebunt; i. e. tunc, cum fuerit causa tua pessima, justissimo quoque judicio plecteris, quum sententia judicis causae meritum sequi debeat, eique respondere. דִּין h. l. est judicii objectum, *causa*, quae secundum legem est cognoscenda et dijudicanda, ut Deut. 17, 8. Ps. 9, 5. 140, 13.

18. כִּי־חֵמָה *Nam ira*, scil. Dei tibi profecto timenda est, si pergas ut coepisti, vide igitur פֶּן־יְסִיתְךָ בְשֶׁפַק ne *propellat*, removeat, e medio tollat te illa (ira) *percussione*, plaga te percutiente et perdente, qua notione verbum שֶׁפַק supra 34, 26. aderat. De verbo חֵסִית cf. not. ad Vs. 16. וְרֹב־כֹּפֶר אַל־יַשֵּׁךְ *Et multitudo pretii*, lytri, *non te declinare faciet*, s. a percussione s. exitio; unde nullo pretio te redimere possis. רֹב־כֹּפֶר h. l. esse magnam auri et argenti vim, qua se quis ab instante morte redimat (cf. Ps. 49, 8.), evincit Versus proximus.

19. הֲיַעֲרֹךְ שׁוּעֲךָ *Num aestimabit opes tuas?* Deus scilicet, si te illis ab ira ejus redimere volueris. Minime; nullis opibus ejus iram avertes aut placabis, poenam in te decretam effugies. Cf. Prov. 10, 2. שׁוּעַ h. l. non *vociferationem* denotat, ut supra 30, 24.; sed *opulentiam*, collato שׁוּעַ *opulentus*, supra 34, 19., et arab. سعة *amplitudo*, *commoditas*, *copia* et *potestas*, a radice hebraeae vicina וסע *amplus fuit*, *opibus polluit*. Ea notione ut nomen שׁוּעַ h. l. sumamus, suadet et contextus, et illi respondens כָּל מַאֲמַצֵי־כֹחַ *omnes vires roboris*, i. e. quicquid robore et potentia polles, quod et divitiae, visque magna opum, ut nomine חַיִל, intelligi possunt: quae series itidem poscit, ut בְּצוּר *auri* s. *argenti* significatu sumamus, ut בָּצָר s. בְּצַר supra 22, 24., ubi not. vid. Ante haec verba autem subaudiendum est e praecedenti colo לֹא יַעֲרֹךְ, *non* profecto *aurum* aut divitiarum abundantiam, quantumvis maximam, hili faciet. Non inelegans Boullierii conjectura, pro לֹא legendum esse לוֹ *ipsi*, scribendi varietate haud raro in V. T. obvia, hoc sensu: *ipsi est aurum, et strenuitates roboris*. Ut apud Haggaeum 2, 8. *Argentum est mihi, et aurum est mihi, inquit Dominus*. Sensus tunc esset: frustra te Deum speres, persoluto pretio, placaturum et deliniturum, utpote qui omnes, quotquot in sinu naturae delitescunt, thesauros possidet.

20. אַל־תִּשְׁאַף הַלַּיְלָה לַעֲלוֹת עַמִּים תַּחְתָּם *Ne anheles*, i. e. cupias, desideres (ut supra 7, 2.) *noctem*, *quum abeunt*, pereunt, *gentes sub se*, i. e. ad inferiora subsidunt; quasi in terrae sinum absorpti, ut infra 40, 12. (al. 7.). Sive, subaudito מִן, *e loco eorum*, subito, ut nullum eorum vestigium relictum

Digitized by Google

sit. עֲלוֹת h. l. *disparendi*, *absumendi* notione, ut supra 5, 26. Ps. 102, 25. capiendum. Subaudiendum ante לַעֲלוֹת relativum אֲשֶׁר, *quae* est *ad absumendum*, i. e. qua absumuntur, pereunt. Eadem constructio Jes. 21, 1. *Ut tempestas australis* לַחֲלֹף *quae evertit*, s. *evertere solet*. *Noctu*, *qua populi evanescunt*, vix dubitari potest significari *noctem mortis*, cui omnes populi obnoxii sunt, et cui cedere coguntur, *interitum*, *mortem*, quam Jobus desperabundus sibi plus semel optarat, a qua impatientia his verbis illum dehortatur Elihu. A. Schultens sensum sic expressit: „*ne anheles illam noctem* naturae, *qua populos e sedibus suis tolli*, et everti, necesse; i. e. ne adeo anhelis votis mortem expetas, et judicium, quod omnibus statutum. Noli impatientia, et ira, vel mortem tibi, vel naturae universae finem imprecari.“

21. הִשָּׁמֶר אַל־תֵּפֶן אֶל־אָוֶן *Cave tibi, ne respicias*, convertas te (5, 1. 24, 18.) *ad iniquitatem*, qua vel intelligendus impatientior affectus mortem anhelantis, tanquam aerumnarum finem, Versu superiori notatus; vel immodici illi questus, qui a criminationibus justitiae divinae proxime aberant. כִּי עַל־זֶה בָּחַרְתָּ מֵעֹנִי *Nam hoc*, hanc iniquitatem, *elegisti prae afflictione*, iniquitatem afflictioni praeoptandam duxisti, maluisti tete hac iniquitate implicare, ut Dei judicia accusares, et de illis conquereris acerbius, quam aequo et placido animo ea sustinere, et tanquam de manu Dei immissam ferre et suscipere. Alii: *prae afflictione*, s. propter afflictionem, afflictionis gravitate, q. d. te hortor, ne animum ad talem impietatem convertas, siquidem video te huc prolapsum prae vi afflictionis. Verbum בָּחַר alias cum ב construitur, ut Jes. 7, 15. Hagg. 2, 23. Ps. 78, 70., cum עַל vero non nisi h. l. Quod movit quosdam, ut עַל־זֶה pro לְמַעַן positum censerent, *huc te convertere placitum tibi*. Alii: *cave tradas temet iniquitati*, ita *ut eligeres* viam *versus illam propter afflictionem*, i. e. nam afflictio efficere posset, ut has partes eligeres.

22. הֵן־אֵל יַשְׂגִּיב בְּכֹחוֹ *En, Deus excelsus est suo robore*, omnia robore et potentia superat. Alii, quia verbum in forma Hiphil positum est, transitive vertunt: *exaltat suo robore* scil. hominem, alii: afflictos admiranda sua potentia servans ab interitu, qui illis imminebat. Sed praestat intransitive sumi, q. d. sublimem se praestat, attollit sese robore suo. Rationem, quae movere Jobum debeat, ut ab istis peccatis desistat, denuo petit Elihu a sublimi majestate, perfectione, potentia et sapientia Dei, מִי כָמֹהוּ מוֹרֶה *Quis ei similis doctor?* nemo exstat tam sapiens, qui quomodo agere debeat, eum edocere possit. Unde in sapientissima sua directione est acquiescendum. Aben-Esra confert Ps. 32, 8. Alii capiunt מוֹרֶה h. l. significatione Aramaei מָרֵא, s. מַר, מָרָא, *dominus*. Ita Alexandrinus, qui δυνάστης vertit.

Digitized by Google

23. מִי־פָקַד עָלָיו דַּרְכּוֹ *Quis ei injunxit viam suam?* i. e. quis praescripsit ei, quae agere debeat, et rationem docuit, qua mundus formandus aut regendus sit, et singula sint agenda, ut tu nunc ei videris velle rationem praescribere quum affligeris, quod te praeter meritum ab eo plecti dicas. Alii: *quis visitaverit super ipsum viam suam?* i. e. quis examinabit, aut ad rationem reddendam eum vocabit? Ita Hieronymus: *quis potest scrutari vias ejus?* Sed פָּקַד sequente עַל notare *injungere*, *jubere* alicui quicquam, vidimus supra 34, 14. וּמִי־אָמַר פָּעַלְתָּ עַוְלָה *Et quis dicat* ei: *fecisti iniquitatem?* inique egisti hoc, haud ita tibi agendum erat. Neminem habet se superiorem.

24. זְכֹר כִּי־תַשְׁגִּיא פָּעֳלוֹ *Memento* ergo, o Jobe, *ut magnifices*, extollas, *opus ejus*, non accuses, ut nunc facis. Aben-Esra hunc sensum affert: quantumcunque in memoriam reduces et cogitabis ejus opera, majorem in illis magnitudinem reperies; quo magis considerabis, eo majorem subinde occasionem nancisceris ea extollendi. Tum זָכַר exponendum esset: *in memoriam revoca*, et mente complectere quantumlibet ejus opus. Prior sensus simplicior est, et cum sequentibus et praecedentibus magis cohaerens, quia Jobus de Dei judiciis querens, ejus opera imminuere videbatur. Male Hieronymus vertit: *memento quod ignores opus ejus*, quasi pro תַּשְׁגִּיא legisset תַּשְׁגֶּא, a שָׁגָא, quod idem significet, quod שָׁגַג et שָׁגָה, *erravit*, unde שְׁגִיאוֹת *errores*. Sed nostrum verbum est Syriacum סְגִי, סְגָא *multiplicatus*, *multus fuit*, in Aphel *auxit*, *magnificavit*. אֲשֶׁר שֹׁרְרוּ אֲנָשִׁים *Quod* (opus) s. quae opera *intuentur homines*, quae hominibus contemplanda et admiranda proposita sunt. Alii: *quod cantant*, laudibus extollunt, *homines;* vel in Praeterito: *quod cecinerunt* omni tempore *homines*, canticis et laudibus celebrarunt. Sane verbum שׁוּר in Piel *canendi* significatu usurpatur Zeph. 2, 14., unde מְשֹׁרֵר *cantor*. *Canendi* significatum et h. l. expressit Hieronymus: *de quo cecinerunt viri.* Nec non Chaldaeus: *quod laudarunt viri justi.* Sed simplicius est, ut שֹׁרְרוּ exponatur *intuentur*, ut Kal, supra 33, 14. 27. 35, 13. 14. Nam et proximo versiculo eandem sententiam repetens verbis synonymis utetur, חָזוּ et יַבִּיט. Alexandrinus alienius nostrum verbum *dominandi* significatione accepit, a שַׂר *princeps*, vertit enim: *μνήσθητι ὅτι μεγάλα τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐστὶν, ὧν ἦρξαν ἄνδρες (quibus viri praefuerunt).*

25. Patent omnibus Dei opera, omnium oculis sunt exposita. כָּל־אָדָם חָזוּ־בוֹ *Omnes homines intuentur illud*, פָּעֳלוֹ *opus*, opera *ejus*, Vs. 24. Verb. חָזָה per ב cum Nomine constructum denotat oculos in rem aliquam cum voluptate defigere, adspectu ejus delectari, v. c. Ps. 27, 4. Mich. 4, 11. יַבִּיט *Intuetur* scil. s. בּוֹ *illud* (פָּעֳלוֹ *opus*), s. illa opera, מֵרָחוֹק *e longinquo*, i. e. in coelo; nam in sequentibus inde a Vs. 27. enarrat Dei opera, quae in aere et regionibus coelestibus fiunt. Alii

Digitized by Google

e longinquo intelligunt: ex parte illa tantum cognoscimus, et ex posterioribus, ex effectis. Sed malo prius, ut significet, tam eximia esse Dei opera, ut quamvis a nobis longo intervallo distent, tamen vel eminus dissitis se ingerant, tantamque majestatem venerari cogant.

26. הֵן־אֵל שַׁגִּיא *En, Deus multus*, amplus, est, scil. כֹּחַ *robore* et potentia; וְלֹא נֵדָע *nec scimus*, cognoscimus ejus amplitudinem et potentiam, assequi eam non valemus. Etsi omnes homines ejus opera cernant (Vs. 25.), magnitudinem ejus tamen non comprehendere possumus; infinitis partibus nostrum captum superat. מִסְפַּר שָׁנָיו וְלֹא־חֵקֶר *Numerum annorum ejus* quod attinet, *non* est *investigatio* scil. לוֹ *ei*, i. e. pervestigari nequit ejus annorum numerus, aeternus est. Quod eo fine adfert, ut indicet, nullam esse Dei et hominis proportionem, et quum Deus aeternus et aeternae sit potentiae, quae nullis temporibus sit finienda, homo vero, quantaevis sit potentiae, non tamen infinitae aut aeternae, sed brevissimae, et quae brevi sit peritura, non esse, quod homo Dei operum rationem curiosius inquirat, aut de eo queratur, si quid ille sibi incognitum, aut quod non placeat, faciat. Huc spectant, quae de Dei potentia et magnitudine hic dicuntur, ut ex ea illius justitiam simul colligamus, et nobis persuasissimam habeamus. Nam ostensa magnitudine tolletur omnis causa cum eo expostulandi aut contendendi, quasi aliquid injuste faciat. Sunt, qui וְלֹא נֵדָע jungant cum מִסְפַּר שָׁנָיו, *nec scimus numerum annorum ejus, nec est* ei *pervestigatio*, etsi נֵדָע שׁ Athnach sit subscriptum, quum in libris metricis (Psalmis, Proverbiis et Jobo) Athnach non semper distinguat. Vid. e. c. supra Vs. 7. Sed praeferimus sensum prius a nobis indicatum, quem et bene Hieronymus expressit: *ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram; numerus annorum ejus inaestimabilis.*

27. Profert Dei opera, quae in sublimi fiunt, ut pluvias, tonitrua, fulgura, nubes, nives, et alia meteora, quae in aëre gignuntur, ut infinitam Dei potentiam et majestatem arguat, quam cogamur venerabundi adorare. כִּי יִגְרַע נִטְפֵי־מָיִם *Quum subtrahit* s. attrahit *guttas aquae* scil. ex regionibus inferioribus in sublime, יָזְקוּ מָטָר לְאָדוֹ *liquefaciunt*, et liquefactam effundunt aquae illi in sublimi resolutae, *pluviam pro vapore ejus*, i. e. pro vaporis s. nubis, ab eo (Deo) coalitae et constipatae copia. גָּרַע, proprie *absorbere, sorbendo haurire* notare, arguit harmonicum arabicum Verbum, unde prono fluxu *attrahendi* significatio manat; cf. supra 15, 8. not. Forma Piel hoc solo loco occurrit. אָד *vaporem* s. *nubem* notare, vix dubitare nos sinit contextus h. l. et Gen. 2, 6., ad quem loc. not. cf. Manifestum est, describi pluviae generationem, ex veterum physicorum placitis. Aquae marinae extenuatae calore radiorum solis in vapores resolvuntur, qui solis calore ita resoluti et rarefacti in aeream substantiam,

Digitized by Google

in mediam aeris regionem tolluntur, qui vapores postea condensati in aquam colliquant et fundunt pluviam in terram ad nos. Sunt, qui haec verba, quum גָּרַע et *detrahere*, *imminuere*, *demere* significet (vid. e. c. Exod. 5, 8. 19. Num. 36, 3. 4.), sic intelligant, Deum nunc aquarum stillas auferre, cum aestum summum aut siccitatem invehit, nunc vero pluvias per nubes excolatas immittere largius. Ita Hieronymus: *qui aufert stillas pluviae, et effundit imbres instar gurgitum.* Non multum diversus R. Levi: quum, vel, eo tempore, quo Deus aquarum stillas prohibet, cum est summus aestus aut siccitas, repente efficit, ut generatis in aere nubibus, pluvia decidat, et terra praeter spem rigetur.

29. אַף אִם־יָבִין מִפְרְשֵׂי־עָב *Insuper num intelligat* scil. homo, quisquam, *expansiones nubis?* Num potest aliquis intelligere, quomodo nubes expandat, et suspendat aqua foetas? Ad מִפְרְשֵׂי־עָב cf. Ps. 105, 39. — Aut quis intelligat תְּשְׁאוֹת סֻכָּתוֹ *strepitus tentorii ejus?* i. e. nubium, quae Deo tentorii vice videntur, vid. Ps. 18, 12. 104, 3. 147, 8. Quis intelligat, quomodo proferantur terribiles tonitrus, ex nubibus auditi? תְּשְׁאוֹת sunt *fragores*, *strepitus*, a שָׁאָה, arab. شَاءَ *rupit cum fragore*, ut infra 39, 7. Jes. 22, 2. Zach. 4, 7.

30. הֵן־פָּרַשׂ עָלָיו אוֹרוֹ *En! extendit*, dispergit, *circa se lumen suum*, quo aliqui fulgura intelligunt; sed videtur eo referendum, quod Deus in *luce habitare*, eoque *amictus* alias dicitur, vid. Ps. 104, 2. Oppositum est in altero hemistichio וְשָׁרְשֵׁי הַיָּם כִּסָּה *et radices maris*, fundum, ima ejus, *obtegit* scil. caligine. Significatur potestas in summa et ima. Qui in coelis, circa thronum suum lucem dispergit, idem et fundum maris caligine obvelat. Lucis et tenebrarum est dominus; utrumque ab eo proficiscitur. עָלָיו plerique *super ipsam* scil. nubem (עָב Vs. 29., quod nomen non tantum femininum est, ut 1 Reg. 18, 44., sed etiam masculinum, vid. Jes. 19, 1. Cohel. 11, 3.) vertunt. Sed עַל saepe et *circa*, *circum* denotat, ut 1 Sam. 25, 16. Ez. 13, 5., supra 7, 12. Pronomina autem tertiae personae *reciprocam* quoque significationem habent, ut אֶל־עַבְדּוֹ *famulo suo*, Gen. 24, 2. לָהֶם *sibi* Gen. 3, 6.; אוֹתָם (qui pascunt) *se ipsos*, Ez. 34, 2. 8. 10. Hieronymus nostrum Versum ita vertit: *et fulgurare lumine suo desuper* (sc. *si voluerit*, ex Vs. 29.), *cardines quoque maris operiet*, iis litora extrema intellexisse videtur, quae fulguris splendore collustrentur. Chaldaeus: *ecce expandit super eam pluviam.* Quod sequuti nonnulli Hebraeorum אוֹר h. l. *nubem pluviam* explicarunt: cf. not. infra ad 37, 11. LXX pro אורו legisse אדו, arguit eorum interpretatio: ἰδοὺ ἐκτενεῖ ἐπ' αὐτὴν ἠδώ, quod postremum vocabulum a Graecis non intellectum de *arcu coelesti*, ob verbum ἐκτενεῖ sumserunt. Unde haec glossa Hesychiana: ἠδώ, ἶρις, ἧγουν τόξον.

Digitized by Google

31. כִּי בָם *Nam per illa*, per nubes, aquas et pluvias, s. per serenitatem et nubila, יָדִין עַמִּים *judicat*, punit, plectit *populos*, quum nunc pluvias abundantiores mittit, quae omnia perdant et convertant, nunc eas prohibet, itidem ob hominum peccata sterilitatem immittens. יִתֵּן־אֹכֶל לְמַכְבִּיר *Dat* scilicet per pluvias *cibum*, annonam, *ad copiam*, i. e. abunde, copiose, ut לָרֹב supra 26, 3. מַכְבִּיר nomen, idem significans quod פַּזְרִיה supra 31, 24.

32. 33. עַל־כַּפַּיִם כִּסָּה־אוֹר *Super manus* suas *tegit* Deus *lucem*, i. e. manus velat, vestit, luce i. e. fulmine. Sistitur Deus utramque manum amictus fulminatore lumine, cui apte subjungitur in altero hemistichio, וַיְצַו עָלֶיהָ בְּמַפְגִּיעַ *et praecepit ei*, fulmini, *in occurrentem*, i. e. quem locum tangere debeat, amandat Deus fulmen in eum, quem feriri vult, locum. Verbum צִוָּה cum עַל personae constructum esse *injungere ei* aliquid exsequendum, notum, vid. e. c. Gen. 28, 6. Nah. 1, 14. Esth. 4, 17. 2 Paral. 19, 9. In עָלֶיהָ suffixum femininum referendum est ad cognatum nomini אוֹר eique synonymum אוּרִים, ut Genes. 2, 15. suffixum femineum in לְעָבְדָהּ non ad proxime praecedens גַּן, sed ad synonymum גִּנָּה pertinet; cf. Glassii *Philol. S.* p. 163. edit. Dath. Versu 33. describuntur signa adventantis imbris, de quo antea, in terris australibus fere cum tempestate et tonitrubus conjuncti: יַגִּיד עָלָיו רֵעוֹ *annunciat de eo*, imbre, *fragor ejus*, sc. nubis imbriferae, tonitru pluviam proximam indicat. רֵעַ capimus hic eodem, quo Exod. 32, 17. Mich. 4, 9. occurrit; *strepitus*, *fragoris* significatu. Hemistichium alterum, repetito ante ipsum verbo יַגִּיד, sic reddendum: annunciat *pecus etiam de adscendente* sc. nube, vel pluvia, quasi dicat: pecus non tantum pluviam proximam, sed et antequam nubes in sublime ascenderint, adscensuras praesagit, et futuras pluvias. Sane in mutis animantibus multa signa pluviarum et tempestatum cognoscuntur, de quibus Virgilius in *Georgg.* 1, 373. sqq. — — *Numquam imprudentibus imber Obfuit. Aut illum surgentem vallibus imis Aëriae fugere grues; aut bucula coelum Suspiciens patulis captavit naribus auras; Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo, Et veterem in limo ranae cecinere querelam.* Vid. et Plinii *Hist. Nat.* L. XVIII. sect. 88., et hic Aben-Esra notat, ad dextram cubantes oves pluviam portendere. Plures alias veterum et recentiorum perquam inter se discrepantes hujus loci interpretationes recensuimus et examinavimus in Scholiis uberioribus. Hic interpretationis tantum eorum meminisse sufficiat, qui utrumque hunc Versum de *eclipsibus solis et lunae*, earumque influxu et effectu naturali in homines et bruta intelligunt; ut כַּפַּיִם h. l. rem denotet (scil. corpus lunae), quae *vix duas palmas* secundum speciem aut adspectum oculorum exaequet; soli autem in eclipsi solari ita objiciatur, ac si quis manum eo obduceret. Verba עַל־כַּפַּיִם כִּסָּה־אוֹר sic interpretantur: *per manus tegit lucem*

Digitized by Google

solis, i. e. Deus deficere facit lucem solis obducto ei lunae corpore, non secus, ac si suis manibus lucem ejus tegeret. Alterum Versus 32. hemistichium וַיְצַו עָלֶיהָ בְּמַפְגִּיעַ sic reddunt: *et praecipit de hoc* (neutraliter sumto suffixo), ut scilicet eclipses fiant, *per intervenientem*, lunam vel terram. Versus 33. interpretationem in hunc modum instituunt: יַגִּיד עָלָיו רֵעוֹ *adnunciat* Deus *de se cogitationem suam*, consilium מִקְנֶה אַף עַל עוֹלָה *de pecude* (repetito עַל ex praecedente hemistichio), *etiam de coëunte* pecude (cf. דְּעֵלִים Gen. 31, 10. 12.), q. d. et *indicat* Deus *de se* per eclipses solares et lunares, aliaque signa in sideribus *cogitationem suam*, quam habet in futurum, sicut super alios hominum proventus, inprimis terra nascentia, sic etiam *super pecudum foecunditatem* et proventus. Nimis quaesita et artificiosa interpretatio. Addo eam, quam Reimarus dedit, et quam nos ipsi olim recepimus, hujus loci interpretationem, quae talis est: *ab utraque manu*, Oriente et Occidente, *lucem solis obtegit* nubibus, *et per interveniens* quid *interdicit illi*, ne luceat. Sic autem *indicat super illo*, homine, *consilium suum* super *pecude*, *etiam* super *omni crescente*. עַל־כַּפַּיִם sumit idem valere quod עַל יָדַיִם, *ab utraque manu*, *latere* (2 Reg. 11, 16. Ps. 104, 25.), oriente et occidente. כַּפַּיִם ut יָדַיִם *manus*, de *oris* et *plagis* usurpari poterat. עַל regionem indicat, ut in עַל־שְׂמֹאל, עַל־יָמִין *ad dextram*, *ad sinistram*, Gen. 24, 49. — וַיְצַו עָלֶיהָ בְּמַפְגִּיעַ *Injungit ei* scil. luci (suffixum femininum referendum ad synonymum אוֹרָה, vid. supra) *per interveniens* quid, scil. ne luceat. Verbum צִוָּה sequ. עַל haud raro *injungere alicui*, ne faciat hoc illudve, i. e. interdicere, notat, vid. Genes. 2, 16. 28, 6. מַפְגִּיעַ a verbo פָּגַע *occurrere*, *intercedere*, *intervenire*, nubem caliginosam solem inter et terram intercedentem, lucemque obvelantem h. l. indicare videtur. Eadem sententia supra 9, 7. *Imperat soli, ne exoriatur, stellasque obsignat*, cf. ibi not. Versum 32., ad tempestatis descriptionem, initio Cap. seq., pertinere existimans, ita exponit Reimarus: יַגִּיד עָלָיו רֵעוֹ *annunciat* tempestate et tonitrubus, de quibus proxime Cap. 37, 1. sqq., *super eo*, sc. homine (Vs. 28.) *cogitationem suam* (רַע ex usu Chaldaico, ut Ps. 139, 2. 17.), וְעַל repetito ante מִקְנֶה, *et super pecude*, אַף עַל־עוֹלָה *etiam super eo quod adscendit* scil. e terra, ut verbum עָלָה saepe de plantis, quae e terra prodeunt, dicitur, vid. Genes. 40, 10. Deut. 29, 22. Jes. 5, 6. Hos. 10, 8. Ita *homine*, *pecude*, *plantisque*, omnis rerum universitas significetur, cui summum numen per tempestates et tonitrua, quae in illam decrevit, annunciat. Sed Participium עוֹלָה ut Substantivum absolute de plantis usurpari dubium.

Cap. 37, 1. אַף *Profecto*, ut supra 34, 12. לְזֹאת *Ob hoc* (לְ significat בַּעֲבוּר *propter*, ut Gen. 2, 24.), scil. tonitru, de quo Capitis praecedentis fine loqui coeperat. יִתַּר vertunt *subsiluit*,

Digitized by Google

saltitat scil. cor meum trepidans, quem significatum verbum נָתַר manifesto obtinet Levit. 11, 21., ubi de locusta saliente dicitur, etsi in dialectis cognatis illam notionem non habeat. Aramaeis נְתַר est *defluxere*, *decidere* (cf. not. supra ad 6, 9.), unde et h. l. non incommode verti possit: *decidit e loco suo.* Hieronymus *emotum est* vertit. Alexandrinus: ἐταράχθη.

2. „Inter verba Elihui, dum haec loqueretur, tonitru exauditum. Ad cujus caecum murmur, mox in fragorem horrendum et fulgur erupturum, circumstantes jubet contremiscere. Scilicet jamjam adest Deus e coelo, longam litem dirempturus, et tremendo majestatis apparatu obloquentes consternaturus. Vide Cap. sequens. Cujus ex decoro praenuncius fit Elihu, hujus Capitis tota oratione, praesertim Vs. 22. En machinam tali scena et Dramate dignam! Sic apud Poetas adventus Deorum per tonitrua passim signatur.“ Bouillier. שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ בִּרְגָּז קוֹלוֹ *Audite audiendo*, i. e. attentius audite *fragorem vocis suae*, i. e. tonitru, ut Ps. 29, 3. רַעַם est *fremitus*, coll. arab. رغز in Conjug. 5. *fragorem edidit* tonitru. Praefixum ב objecti est, ut 27, 11. וְהֶגֶה מִפִּיו יֵצֵא *Et murmur* scil. audite, quod (subaudiendum relativum, ut supra 36, 13. et saepius) *ex ore ejus exit.* הֶגֶה h. l. commode *murmur* vertitur, quum verbum הָגָה de mussitatione necromantum usurpetur Jes. 8, 19. (al. 20.), et de leonum rugitu Jes. 31, 4., quo et referendum Jes. 38, 14. 59, 11., ubi de columbis dicitur, nam et columbarum (observante Michaele in *Supplemm.* p. 494.) aliquod altius et sonantius murmur.

3. תַּחַת־כָּל־הַשָּׁמַיִם יְשָׁרֵהוּ *Sub omnibus coelis*, sub toto coelo, *dirigit illud* tonitru, illud murmur, quam late scilicet sese diffundit nubes, ex qua tonitru editur, sub ea tonitru auditur. יְשָׁרֵהוּ est forma Piel verbi יָשַׁר *rectus fuit*, eliso Dagesch, ut in שְׁלָחָה Ezech. 17, 7. 31, 4. — וְאוֹרוֹ עַל־כַּנְפוֹת הָאָרֶץ *Et lucem ejus*, i. e. fulgur, quod cum tonitru conjunctum, *dirigit* (ex superiori hemistichio repetendum) *super alas*, i. e. extremitates, s. ut Hieronymus vertit, *terminos terrae*, ut infra 38, 13. Ezech. 7, 2. Longe lateque conspicitur etiam ad fines terrae, ubi tonitru editur.

4. אַחֲרָיו *Post eam*, scil. lucem fulguris. יִשְׁאַג־קוֹל *Rugit vox* scil. tonitrui, יַרְעֵם בְּקוֹל גְּאוֹנוֹ *Intonat voce elationis suae*, i. e. voce sua elata, magnifica et superba. וְלֹא יְעַקְּבֵם *Nec remoratur ea*, scilicet pluviam, grandinem, et alia, quae tonitru consequi solent; additur enim statim: כִּי־יִשָּׁמַע קוֹלוֹ *quum auditur vox sua*, nam mox ut auditum est tonitru, illa a Deo mitti solent. Alii: *non remoratur ea* scil. tonitrua post fulgetra; mox efficit, ut tonitru fulgur excipiat. Verbi עָקַב (ab עָקֵב *calcaneus*, *postremum* rei alicujus) forma Piel hoc solo loco legitur, nec tamen dubium est *retardandi* significatum obtinere, quem veteres omnes expresserunt, et confirmat harmonicum arabicum Verbum, *pone venit*, unde in 2. et 4. Conjug. *distulit.*

Digitized by Google

5. Ante נִפְלָאוֹת est ב subaudiendum: *tonat Deus voce sua miris* in modis, admirande, cf. Ps. 139, 14. Epiphonema addit, quo admirationem suam exprimit: עֹשֶׂה גְדֹלוֹת וְלֹא נֵדָע *facit Deus magna, nec scimus*, i. e. quorum causas et rationem ignoramus, nobis impervestigabilia. Id quod rursum comprobat, velut novo sumto initio, Dei opera alia admiranda commemorans.

6. כִּי לַשֶּׁלֶג יֹאמַר הֱוֵא־אָרְצָה *Nam nivi dicit: esto in terra* (אָרְצָה pro בָּאָרֶץ), nix ejus mandato in nubibus gignitur, et in terram decidit. הֱוֵא ex Aramaismo pro הֱוִי. Ante גֶּשֶׁם utrumque, quod sequitur, repetendum ל, et post ea הֱוֵא בָאָרֶץ *imbri pluviae et imbri pluviarum roboris ejus* dicit: esto in terra; imbrium et pluviarum auctor est, mittit cum vult. Haec duo, גֶּשֶׁם מָטָר et גֶּשֶׁם מְטַרוֹת Hebraei ita distinguunt, ut prius, *imber pluviae*, sit *pluvia placida* et lenis, et alterum, *imber pluviarum*, sit pluvia vehementior et concitatior, quae etiam vehementior significatur ex eo, quod additur עֻזּוֹ *roboris ejus*. Possit et per גֶּשֶׁם מָטָר, duobus synonymis conjunctis, ut alias טִיחַ הַיְּוֵן *luto coeni* (Ps. 40, 3.), et אַדְמַת־עָפָר *terra pulveris* (Dan. 12, 2.), *copiosior pluvia* intelligi, sed quae tamen cum magno impetu non descendit, at גֶּשֶׁם מְטַרוֹת *imber pluviarum*, pluvia vehementior, quae instar multarum esse videatur. Inverso ordine Zach. 10, 1. מְטַר־גֶּשֶׁם dicitur. Chaldaeus *pluvias aestivas et hibernas* intellexit per hanc repetitionem, vertit enim hunc Versum ita: *quoniam nivi dicit: esto in terra; et pluviae post pluviam in vere ad maturandum fructus, pluviae post pluviam ut germinet herbam in hieme fortitudine sua.* Sed videtur hoc Versu et iis, qui proxime sequuntur, solius hybernae tempestatis descriptio contineri. Sane גֶּשֶׁם de *pluvia hyemali* aperte Cantic. 2, 11. dicitur. Non improbabilis Schultensii sententia, repetito גֶּשֶׁם significari *crescentem usque et usque pluviarum vehementiam.* „Repetitio haec in descriptione *imbrium hybernorum*, vel maxime ad rem facit, atque genuinum temporis brumalis characterem adfert, quippe quod continuis imbribus, iisque vehementioribus, foetum.“

7. Tunc בְּיַד־כָּל־אָדָם יַחְתּוֹם *in manu s. ad manum omnis hominis sigillum ponit* (cf. similem constructionem supra 9, 7. 33, 16.), i. e. manus eorum quasi obsignat et claudit, scil. quo minus propter vehementiam imbris opus rusticum facere possint, sed tanquam manibus in sinum reconditis domi sedeant, sicut Versu proximo de feris dicitur, quod in latebras suas sese abscondere cogantur. לְמַעַן יֵדְעוּ *Ad cognoscendum*, ut cognoscant (ut Exod. 31, 13. Deut. 4, 35.) illum esse, qui haec omnia faciat, in cujus manu sint omnes tempestates, כָּל־אַנְשֵׁי מַעֲשֵׂהוּ *omnes homines operis ejus*, i. e. qui opus ejus sunt, quos ille fecit et creavit, cf. 34, 19. Sic אַנְשֵׁי בֵיתָהּ *viri domus ipsius* domestici sunt, Gen. 39, 14., et אַנְשֵׁי בְרִיתְךָ *viri foederis tui*, tibi foederati Obad. Vs. 7. Alii suffixum ad מַעֲשֵׂהוּ referunt ad אָדָם,

Digitized by Google

quod praecessit, intelliguntque *operarios*, hoc integri Versus sensu: *domi concludit hominem* ne exire possit, *ut cognoscat omnes homines operis sui*, i. e. qui pro eo opus faciunt in agro, ne suos operas invisat et cognoscat, quid in agro faciant. Alii suffixo ad Deum relato, sed *operarum* significatu adscito, *operariis* Dei intelligunt homines a Deo constitutos ad terram colendam, coll. Gen. 2, 15, 3, 17. 23. Ita et Reimarus, qui praeterea in priori hemistichio יַד *manum* pro *labore* sumit, ut 20, 10. 22., et verbum *obsignandi* (חָתַם) pro *confirmare*, ut 33, 16., unde vertit: *laborem* rusticum *omnis hominis obsignat, ut agnoscant omnes operarii ejus;* sensum hunc esse putat: Deum tempore hyberno nivibus et imbribus ad agros laetificandos invectis, agricolationem homini mandatam confirmare et promovere. Alii: designat hominibus per pluvias et nives quid operis quoque tempore agere debeant, quando serere, quando arare, etc., ita ut omnes homines scil. הָאֲדָמָה *terrae*, i. e. agricolae, sciant opus suum. Hoc videtur Hieronymus voluisse, qui sic vertit: *qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.*

8. וַתָּבוֹא חַיָּה בְמוֹ־אָרֶב Tunc *et ingreditur fera in latibulum;* בְּמוֹ pro simplici ב, notante Masora, *novies* occurrit, et in nostro quidem libro jam bis, 16, 4. 5. 19, 16. aderat. „אָרֶב *Insidiae*, hic positae pro locis ad insidiandum aptis, i. e. densis lustris, latibulis, ignotisque cubilibus. Succinit מְעוֹנוֹת, quo designantur *abdita lustra* et cubilia, in quae praedas convectant suis catulis. Dicamus *lares penitissimos* ferarum, Nah. 2, 12. Jer. 21, 31. Ps. 104, 22. Adi Cap. 38, 40. infra.“ A. SCHULTENS.

9. מִן־חֲדָר תָּבוֹא סוּפָה *A penetrali*, i. e. austro, *venit turbo.* Per *penetrale*, חֲדָר, significatur australis mundi plaga, quae supra 9, 9. pleniore effertur nomine חַדְרֵי תֵמָן *penetralia austri*, sic dicta ob stellas antarcticas, nobis, qui cis aequatorem habitamus, ac adeo velut in penitiori conclavi latentes. *Ab austro tempestas* venire dicitur et Jes. 21, 1. Zach. 9, 14. In altero hemistichio nomine מְזָרִים *aquilonem* indicari, arguit quidem illud, quod exinde קָרָה *frigus* provenire dicitur, quid vero illud proprie designet, non liquet. Plerique non diversum putant a מַזָּרוֹת (infra 38, 32.), quod quidem sideris nomen esse vix dubium. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1497. utroque nomine מְזָרִים et מַזָּרוֹת *coronam borealem*, a נָזַר *diadema*, significari conjicit. Cf. F. W. V. LACH *Beytrag zur Orientalischen Sternenkunde* in Eichhornii *Biblioth. Literat. bibl.* Vol. VII. p. 416. 449. Sed est מְזָרִים potius Participium Piel verbi זָרָה *sparsit*, et *sparsoribus* s. *dispergentibus* significantur venti boreales, austro h. l. oppositi, qui nubes pluviales dispellunt et gelu inducunt, ut Boreas, qui Homero *αἰθρηγενέτης* dicitur. Mercerus מְזָרִים *Septentriones* dictos putat, aut sidera ad eam partem, quod ab ea plaga dispergantur nubes.

Digitized by Google

10. מִנִּשְׁמַת־אֵל יִתֵּן־קָרַח *A spiraculo Dei dat* sc. Deus *glaciem*. Alii de *septentrione* intelligunt, qui Vs. 9. etsi nomine plurali notato, quae enim pluralia nomina rem unam denotant, singularem admittunt, ut infra 38, 32. suffixum in בָּעִתּוֹ ad מַזָּרוֹת refertur. Sed magis placet, *Deum* subaudire (coll. simili loquendi forma Gen. 2, 20. Prov. 11, 6.), cui omnia hic tribuuntur; q. d. dat Deus ex spiraculo suo et mittit glaciem. *Dei spiraculum* sunt qui ejus voluntatem intelligant, ut supra 4, 9., sed commodius *ventus* videtur intelligi, quem Deus mittit, unde glacies gignitur. Possit et ad יִתֵּן subaudiri Participium נֹתֵן, ut sit impersonalis dicendi forma: *a spiraculo Dei datur glacies.* וְרֹחַב מַיִם בְּמוּצָק *Et latitudo aquarum* est, s. datur (יִתֵּן נֹתֵן) *in arctum* s. *arctationem*, in arctum constringitur; nam glacie aquae ante diffusae et latiores in angustum arctantur. Alii מְמוּצָק ad יָצַק *fudit* referentes, vertunt *in firmum*, *fusumque*, instar metalli, imagine non inepta ad glaciem duram et nitidam, instar speculi fusi. Recte tamen Schultensius: „Vix dimittere ausim oxymorum venustum, quod oritur ex oppositione inter רֹחַב *latitudinem*, et מוּצָק *arctatum*, unde supra 36, 16. habuimus רֹחַב לֹא מוּצָק *latitudo cui nihil arctati.* Sic *latitudo aquarum* est *in arctato*, valet, campi illi liquidi et aequora late fusa, velut compedibus vinciuntur, et constricta attinentur, quo minus naturam suam sequi, i. e. fluere queant.“ Sunt codices, in quibus מוּצָק sine praefixo בְּ legitur, in aliis בְּמוּצָק cum Caph, exstat.

11. בָּרִי ratione formae est a בָּרָה, quod tamen significatione nonnumquam cum בָּרַר *purgavit*, convenire videtur, ut בָּרִי sit *serenitas*, quae notio huic loco sola est apta, et expressa quoque a Chaldaeo interprete, qui בְּרִירוּתָא vertit, quod nomen quum proprie *puritatem* denotet, de *coeli serenitate* ponitur in Chaldaica paraphrasi Proverb. 16, 15. Ps. 73, 13. Verbum טָרַח autem explicandum ope arabici consoni *removit*, *rejecit;* nam *fatigandi* significatus, Chaldaeis usitatus, unde hebraice טֹרַח *labor*, *onus*, Deut. 1, 12. Jes. 1, 14., hoc loco non quadrat. Prius hemistichium igitur sic reddendum: *etiam*, rursus, *serenitas amovet nubes*, cui sensui optime congruit alterum hemistichium: יָפִיץ עֲנַן אוֹרוֹ *dissipat nubem lucis suae*, i. e. nubem suam lucentem, sive, ut alii volunt: nubem, qua dispulsa, Dei jussu, lux et serenitas inducitur. Facilior tamen sensus existit, si pro עֲנַן, quod est in statu regiminis, legas עָנָן, quod in 15 codd. reperit de Rossi (vid. Ejus *Scholia critt.*), sive עֲנָן (punctatione Chaldaica, quam saepius in hoc libro deprehendimus) in statu absoluto, ut sit: *dispergit*, dispellit, *nubem lumen ejus* scil. Dei, i. e. sol. Certe in statu absoluto cepit illud nomen, praeter Alexandrinum et Hieronymum, et Chaldaeus, qui posterius hemistichium sic vertit: מְבַדַּר עֲנָן מְטַרְיֵהּ *dispergit nubes pluviam suam.* Videlicet nomen אוֹר, quoties Capite superiore et hoc

Digitized by Google

nostro occurrit, Hebraeorum plures *pluviam* notare autumant, et habent sane, quo se tueantur, quum, observante Schultensio, in Lexico Arabico, cui *Camusi* (i. e. *Oceani*) nomen, dicatur, אור de *nubibus* usurpatum *fluxum earum* designare. Ipse autem Schultensius hunc Versum ita explicat: *etiam oneratione onerat*, vel, *fatigat, densam nubem, et facit exundare nubilationem suam lucidam*, fulminantem. רָוָה ipsi est a verbo רָוָה, et collato arabico ריי *irrigatio*, qua nubes imbribus foeta *onerata* (מַטְרִיחַ) dicatur: יְפָרֵץ vero *exundare facit*, ut Ps. 18, 15. notare vult; quo loco tamen potius *dispergendi* notio obtinet. Bona ceterum Cocceji observatio, ab hyeme recurri hoc Versu ad ver, et aestatem, atque ita anniversarium orbem tempestatum compleri.

12. הוּא sunt qui ad *nubem* (עָנָן Vs. 11.) referant, et ante nomen מְסִבּוֹת subaudiant ב, unde hic verborum מְסִבּוֹת הוּא מִתְהַפֵּךְ sensus prodit: *ea* nubes *per circuitus convertit se*. Sed multo concinnior et elegantior erit sententia, si הוּא ad Deum referas, quod etiam יְצַוֵּם in altero hemistichio, et Versus proximus arguit, ut vertendum sit: *et circuitus s. conversiones circumagitat*, i. e. mutationes tempestatum per pluviam et serenitatem, per frigus et calorem. Speciei Hiphpael significatio quidem communiter reciproca est, quandoque vero frequentatio actionis ea exprimitur, ut תִּתְהַלַּךְ *itavit;* nec aliter h. l. מִתְהַפֵּךְ capiendum. תַּחְבֻּלוֹתָיו *Consiliis s. sollertiis ejus.* Legitur hoc nomen, praeter hunc locum, solum in Proverbiis, et quidem quinquies, vid. 1, 5. 11, 14. 12, 5. 20, 18. 24, 6., quibus locis omnibus non dubitari potest *prudentia consilia* notare, semel, 12, 5. in malam partem sumitur, de *fraudulentis impiorum commentis*. Putant a חֲבָלִים *funibus*, quibus nautae (חֹבְלִים Jon. 1, 5. Ezech. 27, 29.) artificiose navem moderantur, nomen ductum, ut illo proprie *gubernatio* navis, hinc in universum sollertia significetur et prudentia, qua res ita diriguntur, ut ne exorbitent, aut exoptato successu excidant. לְמַעֲלָם *Ad facere eorum*, i. e. ut *faciant* (Infinitivus cum affixo, cum altero hemistichio jungendum) scilicet nubes, pluviae, כֹּל אֲשֶׁר יְצַוֵּם עַל־פְּנֵי תֵבֵל אַרְצָה *quicquid eis jusserit super faciem orbis in terram*, in terram missa ab illo; אַרְצָה pro בָּאָרֶץ s. לָאָרֶץ. In quemcunque finem et usum Deus ea destinarit, id fidelissime exsequuntur nubes, pluviae, etc.; sive e nubibus velit Deus gigni imbrem, sive nivem; sive tonitru et fulgura; et sive ut terram foecundent, sive ut noceant, ut proxime subjungit.

13. אִם לְשֵׁבֶט *Sive ad virgam*, i. e. in castigationem et poenam, ut supra 9, 34. 21, 9. 2 Sam. 7, 14. Thren. 3, 1. Alexandrinus: ἐάντε εἰς παιδείαν. Chaldaeus: *sive pluvia ultionis.* אִם־לָאַרְצוֹ *Sive pro terra sua*, i. e. in necessitatem ejus, quod secundum naturae cursum est necessarium ad terram foecundandam. *Terram* autem *Dei* appellat, ut Joel. 2, 18., quae ejus

Digitized by Google

sollius potestati subest. אִם־לְחֶסֶד *Sive in beneficentiam* singularem, vires et proventus naturae augendo, ut in annis foecunditatis. יַמְצִיאֵהוּ *Inveniri* s. *evenire faciat*, vel praesto esse jubeat illud scilicet, quod praecipit, secundum Vs. 12. Sic in castigationem, sive terrae necessitatem, sive in singulare beneficium id cedat, id omne Deus facit exsistere, non alius. לְשֵׁבֶט sunt, qui exponant *tribui*, uni scilicet, quod Deus aliquando pluviam uni alicui regioni mittat. Ita Hieronymus, qui hunc Versum sic reddidit: *Sive in una tribu, sive in terra sua, sive in quocunque loco misericordiae suae, eas jusserit inveniri.* Alii hunc Versum bimembrem faciunt, ita, ut prius hemistichium de poena, posterius de beneficio loquatur. Ita Reimarus: *Sive in castigationem* nempe *terrae suae*, et hominum, *sive in gratiam* eorum *venire faciat illud.* Sed quum Particula אִם prima et ultima vice *sive* sit reddenda, ea nec aliter medio loco accipienda.

14. עֲמֹד *Sta*, subsiste tacitus et attentus ad ea quae dico, ut Ezech. 2, 1. Dan. 9, 11.

15. הֲתֵדַע בְּשׂוּם אֱלוֹהַּ עֲלֵיהֶם *An tu scis cum Deus ponit super ea*, scil. לִבּוֹ *cor* s. animum suum, coll. 1, 8., h. e. quum consultat et cogitat de iis; quum facere illa vult et facit. Suffixum in עֲלֵיהֶם respicit ad נִפְלְאוֹת *mirabilia*; Vs. 14., de quibus hoc prius hemistichium in genere loquitur. Nec obstat generis diversitas (quum נִפְלְאוֹת generis foeminei sit), nam constructio saepius ad rem et sensum praecedentium respicit, non ad nominis aut Participii formam, ut supra 17, 16. Ezech. 1, 7. Hagg. 2, 7. Aliter Jarchi haec exponit: (an nosti) *cum imponeret illis Deus statutum praecepti* (s. *constitutionis*), *quomodo illa verbo* (Dei) *suspensa sint? Illa* intellige nubes et pluvias, quae nubibus continentur, quae mira ratione in aëre pendent. Alii עֲלֵיהֶם ad homines referunt, ut sit: *nostine*, *quando*, vel *quomodo*, *ponit* Deus nubem *super illos?* וְתוֹמִיעַ אוֹר עֲנָנוֹ *Et quum splendere facit* (תּוֹמִיעַ Infinitivus subaudito praefixo בְּ) *lucem nubis suae* scil. fulgurantis, i. e. fulgur e nubibus micans, Vs. 3. Alii de *iride* intelligunt. Inter hosce Schultens, qui שׂוּם עַל, in priore hemistichio, *imponere super re aliqua* scil. manum, adhibitum putat pro *cohibere*, *inhibere*, ac integrum Versum sic interpretatur: *ecquid nosti, quum* manum *imponit Deus super illa* omnia meteora, nempe tonitrua, fulmina, imbres, pluvias, nivem, *atque* in coeli pacati signaculum *relucere facit* iridem, *lucemque* placidam *nubilationis suae?*

16. הֲתֵדַע עַל־מִפְלַשֵּׁי־עָב *Nostine super* s. *de librationibus nubium* quidquam? quomodò et quam varie nubes, tanta aquarum mole graves, in aere suspendantur et librentur? Alii post Hieronymum, מִפְלַשֵּׁי־עָב *semitas* sive *vias paratas* (cf. verbum פָּלַשׂ Ps. 78, 50. Prov. 4, 26.) *nubium* intelligunt, i. e. nostine, qui fiat, ut nubium unaquaeque libere et sine impedimento

Digitized by Google

eo feratur, quo Deus illam destinat? Artificiosius. מְפַלְאוֹת תְּמִים דֵּעִים Nostine, inquam, *admiranda opera perfecti scientiis*? i. e. Dei, quem nihil latet, qui scit omnia, idque absolutissima cognitione et scientia? Alexandrinus, qui vertit, ἐξαίσια δὲ πτώματα πονηρῶν, pro דֵּעִים legit רעים *malorum*, quod ipsum in uno codice reperit Kennicottus.

17. Hujus Versus initio subaudiendum est עַל תֵּחַדַּע, et ad בַּהַשְׁקִם pronomen וּ, ad Deum referendum (בַּהַשְׁקִימוֹ), ut sit: *Nostine de eo, quod*, i. e. quomodo, quo pacto, *vestes tuae calidae fiant, quum ille tranquillam reddit terram ab austro*, a ventis scilicet australibus, qui terram et aerem resolvunt, et placidum ac lenius tempus reddunt aestivo tempore aut alias. Num scis hujus rei causam, cur ita vestes tuae tibi caleant, et oneri sint aestus tempore, quum non flat vehementior et asperior ventus ab Aquilone, sed a plaga meridionali aer sedatior est et remissior ob Austros? Verba בַּהַשְׁקִם אֶרֶץ מִדָּרוֹם possunt et sic intelligi: quum non amplius ab austro flagellatur, eum enim ingens calor sequi solet. Cf. Luc. 12, 55. *Καὶ ὅταν νότον πνέοντα* (ἴδητε), *λέγετε· ὅτι καύσων ἔσται· καὶ γίνεται.* דָּרוֹם etsi alias de *vento australi* nusquam usurpatum reperiatur, hoc tamen loco vix aliter accipi potest. Hieronymus hunc Versum sic reddidit: *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerint austro?*

18. הֲתָרְקַעְתָּ עִמּוֹ לְשַׁחֲקִים *Diducesne* (subaudiendum ה interrogativum, ut 2, 9. et saepius) *cum eo*, eum adjuvando (cf. supra 9, 8.) *nubes*? aethera? nam eum intelligi, arguit alterum hemistichium. ל ante שְׁחָקִים h. l. Accusativi nota est, ut supra 8, 8. 21, 22., et alias saepius, more Syrorum. חֲזָקִים כְּרְאִי מוּצָק *Firmas* scil. nubes, quae etsi solutae et laxae pendere videantur, firmae tamen continentur, ne cadant, *ut speculum fusile*. Adspectum pingit coeli lucidissimi et firmissimi simul, quum longa tenet serenitas, aereum veluti fornicem oculis ingerens. רְאִי, hoc solo loco obvium, Hebraei fere *speculum* notare ajunt (i. q. מַרְאָה Exod. 38, 8.), qui significatus saltem aptus ad rem, favet quoque additum מוּצָק *fusile*, a יָצַק *fundendo*, *liquefaciendo* (non a צוּק *coarctavit se*, unde מוּצָק supra 36, 16.), nam fundebantur olim specula ex metallis, vid. Jahn *Bibl. Archaeologie* P. I. Vol. II. p. 155. De *speculo* cogitavit et Chaldaeus, sed voce מוּצָק illud notari existimavit; ita enim vertit: *quorum adspectus sicut speculum fusile*. Totum Versum Hieronymus sic reddidit: *Tu forsitan cum eo fabricatus es coelos, qui solidissimi, quasi aëre fusi, sunt.*

19. הוֹדִיעֵנוּ מַה־נֹּאמַר לוֹ *Indica nobis, quid ei dicamus*, si cum eo contendere velimus, ut tu vis; tu, qui te sapientissimum putas, nos doce; quid tandem ei dicere poterimus, si coram eo velimus sermonem et disputationem instituere. לֹא נַעֲרֹךְ *Non struemus* sc. verba (מִלִּים coll. supra 32, 14.) ad ipsum, מִפְּנֵי־חֹשֶׁךְ

Digitized by Google

prae tenebris, in quibus versamur, et magna rerum ignorantia, qua mentes nostrae laborant.

20. הֲיְסֻפַּר־לוֹ כִּי אֲדַבֵּר *Num narrabitur*, exponetur, *ei*, *quum loquar?* Num audebit quispiam ei referre meos sermones, si de eo queri, aut cum eo contendere voluero, ut, quod ego non audeo, tentet alius? Non sane. Imo vero, אִם־אָמַר אִישׁ *si dixerit vir*, לְסַפֵּר לוֹ, si quispiam se ad eum relaturum verba mea dixerit, כִּי יְבֻלַּע scio *quod*, i. e. profecto (ut 8, 6. 21, 1.) *absorbebitur*, perdetur, opprimetur illius majestate. אִם potes et interrogative vertere, *num?* ut supra 4, 17. 6, 5. 6. 7, 12. al.

21. 22. וְעַתָּה לֹא רָאוּ אוֹר בָּהִיר הוּא בַּשְּׁחָקִים *Nunc vero non vident*, i. e. non adspicere sustinent homines *lucem* solis (ut אוֹר pro sole supra 31, 26.), cum (subaudiendum כִּי) *splendens est in nubibus*, in aethere (Vs. 18.), וְרוּחַ עָבְרָה וְתִטְהָרֵם *et* quando *ventus transiit et mundavit eas* (nubes), i. e. aetherem, quum vento transeunte mundatus et quasi purgatus est aether, מִצָּפוֹן זָהָב יֵאָתֶה quum *ab aquilone aureus splendor venit*. Utitur argumento a minori ad majus. Quomodo, inquit, homines ad Deum accedere, et cum eo disputationem instituere possint, vel audeant, quum nunc lucem solarem, cum clarissima in coelis splendet, ubi vento pertranseunte serenati sunt, et ab aquilonari vento discussis omnibus nubilis et nubibus, lucidissimus est aer, ejus, inquam, lucis adspectum ferre non possint homines? Qui ergo putas, posse eos divinae majestatis adspectum tolerare? Hoc est, quod subjungit, עַל־אֱלוֹהַּ נוֹרָא הוֹד *super Deum formidanda est majestas*, indutus (coll. Ps. 93, 1. 104, 1. 2.), praeditus est tremenda majestate. בָּהִיר, quod hoc solo loco exstat, *splendidum* significare, et arguit res ipsa, quum de *luce* dicatur, et ostendit arabicum בָּהַר *admodum luxit*, *praecelluit splendore*. זָהָב sunt, qui h. l. proprie de *auro* intelligant, et sensum hunc faciant: *ab aquilone* s. *septentrione venit aurum*, i. e. etsi septentrio valde a nobis remotus, et aurum ibi valde abscenditum sit, inde tamen eruitur, et ad nos defertur. Ita enim in Septentrione, secundum Plinium *Hist. Nat.* 6, 11. a portis Caucasiis per montes Gordyaeos indomitae gentes *auri tantum metalla fodiebant;* et lib. 33, 4. *aurum apud Scythas a formicis erutum est.* At, subjungitur hemistichio altero, *majestas divina* nimis *formidabilis*, quam ut ad eam accedere eamque perscrutari queamus. Sed multo elegantior prodibit sententia, si זָהָב h. l. significatu *splendoris*, *qualis est ex auri fulgore*, capiamus, quem jam Alexandrinus expressit, qui *νέφη χρυσαυγοῦντα* vertit. Sic et Zach. 4, 12. oleum splendidissimum et purissimum *aurum*, זָהָב, vocatur. Arabice زهب notat *praestringere oculos*, proprie ex auri fulgore, sed ad alia etiam transfertur. Ceterum *splendoris ex aquilone* mentio h. l. pertinet ad descriptionem appropinquantis media in tempestate Dei, e sede sua, monte Deorum, in boreali

Digitized by Google

mundi plaga sito, profecti; vid. Jes. 14, 13. Zach. 6, 8,, et cf. librum nostrum: *Handbuch der biblischen Alterthumskunde*, P. I. Vol. I. p. 155.

23. שַׁדַּי לֹא־מְצָאנֻהוּ *Omnipotentem* quod attinet, *non invenimus*, comprehendimus, *eum*, incomprehensibilis nobis est. Eodem significatu verbum מָצָא usurpatur Cohel. 3, 11. לֹא־יִמְצָא הָאָדָם *non comprehendit homo opera Dei.* שַׂגִּיא כֹּחַ *Multus est robore*, ingens potentia, q. d. majoris potentiae, quam ut a nobis inveniri aut comprehendi possit. Quomodo de ejus judiciis audes conqueri? Item multus est מִשְׁפָּט וְרֹב־צְדָקָה *judicio et copia justitiae*, summae aequitatis et justitiae. Ante מִשְׁפָּט repetendum שַׂגִּיא, vel, si aliud membrum vis facere, subaudies עִמּוֹ post צְדָקָה *judicium et multitudo justitiae* est *cum eo*, s. apud ipsum. לֹא־יְעַנֶּה *Non affligit*, scil. homines, praeter aequum et jus, aut, plus satis. Alii subaudiunt מִלִּבּוֹ *ex animo*, libens, ex Thr. 3, 33. לֹא עִנָּה מִלִּבּוֹ. Hoc quidem ex plurimorum codicum lectione. Sunt tamen, referente de Rossio, codices, et inter hos vetusti et bonae notae, in quibus לֹא־יַעֲנֶה scriptum est, quod nos praeferendum censemus, ut sit: *non respondebit*, i. e. non tenetur nobis respondere, et factorum suorum rationem reddere, quum sit infinitae potentiae et justitiae. In Kal Hieronymus quoque videtur legisse, sed intellexit: *non eloquetur* scil. aliquis; nam vertit: *enarrari non potest.*

24. לָכֵן יִרְאֻהוּ אֲנָשִׁים *Ideo*, quia immensae potentiae est et justitiae ac aequitatis, *revereantur eum homines.* Verba postrema, לֹא־יִרְאֶה כָּל־חַכְמֵי־לֵב, plerique sic intelligunt: *non videt omnes sapientes corde*, animo, i. e. non curat, non ad eos advertit, aut eorum rationes habet, ut vel illis parcat, si eos affligere velit, nec illis quioquam sua sapientia proderit. חַכְמֵי־לֵב intelligunt *sapientes ex opinione sua*, ut Hieronymus: *qui sibi videntur esse sapientes.* Sic et Jarchius: המתחכמים אליו כי אין חכמתם בעיניו כלום *qui se sapienter gerunt adversus illum; nihil enim eorum sapientia est in oculis ejus.* Malo tamen, subaudito ad יִרְאֶה pronomine suffixo ex praecedente יִרְאֻהוּ hebraea sic vertere: *non videbit eum omnis sapientum cordis*, i. e. sapientissimi quique eum contemplari nec audebunt nec poterunt. Nullus sapientum ejus adspectum sustineat.

Digitized by Google

DEUS.

Cap. 38. 39.

Tacet Jobus, velut se victum agnoscens rationibus Elihui, qui ex Dei potentia admirandisque ejus operibus abunde ostendisset, nihil esse, quod de ejus judiciis homo queratur, aut ad ea penetrare se posse putet, quum ipsi vulgaria haec, quae quotidie ob oculos versantur, ignota sint, nec eorum causas perspiciat. Jam vero Deus ipse inducitur velut judex et diremptor totius hujus controversiae diu et in omnem partem agitatatae Jobum inter et socios. Elihu quidem accesserat, qui rem acu tetigisse videbatur, et proxime ad veritatem ejus accessisse, quod de re hac tota erat tenendum. Sed quia hominis auctoritas ad tantam rem statuendam, et Dei causam plane tuendam et componendam non sufficiens videbatur, ideo accedit Dei auctoritas. Is in summa Jobum docet suam admirabilem potentiam et sapientiam, ex suis operibus, quae in hac rerum machina cernuntur, in quibus quum nec Jobum, nec hominum quenquam consiliarium habuerit, vel adjutorem aut socium, nihil esse, quod Jobus suorum factorum rationem eum roget, praeterea vel in vulgaribus et minimis alioqui rebus ostendit earum causam et modum ac rationem Jobum fugere, temere itaque facere, quod in arcana et ardua Dei consilia penetrare velit, ac scire, cur nunc ita affligeretur, quasi secum in arenam descensurus. Et in hoc priori quidem sermone, qui Cap. 38. et 39. continetur, Deus primum Jobo proponit admirabilem hujus terrae fabricationem, in qua neminem adjutorem habuerit aut consiliarium, tum, quot essent miranda naturae eventa, quorum causas homines nescirent, ut ventorum, tonitrus, lucis, stellarum; deinde eum inter animalia deducit, et varios eorum instinctus perpendere jubet. — Rectissime de hisce Dei sermonibus judicavit Schultens: „In his per mihi mira saepe visa cum *materia*, statui quaestionis, quae tantis animorum motibus disceptata fuerat, non directe respondens; tum *tractatio* ipsa, tam longe, late, lente, circumducta, atque in monstrorum formidolosissimorum descriptione desinens (Cap. 40. 41.) Aliter responderi non debebat, nempe,

Digitized by Google

illi, qui Deum in certamen et congressum vocaverat toties, nec cum eo descendendum in abditas rationes consiliorum divinorum, ob quas bonis saepe mala immittuntur, malis ad tempus permittuntur bona. Sufficiebat, ut cum sensu propriae tenuitatis, immensa Dei magnitudo, ex operibus creationis splendidissime relucens, ei paulo fortius admoveretur."

In eam, quae restat, libri nostri partem, peculiaris exstat Commentarius, cui haec est epigraphe: *Ultima Capita Libri Jobi; nempe Cap.* 38. 39. 40. 41. *et Capitis* 42. *pars, ad Graecam Versionem recensita, notisque instructa ab* E. J. Greve, *S. S. Minist. Cand. inter Reformatos. Accedit Tractatus de Metris Hebraicis praesertim Jobaeis. Pars I. complectens Cap.* 38. *et* 39. *Deventriae*, 1788. *Pars II. complectens Cap.* 40. 41. *et* 42, 1—6. *et libellum de Metris. Burgo-Steinfurthi*, 1791. in quat. Magnae et accuratae diligentiae, eruditionis multifariae, sagacisque ingenii laudem nemo sane aequus denegabit auctori: cujus tamen textum receptum ad veteres versiones, praesertim Graecam Alexandrinam atque systematis metrici a se adstructi placita refingendi libido haud aeque omnibus probetur. Tomi secundi pars potior versatur in carminum hebraicorum structurae et numerorum poeticorum investigatione, cui praemissa est de arte metrica Arabum et Syrorum commentatio. Quae tamen p. 94—131. de Arabum arte metrica leguntur, omnia sunt ficta commentitiaque, et prorsus repugnant iis, quae Arabes ipsi hac de re tradunt. Veterum autem Hebraeorum metricam restituendi conatum quod attinet, meum facio Roberti Lowthi judicium (in *Praelect.* III. *de Sacra Poesi Hebraeorum* p. 47. seqq. edit. Goetting.): „Quod ad veros Versuum hebraicorum numeros, ad rhythmum et modulationem attinet, id omne et penitus ignotum esse, et nulla unquam arte aut industria humana investigari posse, ex ipsa rei natura satis apparet. Manifestum est, antiquam et veram Hebraica pronunciandi rationem omnino esse ignotam. . . . . Ne numerus quidem syllabarum, quibus singulae pedum voces constant, certo definiri potest; ac multo minus earum tempora, sive, ut vocant, quantitas, unquam investigari. Cum vero in omni lingua metrorum ratio omnis ab his duobus necessario pendeat, syllabarum dico, et numero et quantitate, quorum in Hebraea cognitionem intercidisse, nec revocari posse, ipsa rei natura clare indicat; profecto qui metricam Hebraeam veram illam et genuinam restaurare conatur, is aedificium exstruit, cui fundamentum, in quo nitatur, plane deest."

Cap. 38, 1. וַיַּעַן־יְהוָה אֶת־אִיּוֹב מִן־הַסְּעָרָה *Respondit-que Jova Jobo ex turbine* ac nube procellosa, in quo advenit Elihuo adhuc loquente, coll. 36, 27. sqq. 37, 1. sqq.

2. עֵצָה pro עֲצָתִי, nam significatur *Dei consilium*, in rebus humanis regundis, quod *obscurare* (מַחְשִׁיךְ) dicitur Jobus imperite

Digitized by Google

loquendo (מַמְלִין מִלֵּי־דַּעַת, cf. 34, 35.), quod nimio affectu abreptus immodicis suis querelis Deum injustitiae insimulare videbatur, et, quantum in se esset, tenebras et caliginem offundebat hominum mentibus, circa Dei in rebus humanis regendis judicium. Neque enim, ut quidam voluere, Elihuum, sed Jobum his verbis taxari, manifestum ex 42, 3., ubi Jobus culpam suam agnoscens haec eadem verba repetit, nisi quod pro מַחְשִׁיךְ illic מַעְלִים *abscondens* ponitur. Praeterea quem hoc Versu per tertiam personam alloquutus fuerat, ad eundem statim Vs. 3. seqq. directe sermonem convertit.

3. אְזָר־נָא כְגֶבֶר חָלָצֶיךָ *Accinge, quaeso, sicut vir* strenuus *lumbos tuos*, scilicet ad contendendum mecum; accinge te contentioni mecum. Metaphora ducta ab iis, qui se itineri, aut alicui operi faciendo accingunt; vid. Exod. 12, 11. 1 Reg. 18, 46. Ironia est, sed amica, qua Jobum vult in viam revocare. Q. d. saepius postulasti mecum contendere, et optasti, ut causam tuam coram me descendere tibi liceret; id ergo nunc facias, et si quid habeas, quod contra me afferri posse jure potes, id nunc profer. וְאֶשְׁאָלְךָ וְהוֹדִיעֵנִי *Rogabo te, tu itaque fac scire me* quaesita, responde mihi ad ea quae te rogavero. Quia de meis agendi rationibus judicium tibi arrogasti, agedum ad quaestiones meas responde, si solide possis.

4. Jam rem aggreditur, et multis Jobum interrogationibus onerat, ad quarum ne minimam quidem possit respondere, ut hoc modo Dei potentiam agnoscat, suam autem infirmitatem et mentis hebetudinem. אֵיפֹה הָיִיתָ בְּיָסְדִי־אָרֶץ *Ubi eras, quum terram fundarem?* Non sane potuisti me in ea fundanda adjuvare? quomodo ergo, quasi mihi par aut socius, meorum judiciorum rationem scire vis, quasi ea noris, quum ne rationem quidem scias, qua haec, quae quotidie oculis cernis, facta sint et condita. „In versiculo hoc et sqq. elegans est comparatio orationis hujus terrae cum constructione aedificii, cui Dominus opifices et famulos adhibet, primumque forma designatur, tum amussi describuntur partes, dein fundamenta jaciuntur, tandem eductis lateribus additur fastigium, quam imaginem complent sidera et angeli opere adsurgente laeti, idque festo plausu persequentes.“ Greve. הַגֶּד אִם־יָדַעְתָּ בִינָה *Indica; si nosti intelligentiam*, i. e. si ea intelligentia polles, ut Jes. 29, 24. Prov. 4, 1. 1 Chron. 12, 32. 2 Chron. 2, 12.

5. מִי־שָׂם מְמַדֶּיהָ כִּי תֵדָע *Quis posuit mensuras ejus, si scias?* scil. indica. Quis instrumentis mensoriis adhibitis his mensuris et dimensionibus terram fecit, quibus est facta? Nomen מָמַד (ad formam מָסַב 1 Reg. 6, 29., מָצַר Ps. 116, 3.) hoc solo loco obvium, vix dubitari potest idem significare, quod מִדָּה supra 11, 9. — אוֹ מִי־נָטָה עָלֶיהָ קָו *Aut quis extendit super eam lineam mensoriam* (Zach. 1, 6.)? s. normam, more latomorum

Digitized by Google

aedificium aliquod construentium, qui ne quid indecenter fiat, aut sine proportione, regulam adhibent ad omnia dirigenda. Quasi dicat: quis ea proportione et elegantia terram condidit, qua eam videmus conditam, ut nihil supra esse possit?

6. עַל־מָה אֲדָנֶיהָ הָטְבָּעוּ *Super quid bases ejus demersae sunt?* quasi in luto. אָדָן proprie *basis* columnae, stylobates, Cant. 5, 15. Exod. 26, 19. sqq., hinc fundamentum aedium. Terram firmiter stabilitam innuit, modo impervestigabili, etsi nullis nixam basibus et fundamentis, ut supra 26, 7. Jobus dixit, *terram appensam esse super nihilum.* אוֹ מִי־יָרָה אֶבֶן פִּנָּתָהּ *Aut quis jecit lapidem angularem ejus* (terrae)? quo illius velut muri et partes inter se conjungerentur, et stabilientur? אֶבֶן פִּנָּה non esse *epistylium*, ut Greve conjecit (cf. not. ad Ps. 118, 22.), sed *lapidem angularem*, hoc loco vel parallelismus et res ipsa arguit.

7. בָּרֹן־יַחַד כּוֹכְבֵי בֹקֶר *In ovare*, dum ovarent, *stellae temporis matutini.* Magnifica sententia: ovantibus et applaudentibus astris, coelestibusque spiritibus laudes Deo acclamantibus, terram condidit. כּוֹכְבֵי בֹקֶר *Stellas matutinas* intelligunt fere easdem, quae Ps. 148, 3. כּוֹכְבֵי אוֹר *stellae lucidae* nuncupantur, quod sub auroram magis splendere videantur; vel, quae Luciferi instar splenderent. Nec absonum esset, stellas *matutinas* ideo vocari, quod ceteris rebus creatis priores exstiterint, et sub ipsis mundi initiis, sub ejus velut aurora, adfuerint. וַיָּרִיעוּ *Et* dum *vociferarentur*, laetum clamorem sustollerent. De בְּנֵי־אֱלֹהִים vid. not. ad Ps. 29, 1., ubi pariter angeli Dei laudes personare dicuntur. Respicitur ad veterem ritum, aedificii fundamentum inter laetas acclamationes et cantica ponere, cf. Zach. 4, 7. Esr. 3, 10. Ceterum in constructione miscentur verbum finitum (וַיָּרִיעוּ) et infinitum (בָּרֹן), ut etiam seq. Vs. 8. 9. 10. 29, 3. sqq., et saepius in hoc libro.

8. Repetendum est מִי ex initio Vs. 5. וַיָּסֶךְ בְּדַלָּתַיִם יָם *Et quis obsepsit* (וַיָּסֶךְ ut supra 3, 23. capiendum) *foribus mare?* circumclusit, litoribus scilicet, tanquam repagulis, quae non perrumperet. בְּגִיחוֹ *In prorumpendo suo*, vid. de verbo גּוּחַ not. ad Ps. 22, 10. Mare initio rerum e terrae visceribus, ut partus ex utero (מֵרֶחֶם) prorupisse dicitur, quod longe lateque omnem telluris superficiem inundaret, nisi litoribus, tanquam repagulis, coerceretur, sola divina potentia.

9. בְּשׂוּמִי עָנָן לְבֻשׁוֹ וַעֲרָפֶל חֲתֻלָתוֹ *Dum ponerem nubes vestimentum ejus, et caliginem fasciam, fascias ejus.* Persistit in coepta metaphora, ut quia mare infanti ex utero egresso comparavit, deinceps ex quo prodiit, ei tribuat quae adhiberi solent recens natis infantibus, qui quidem vestiuntur et fasciis involventur ac involucris, quibus contineantur, ne erumpant. Sic mari, inquit, adhibitas circumquaque nubes, tanquam vestes, quae ei

Digitized by Google

assidue circumstarent, quae nubibus et nebulae (עֲרָפֶל) itidem tanquam fasciae infanti esse videntur, quod assidue super mare apparere solent. Simul innuit, Deo tam facile esse, mare, corpus alioqui vastum, et quod vix quisquam credidisset ob vehementiam et impetum fluctuum contineri et reprimi posse, continere et compescere, quam matri aut nutrici infantem, quem, ut vult, fasciis involvit. חֲתֻלָּה est *fascia*, qua infans involvitur, vid. Ezech. 16, 4., vid. MICHAELIS *Supplemm.* p. 984.

10. Verba וָאֶשְׁבֹּר עָלָיו חֻקִּי plures sic reddunt: *fregi*, i. e. decidi *super illud statutum meum*, q. d. de illo decretum meum constitui, quod scilicet sequitur, cum ei limites sunt a me praefiniti. Verbum *frangendi*, שָׁבַר, h. l. eodem significatu capiendum volunt, quo haud raro cognatae notionis verbum, גָּזַר *secuit*, usurpatur, videlicet pro *decernere*, *decidere*, vid. supra 22, 28. Esth. 2, 1. Ita Chaldaeus: *constitui super eo decretum meum.* Alii, retenta usitata *frangendi* notione, sed constructione, quam dicunt praegnantem, adhibita, sic vertunt: *modum meum fregi super ipsum*, i. e. frangendo impetum maris intumescentis facio ipsi modum. Simplicius est, collato arabico شبر *spithamâ dimensus est*, ita vertere: *spithama dimensus sum super eo*, s. circa (ut עַל Jud. 9, 49. 1 Reg. 18, 26.) id, *terminum*, limitem, *meum.* Quem sensum expressit Hieronymus: *circumdedi illud terminis meis.*

11. וְלֹא תֹסִיף *Nec addes* scil. לָבוֹא, i. e. ut recte Hieronymus, *et non procedet amplius*, q. d. constitui illi suos terminos, quos non transiret in continentem erumpens. פֹּה יָשִׁית בִּגְאוֹן גַּלֶּיךָ *Et hic ponatur* (propr. *ponat* scil. *ponens*, impersonalis dicendi formula, saepius jam observata in hoc libro) scil. חֹק *terminus* (ex Vs. 10.) *contra elationem fluctuum tuorum.* ב post שׁוּת *contra*, ut Ps. 73, 9., ubi not. cf. Alii: *et hic* statutum illud s. decretum meum (Vs. 10.) *ponet* tibi obvium, s. terminum *in fastu*, i. e. in superbo impetu *fluctuum tuorum.* Aquas undis agitatas et exaestuantes *superbas* vocare, et Arabibus frequentissimum, ut pluribus exemplis ostendit Schultens in *Animadverss. in Job.* ao. 1708. editt., in *Operr. Minorr.* p. 81. Pro יָשִׁית Hieronymus, Chaldaeus et Syrus secundam personam expresserunt, quasi תָּשִׁית legissent, quod ipsum et in Kennicottianorum codicum uno repertum. Quo adscito posterius hemistichium sic reddendum erit: *et hic pones elationem fluctuum tuorum*, ubi tamen praefixum ב ante גְּאוֹן redundat, etsi תָּשִׁית favet, quod in priori hemistichio תֹּסִיף exstat. Sed tertiam personam jam Alexandrinus expressit: ἀλλ' ἐν σεαυτῷ συντριβήσεταί σου τὰ κύματα. Is pro בְּגְאוֹן expressit גְּאוֹנְךָ.

12. Jam a terra et mari transit ad coelum, et quia in coelo solis ratio summopere admiranda est, et praesertim ejus ortus, qui quotidie novus est, ut in momento atrae noctis tenebrae aurora

Digitized by Google

adveniente pellantur, ideo interrogat: הֲמִיָּמֶיךָ צִוִּיתָ בֹּקֶר *Num a diebus tuis*, i. e. inde ex quo natus es, unquam, *praecepisti matutino?* ut scilicet existeret. Quod dicit *a diebus tuis*, eo significari volunt, id, antequam ille nasceretur, factum, et perpetuum illum ac certum et constantem naturae ordinem a Deo jam inde ab orbe condito institutum esse. Nec alio sensu Schultens, qui vertit: *an prae diebus tuis mandasti auroram?* i. e. eo quod dies habeas numerosos, et ipso mundo mecum antiquior sis? Sententia quidem per se apta, nec tamen usui dictionis מִיָּמֶיךָ congruens; illam enim notare *unquam* manifestum est ex 1 Sam. 25, 28. *Nil mali tibi accidet* מִיָּמֶיךָ *unquam.* Item 1 Reg. 1, 6. *Nec castigavit eum pater* מִיָּמָיו *unquam.* Eodem sensu supra 27, 6. מִיָּמַי sumendum. הֲיָדַעְתָּה שַׁחַר מְקוֹמוֹ (ת) *Num scire fecisti aurorae locum suum?* aurorae notum fecisti, ubi singulis anni diebus exoriretur, quotidie ejus loco mutato? an locum certo quoque die soli assignabis in coelo, unde oriatur? Verba יְדַעְתָּה שַׁחַר ita legenda, ut ת prioris dictionis cum initio sequentis jungatur, ut Dagesch in prima litera vocis שַׁחַר indicat, quasi יְדַעְתָּ הַשַּׁחַר scriptum esset, quod ipsum et passim in codd. reperitur. Attamen et illa lectio, יְדַעְתָּת שַׁחַר, constare potest, ut ת sit paragogicum.

13. לָאֲחֹז בְּכַנְפוֹת הָאָרֶץ *Ut apprehenderet*, scil. הַשַּׁחַר *aurora, alas, extrema, terrae*, momento per totum orbem terrarum diffusa ad ultimos usque fines veluti occupat terrae oras. „Aurora dicitur occupare *alas*, id est, oras, extremitatem terrae, quia quum exoritur, ab ejus luce primum collustrantur extremae terrae partes. *Impii* autem exoriente luce dicuntur *excuti de terra* (וְיִנָּעֲרוּ רְשָׁעִים מִמֶּנָּה), quia noctu grassantur latrones, fures, moechi, sicarii, aliique ejusmodi facinorosi homines, sed exoriente sole, metu lucis, ne deprehendantur, subducunt sese, et delitescunt, similes feris, lupis, leonibus, quae bestiae per noctem grassantur, sed sub auroram lustra sua repetunt.“ Ludov. Cappellus *Notit. Critt.* Ita Jobus supra 24, 13. dixerat, impios, quod lucem oderint, ut suis maleficiis inimicam, ex exorta interdiu non jam comparere, aut certe facinora sua patrare non audere, ut ita velut e terra excussi beneficio lucis videantur. לָאֲחֹז Hieronymus et Jarchi non ad auroram, sed ad Jobum referunt: *ut apprehenderes terrae extremitates*, ut ego apprehendo, velut tenens ambas terrae extremitates manibus, et de terra excutiens, quos volo, improbos: ut cum homo vestis extrema tenens prae manibus eam concutit, et ex ea excutit, ut vult, et quicquid vult, ut pulverem, et alia, ita et mihi tam facile est, velut apprehensis terrae extremitatibus ex ea impios excutere. Sensus quidem egregius et aptus. Sed ex meo sensu elegantior exsistit imago, si apprehensio extremorum terrae ad *auroram* referatur. Ita et Schultens praetulit, „*Lucem diei*,

Digitized by Google

inquiens, pingit velut Dei ministram, cui demandata sit provincia illa, alas terrae quotidie arripiendi, ad improbos inde, tanquam sordes et pulverem, excutiendos, et opera tenebrarum, cum lucifugis illis, confundenda et dissipanda."

14. תִּתְהַפֵּךְ כְּחֹמֶר חוֹתָם *Vertit sese*, i. e. immutatur tunc, aurora adventante, scil. הָאָרֶץ *terra* (ex Vs. 13., arguente verbo feminino) *sicut lutum sigilli*, i. e. lutum, argilla, cui varia, alia atque alia signacula facile imprimuntur, et quaevis figuras recipit, sic et terra quotidie ab exorta aurora novas videtur figuras, et novam induere faciem, tenebris discussis, quibus obtecta rudis et informis massae instar est. וְיִתְיַצְּבוּ *Et sistunt sese* scil. בֹּקֶר *mane*, et שַׁחַר *aurora* (Vs. 12.), quae inducuntur ut famulae Omnipotentis, quotidie stationem suam obeuntes, vid. de hoc usu verbi not. supra ad 1, 6. Quod additur, כְּמוֹ לְבוּשׁ *instar vestimenti*, s. *velut* in *vestimento*, Schultens observavit, pertinere ad *splendorem*, *pompam*, *decus*, quale in לְבוּשׁ מַלְכוּת *vestis regalis*, Esth. 6, 8., quae mox Vs. 9—11. absolute הַלְּבוּשׁ. Adde 8, 16. et Jes. 63, 1. הָדוּר בִּלְבוּשׁוֹ *magnificus vestitu*. Nisi forsan haec imagine quotidiana diei noctisque vicissitudo exprimatur, ubi יִתְיַצְּבוּ simpliciter *exhibent se*, exsistunt, notabit: aurora, sive lux diurna, quotidie exoriens, mundo, vestis instar, circumponitur, itidemque occidens veluti exuitur et conditur.

15. Audaci figura *sua improbi luce privari* dicuntur (וּמֵטֶה מְרָשָׁעִים אוֹרָם), discutiente aurora tenebras; quae sunt lux illorum lucifugorum, quorum tunc *sublimes lacerti frangi* dicuntur (וּזְרוֹעַ רָמָה תִּשָּׁבֵר), quod orta luce vires amittunt et audaciam, et sese pavidi recipiunt, qui alioqui noctu sunt audaces. Cf. supra 24, 17.

16. Per נִבְכֵי־יָם significari *profundissima maris*, vix potest dubium esse, etsi de nominis נְבָכִים significatione propria non certo constet. Sunt, qui ad verbum בָּכָה *flevit*, referentes, vertant *plorata maris*, i. e. fluenta, quibus profunditates maris significari putant, quod ibi aquae magna copia et magno impetu fluunt, q. d. alveum maris, sicut supra 28, 11. בְּכִי נְהָרוֹת *fletum fluminum* fluxum eorum vocavit. Alii *fontes maris* intelligunt. A. Schultens, collato arabico נَبَكٌ *collis acuto vertice*, indicari censet *scopulos maris*, sive scopulosum et salebrosum maris fundum; probante Michaele in *Supplem.* p. 1587., qui tamen monet, posse et proprie *profunda maris*, ut Hieronymus et Syrus verterunt, hebraea dictione significari, in subsidium vocato arabico אנתבה Conjug. 8vo. verbi נבה *eminuit*, *altus fuit*, ut *altum* maris pro *profundo* sit positum, loquendi more et Latinis usitato. חֲקֹר תְּהוֹם *Perscrutatio abyssi* sunt ultimi maris termini, ad quos si perveniatur, mare perscrutatum sit, cf. חֲקָרֵי אָרֶץ Ps. 95, 4. et ibi not.

Digitized by Google

17. Sicut de *fundo maris*, superiori Versu, interrogaverat, ita nunc de *imo terrae* dicit. *Num perlatae*, apertae *sunt tibi portae mortis! num portas tenebrarum mortis vides?* שַׁעֲרֵי־ צַלְמָוֶת et שַׁעֲרֵי־מָוֶת *portae sedis mortuorum*, et *densissimarum tenebrarum*, indicant loca subterranea abstrusissima, ad quae nemini mortalium penetrare datum, cf. supra 11, 8.

18. הִתְבַּנַּנְתָּ עַד־רָחְבֵי־אֶרֶץ *Considerasti*, perpendistine, *usque ad latitudines terrae?* mentene es complexus, aut intellexisti plane, quanta sit terrae amplitudo, quam lata sit et spatiosa? הַגֶּד אִם־יָדַעְתָּ כֻלָּהּ *Indica*, *si nosti totam eam*, scil. terram. Alii: si nosti totum illud, quod te rogavi, ut femininum sit pro nostro neutro. „Quaesiti hujus hic posset esse sensus: an orbem terrarum sic notum et perspectum habes, ut omnes singulasque ejus regiones definire, et accurata delineatione, vel minimarum, quas terrae ambitus complectitur, partium, unamquamque suo situ, adspectu, limite, describere potis sis? Quo usque ne nostra quidem aetate, post tanta scientiarum incrementa, tot quaquaversum navigationes institutas, peritissimorum Geographorum solertia pertigit. Sed si de sola orbis terreni dimensione verba sumantur, quae acceptio magis obvia est et naturalis, tunc ingenue fatendum, rem Jobi aevo hominibus ignotam et inaccessam, nunc Astronomorum calculis definitam, constitutam et in liquido constitutam esse. Certe plura hoc Capite, circa rerum adspectabilium naturam, tanquam homini impervia proponuntur, quae labentibus seculis humani ingenii reclusit industria. — — Ad istorum temporum, circa naturalis scientiae vestigationem valde rudium, captum quaesita accommodata sunt, quae non ideo minus compescendae Jobi temeritati atque audaciae inserviunt, quando divinae gubernationis consilia exagitare et culpare audet. Aeque magna enim circa terrarum vel dimensionem, vel descriptionem, inscitia laborabat, quam si eorum notitia hominum menti in aeternum futura fuisset inaccessa.“ Bouillier.

19. אֵיזֶה הַדֶּרֶךְ יִשְׁכֹּן־אוֹר *Quaenam est via* sc. אֶל־הַמָּקוֹם וְחֹשֶׁךְ אֵיזֶה מְקוֹמוֹ אֲשֶׁר תְּ *ad locum illum, quo habitat lux? Et tenebrae quis locus sit?* Ubi sunt lucis et tenebrarum sedes, quas in natura rerum obtinent, et unde ad Numinis jussa praesto sunt? Videtur referendum ad lucis et tenebrarum statas vices, per dies singulos, q. d. scisne, quo se abdat et recipiat lux, quum a terris recedit, ut eam suo tempore inde facias emergere? Aut nostine, quum tenebrae abscedunt, ubi interim recipiantur, et abscondantur, ut eas reducat in nostrum hemisphaerium? Hoc spectari, arguit proximus Versus.

20. כִּי תִקָּחֶנּוּ אֶל־גְּבוּלוֹ *Quod nimirum* (explanativum, ut 22, 26. 23, 14. 27, 3.) *capias illud*, unumquodque (ut recte Hieronymus) illorum suo tempore, jam subaudiendum לְהוֹלִיכוֹ (est enim constructio, quae dicitur, praegnans) *ut adducas illud*

Digitized by Google

ad suum limitem, unde rursum emergat, lucem eo, ubi erat antea, sic et tenebras suis vicibus? וְכִי תָבִין נְתִיבוֹת בֵּיתוֹ *Et quod intelligas semitas domus ejus?* i. e. loci (ut superiori Versu dixit אֵיזֶה יִשְׁכֹּן)? quod nota sit tibi via qua eundum sit, ut illa e suis locis petas, et ad nostras oras reducas?

21. Sunt, qui ante יָדַעְתָּ interrogationem repetant: *nostine* scil. illa, *quod tunc natus esses?* Sed magis placet, haec pro affirmatione ironica habere: *sane scis!* haec omnia perspecta habes, quia tunc jam natus eras, cum haec omnia facerem, et suas illis leges ac ritus praefinirem: es annosissimus et antiquissimus, ideoque per tot annorum observationem haec omnia cognoscere accurate potuisti. Alterum hemistichium, וּמִסְפַּר יָמֶיךָ רַבִּים, accipiendum vel ita: *et numerum dierum tuorum* quod attinet, *multi* sunt illi; vel, repetito ante רַבִּים nomine מִסְפַּר, sic: *numerus dierum tuorum* est *numerus multorum*, coll. simili constructione Ps. 60, 5. 110, 3. et ibi not., nec non Cant. I, 15.

22. הֲבָאתָ אֶל־אֲצָרוֹת שֶׁלֶג *Num pervenisti ad thesauros*, apothecas, promtuaria, *nivis?* Sic Ps. 135, 7. thesauri ventorum dicuntur, unde Deus, quo vult tempore, eos velut educit. Et Deut. 32, 23. 34. Deus in thesauris suis tela dicitur habere recondita, quae, cum vult, in hostes suos proferat.

23. אֲשֶׁר חָשַׂכְתִּי לְעֵת צָר *Quos*, thesauros, *prohibui*, i. e. reservare soleo, *ad tempus arcti* s. *angustiae*, ut supra 36, 16., i. e. cum de meis hostibus poenas volo sumere, et eos angustiis premere. לְיוֹם קְרָב וּמִלְחָמָה *Ad diem pugnae et belli*, cum adversum hostes meos depugnare et eos perdere volo, ut Jos. 10, 11. plures magnis lapidibus grandinis hostes Israelitarum leguntur caesi, quam eorum gladio. Cf. Exod. 9, 18. sqq. et supra 36, 31. Schultens hunc Versum de *hyeme* et *frigida tempestate* intelligit, quae *dies arcti*, *conflictus* et *praelii* appellatur, tum, quod bruma horrida, minax, bellum velut inferat terrae, inter ventorum fremitus et nivium grandinumque glomeratos nimbos, tum, quod nive copiosius fusa revera angantur, et tanquam ex lato in *arctum* redigantur mortales. Quod quaesitum est.

24. אַיזֶה דֶּרֶךְ יֵחָלֵק אוֹר *Quaenam est via*, sc. אֲשֶׁר בָּהּ *qua dividatur*, diffundatur, *lux* solis et diei, quae tam subito et uno quasi momento totum hemisphaerium pervadit et illustrat. Ante alterum hemistichium e priori subaudiendum אַיזֶה דֶּרֶךְ *quanam via* יָפֵץ קָדִים עֲלֵי־אֶרֶץ *dispergat sese* (intransitive, ut Exod. 5, 12. I Sam. 13, 8. יָפֵץ הָעָם *dispersit se populus*) *eurus super terram?* Euro, vento maxime impetuoso, comprehendit reliquos ventos. Alii posterius hemistichium referunt ad auram orientalem, quae sub ortu solis spirare solet. Sunt etiam, qui sub אוֹר *fulguris* lucem intelligant, et totum Versum de tempestate capiant, qua cum procella conjuncta sunt fulgura.

Digitized by Google

25. מִי פִלֵּג לַשֶּׁטֶף תְּעָלָה *Quis divisit* (proprie *derivavit* vel *corrivavit*, nam פִּלֵּג deducitur a פֶּלֶג *rivus*) *inundationi* aquarum pluviarum *ductum*, i. e. collective aquaeductus, tubos? Quis, nisi ego, cursum dat aquis e coelo defluentibus magno impetu, ut inde veluti per canales ab hominibus manu factos exceptae in terram large decurrant, tanquam ex cataractis? Sunt ex Hebraeis, qui תְּעָלָה *fossam* exponant, qua aquae pluviae aquis e coelo descendentibus loca velut fossas in terra praeparat illis excipiendis, ut uno in loco pluat ad eum foecundandum et rigandum, in altero non item? Concinnior tamen sensus erit, תְּעָלָה *aquaeductum* (ut 1 Reg. 18, 32. 35. 38. Jes. 7, 3. Ezech. 31, 4.), tubum, canalem exponere, ut velut in aere pluvia decidens canalibus excepta illis in terram corrivetur, quo visum est Deo. וְדֶרֶךְ לַחֲזִיז קֹלוֹת *Et viam* scil. quis divisit, fecit, *fulgetro* (cf. supra 28, 26.) *vocum*, i. e. tonitruum; fulgetro, quod secum affert et edit tonitrua, quis viam in nube, ut inde erumperet, effecit?

26. בּוֹ — לְהַמְטִיר *Ad pluendum*. s. *ut pluere faciat* Deus *super terram* in qua (subaudito בָּהּ), super *desertum* quoque *in quo non* est *homo?*

27. דֶּשֶׁא — לְהַשְׂבִּיעַ *Ad satiandum*, ut abunde riget, *vastitatem et desolationem*, *et* ut isthic etiam *progerminare faciat exitum*, proventum, *herbae virentis*. Dei providentiam ostendit ex eo, quod pluviam mittat etiam super loca deserta, quae nemo incolit, eaque abunde riget (הַשְׂבִּיעַ de *restinctione sitis* et Amos. 4, 8. Prov. 30, 15. Jes. 58, 11. Ps. 107, 9. usurpatum), ut et in illis herbae propullent, feris alendis necessariae. שֹׁאָה וּמְשׁוֹאָה conjungi solet ad locum maxime vastum et siticulosum significandum, ut supra 30, 3. Zeph. 1, 15.

28. הֲיֵשׁ לַמָּטָר אָב *Num est pluviae pater?* Habetne parentem, scilicet alium a me, qui eam procreet et mittat? אוֹ מִי־הוֹלִיד אִגְלֵי טָל *Aut quis genuit stillas roris*, nisi ego?

29. מִבֶּטֶן מִי יָצָא הַקֶּרַח *Ex cujus ventre*, tanquam genitoris (supra 19, 17.), s. utero, tanquam genitricis (1, 21. 3, 10. 11.), *exiit glacies?* quis ejus auctor est? quis eam effecit? וּכְפֹר שָׁמַיִם מִי יְלָדוֹ *Et pruinam coeli* quod attinet, *quis generavit eam?*

30. כָּאֶבֶן מַיִם יִתְחַבָּאוּ dictum putant pro מַיִם שֶׁהֵם כָּאֶבֶן יִתְחַבָּאוּ *aquae, quae sunt sicut lapis*, durescentes in morem lapidis, ut jam non aquas, et suae naturae, sed verius lapideae naturae esse dixeris, *abdunt sese*, delitescunt, quia supra nihil aquae apparet, omnibus gelu desuper concretis. Malim cum Schultensio: „*tanquam lapide sese occultant*: allusum suspicor ad originem thematis חָבָא *latuit sub vase opertorio*. Nempe aquae in lapidem duratae, semet sub glacie, ejusque crusta mar-

Digitized by Google

morea, recondunt." וּפְנֵי תְהוֹם יִתְלַכֶּדוּ *Et superficies abyssi constringuntur*, vinculis glacialibus, vasta maria, qua late se fundunt, frigore et gelu quasi vincta attinentur, ut motus et agitatio fluctuum cohibetur. AMMIANUS MARCELLINUS 17, 2. tropo eodem *amnes gelu vinctos* dicit; et HORATIUS (*Epist.* 1, 3, 3.): *Hebrus nivali compede vinctus.*

31. הַתְקַשֵּׁר — תְּפַתֵּחַ *Num colligas vincula Plejadum, aut ligamina Orionis solves?* De כִּימָה et כְּסִיל fere consentiunt, illud *Plejadum* sive *Hyadum* sidus, hoc (כְּסִיל) *Orionem* significare. Vid. quos laudavimus supra ad 9, 9., quibus addendus F. H. AE. SCHNAAR, qui nostrum locum illustravit peculiari Commentatione vernaculo idiomate scripta, Rinteliae, 1791. 4. *Plejades*, כִּימָה (quae sunt septem stellae in cauda Tauri, unde Schnaar totum hunc asterismum nomine hebraeo intelligendum putat), Latinis item dicuntur *Vergiliae*, quod sint veris nunciae, et ortu earum tempus anni redditur amoenum, resoluta terra, et fructibus incipientibus ac herbis revirescere et efflorescere. Hoc esse putant, quod hoc loco מַעֲדַנּוֹת *delicias* nominat, quibus verni temporis amoenitatem ac pulchritudinem significetur. Ita et BEIGELIUS in *den Untersuchungen über den Ursprung und die Bedeutung der Sternnamen*, auctore LUDOV. IDELERO (Berol. 1809.) p. 147. verba nostra sic interpretatur: *ligabisne*, potesne conserere *ornamenta*, monilia gemmata *Plejadum? (kannst du die Brillanten-Rosette der Plejaden zusammenreihn?)* *Nodos Plejadum* memorant Saadi in *Gulist.* p. 22. edit. Gent. et Hafiz in *Specim. Poes. Pers.* p. 70. His oppositum כְּסִיל, *Orionis* sidus, quod ortu suo nimbos et tempestates excitat, unde a Virgilio (*Aeneid.* 1. Vs. 535.) *nimbosus Orion* appellatur, hoc vero loco pro sideribus hybernas tempestates et brumale frigus adferentibus ponatur. Huic sideri tribuuntur מוֹשְׁכוֹת *vincula* (coll. arab. מסך *tenuit apprehensum, retinuit, cohibuit*, unde מָסָכָה *compes*), quibus temporis brumalis rigorem omnia constringentem indicari putant, vi oppositi מַעֲדַנּוֹת, amoenum anni tempus significantis. Hinc Coccejus nostri loci sensum ita expressit: *Tune* vernam apertionem terrae constringis rursus frigore hyberno et hyemis constrictionem verno tempore resolvis? Alii *constringere* pro *retinere*, et *solvere* pro *pellere, amovere* capiunt. Ita Doederlein: „Negat autem *religari* sidera, vel *vinciri* posse; sidera enim exorta non possunt humanis artificiis impediri, quo minus cursum perficiant, vel retineri, ut diutius apud nos morentur, neque *vincula* eorum *solvere* possumus, ut citius abeant, ea inprimis, quae hyemale tempus portendunt." Eundem in sensum collineat Schnaarii explicatio (p. 9. 11. l. c.): tune potes coeli cursum retinere, et retardare, ut amoenum vernum tempus longius producatur? aut coeli circumactum idem poteris accelerare, ut tristis hyems ocius abeat? Nos tamen eorum magis probandam sententiam putamus, qui

Digitized by Google

מַעֲדַנּוֹת *vincula* notare censent, veluti transpositis literis, ut עָדַן idem sit quod עָנַד *ligavit*, certe Talmudicis מַעֲדָנִים pro *vinculis, ligaminibus, nodis* usitatum, vid. BUXTORFII *Lex. Chald. Talm.* p. 1580., et h. l. poscit illum significatum parallelum מוֹשְׁכוֹת. Ita jam Alexandrinus, qui δεσμὸν, et Chaldaeus, qui שִׁירֵי *catenas*, vertit. Et Masora parva ad h. l. vocem מַעֲדַנּוֹת bis (alter locus est 1 Sam. 15, 32.) in diversa significatione occurrere monet. *Vinculorum* notionem commendavit et TINGSTADIUS in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 76. seq., et nostri Versus sensum hunc esse ait: *num vincula, quibus Plejades, vel Orionis stellae junguntur trahunturve, aut ligare aut solvere potes?* מוֹשְׁכוֹת ei sunt *vincula trahentia*, quum de ejusmodi vinculis aut funibus verbum מָשַׁךְ et Jes. 5, 18. dicatur. Similiter Nachmanides hunc locum de illorum siderum habitu et situ explicavit: num tu conjunges stellas Plejadum, quae inter se conjunctae sunt, et non procul a se distant? aut contra vincula dissolves stellarum Orionis, ut a se invicem disgregentur?

32. Nomine מַזָּרוֹת quae sidera, aut quis asterismus significentur, haud liquet. Hebraeorum plerique מַזָּרוֹת volunt idem esse quod מַזָּלוֹת cum Lamed, literarum permutatione, quo nomine, quod tantummodo 2 Reg. 23, 5. legitur (*sustulit suffitum facientes Baali*, לַשֶּׁמֶשׁ וּלְיָרֵחַ וְלַמַּזָּלוֹת וּלְכֹל צְבָא הַשָּׁמָיִם), intelligunt *Planetas* (ab אָזַל *ivit*), praesertim *signa Zodiaci*, unde et recentiores Hebraei Zodiacum גַּלְגַּל הַמַּזָּלוֹת *orbem siderum*, appellant. Cf. LACH *Beytrag zur Oriental. Sternkunde*, in Eichhornii *Biblioth. Literat. bibl.* Vol. VII. p. 449. Apud Astronomos אֲזוֹר הַמַּזָּלוֹת *cingulum signorum coelestium* esse Zodiacum, tradit BUXTORFIUS in *Lexic. Chald. Talmud.* p. 53. Quod adscito significatu hemistichii prioris, הַתּוֹצִיא מַזָּרוֹת בְּעִתּוֹ, sensus hic erit: num unumquodque siderum aut signorum suo proferes tempore, ut in nostro hemisphaerio appareat? Suffixum masculinum singulare ad בְּעִתּוֹ referendum vel ad subaudiendum כָּל־אֶחָד (הַמַּזָּרוֹת) כּוֹכָב *unamquamque stellam siderum*, vel simpliciter ad כֹּל *universitas*, coll. simili constructione Ps. 57, 2. 119, 137. Hieronymus *Luciferum* vertit, qui et Lachio l. c. placuit ob sensum commodum, et quod ipsi sonu affine videtur arabicum *Veneris* nomen, אלזהרה, quod hebraice esset הַזַּהֲרָה. R. Isaacus Israel apud HYDIUM in *Commentar. in Ulugh Beighi tabb. stellar.* p. 60. (in *Syntagm. Dissertatt.* Vol. I.) מַזָּרוֹת contractum existimat pro מַאֲזָרוֹת *cingula*, quo nomine stellas illas, quas Arabes *cingulum Orionis* vocant, designari censet. MICHAELIS in *Suppll.* p. 1497. מִזְרוֹת *coronam borealem*, a נֵזֶר *diadema*, notare conjicit, quae cogitatio et Schnaario (l. c. p. 12.) incidit, ad *ortum cosmicum* illius sideris nostra verba referenti, ut *autumni* initium significetur, quo ipso tempore corona borealis cosmice surgit. בְּעִתּוֹ *Tempore suo*, absolute positum, de *messis tempore*, coll.

Digitized by Google

Ps. 1, 3., intelligit. Integri hemistichii sensum paraphrasi ita expressit: valesne coelum circumagendo illud anni tempus adducere, quo corona in nostro hemisphaerio surgit? i. e. autumnum. Quae sententia tamen artificiosior videtur, quam ut eam a nostro profectam putem. Tingstadius (l. l. ad Vs. 31.) מַזָּרוֹת *plaustrum*, i. e. ursam sive majorem, sive minorem, intelligit, sola Syriaci interpretis auctoritate, qui עגלתא vertit. Alias de nomine illo sententias recensuit, perpenditque HYDE l. l. p. 88. sqq. In altero hemistichio עַיִשׁ ex plurimorum interpretum consensu haud diversum est ab עָשׁ *ursa major*, supra 9, 9., cui sideri Arabes, qui illud נַעַשׁ *feretrum*, appellant, tribuunt בנאת *filias* (ut noster h. l. בָּנִים), quibus intelligunt tres stellas in cauda ursae. Hinc locum nostrum sic interpretantur: *num ursam cum filiis suis*, i. e. stellis, quae ipsam, tanquam matrem sequuntur, *deduces?* עַל *una cum*, ut Gen. 32, 12. Num. 9, 11. 1 Sam. 14, 32. Cf. NOLDII *Concordantt.* p. 551. ed. Tymp. Eodem modo hunc locum explicavit BOCHARTUS *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. 16. T. II. p. 679. edit. Lips., qui et aliorum, veterum praesertim, interpretationes percensuit, quibus et nos quaedam addimus in Notis. Pluribus quoque de עָשׁ et עַיִשׁ egit MICHAELIS in *Supplemm.* p. 1901. sqq. Ei עָשׁ est *ursae sidus*, עַיִשׁ vero, diminutivum (formae Arabicae עֻבַיְרٌ), *ursa minor*. Schnaar, nomina עָשׁ, עַיִשׁ, עַז, *aix*, *Geis*, significatione non diversa opinatus, illud sidus, quod Astronomis *capella cum hoedis* audit, a nostro indicari censet, et verba hebraea sic vertit: *tune capellam potes ad filios suos ducere?* Occasum *acronychum* illius sideris describi putat, qui in ipsum aestatis initium incidat, ut ita duobus hisce Versibus annua quatuor temporum vicissitudo absolvatur.

33. חֻקּוֹת שָׁמַיִם *Nostine statuta coeli*, quae statuta ego coelo et sideribus constitui, tum in situ, tum in motu, tum in operatione eorum. אִם־תָּשִׂים מִשְׁטָרוֹ בָּאָרֶץ *Num constituis dominium ejus* scil. coeli et siderum *in terram*, ita dispositorum, ut super terram inducant frigus et aestum, aestatem et hiemem. מִשְׁטָר, quod hoc solo loco exstat, *praefecturam*, *dominatum* exponunt, collato nomine שִׁטֵר, quod *praefectum*, *dispositorem* denotare, vel hoc arguit, quod Prov. 6, 7. cum קָצִין et מוֹשֵׁל, et Deut. 16, 18. cum שֹׁפְטִים, tanquam similes magistratus, שֹׁטְרִים nominantur. Et Arabibus سَيْطَرَ, cum على constructum, est *praefuit rei ut inspector*, et مُسَيْطِرٌ *praefectus*, *inspector*, *commentariensis*, *qui adnotat*, *quodcunque ad rem curandam aut gerendam spectat*. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 2320. nostrum מִשְׁטָר passive cepit de *legibus*, *coelo scriptis*, *ad quas astra currunt*, quas *astronomiam* dicimus; ממסא *legem* Syrus vertit, nostrumque locum ita explicavit: *tune in terra poteris leges scribere, ad quas astra cursus suos ac motus moderentur?* Sed concinnior videtur sensus antea indicatus. *Dominii* verba cum עַל

Digitized by Google

et ב promiscue construuntur, vid. e. c. Gen. 1, 18. 26. Suffixum ad מִשְׁמְרוֹ est in singulari, etsi ad nomen duale שָׁמַיִם pertineat, unde מִשְׁמְרֵיהֶם dicendum fuerat.

34. הֲתָרִים לָעָב קוֹלֶךָ *Num attolles ad nubem vocem tuam?* jubens illi, ut aquas depluat, ut alterum hemistichium ostendit, וְשִׁפְעַת־מַיִם תְּכַסֶּךָּ *et copia aquarum te operiet?* demissa a nube statim ad jussum tuum? Hoc posterius hemistichium est et supra 22, 11. positum, sed eo loco metaphorice de abundantia calamitatum, quibus Jobus obrueretur.

35. הַתְּשַׁלַּח בְּרָקִים וְיֵלֵכוּ *Num emittes fulgura, et ibunt* scilicet ad nutum tuum, ferentur, quocunque illis jusseris, et quandocunque libuerit, וְיֹאמְרוּ לְךָ הִנֵּנוּ *et dicent tibi, ecce nos!* praesto tibi adsumus ad jussa tua et voluntatem tuam, quoquo nos deferri volueris. Sunt, qui posterius hemistichium exponant de reditu. Ita Hieronymus: *et revertentia dicent tibi: adsumus;* ut postquam Jobi voluntatem expleverint, revertentia dicant: en, tibi paruimus! Sed videntur ita intelligenda esse, ut sint verba fulgurum offerentium sese initio ad faciendum quicquid mandatum fuerit, ut Jes. 6, 8. הִנֵּנִי שְׁלָחֵנִי *eccum me, mitte me.*

36. Plerique interpretes מָחוֹת idem quod כְּלָיוֹת *renes* esse putantes, ut Ps. 51, 8., et שֶׂכְוִי in altero hemistichio opinati notare *intellectum*, coll. Chaldaico סְכָת *spectare, speculari, cogitare*, et מַשְׂכִּיּוֹת לֵבָב *cogitationes cordis*, Ps. 73, 7., hunc Versum ita exponunt: *quis indidit renibus hominis sapientiam? aut quis dedit intellectui scientiam?* Ad quem non offendat medias inter quaestiones de coelestibus et aëreis phaenomenis singula haec de sapientia et intelligendi facultate homini impertita, interrogatio? Quae inconcinnitas tollitur Schultensii interpretatione, מָחָה, coll. arab. מחא et מאח (pro מוח) *vagari, jaculari temere, jaculationem, jactum vagum* exponentis, שֶׂכְוִי vero *φαινόμενον, apparentem subito in aëre rem aliquam*, coll. cognato שְׂכִיּוֹת *spectabiles figurae*, Jes. 2, 16. „Inde emergit hic adspectus seriei congruentissimus: *quis posuit in jactibus vagis* fulminum, tonitruorum, imbrium, *sapientiam*, solidam et firmam rationem, ac legem motus? *et quis dedit φαινομένῳ*, rebus subito apparentibus, et mox disparentibus, *intelligentiam?* ut ita agant, ac si intelligentia pollerent, scirentque, *quando, quomodo* et *quousque*, vires suas exserere debeant?“ Doederlein in Scholiis ad h. l. מחות *occulta* significare conjectans (cf. not. nostr. ad Ps. 51, 8.), prius hemistichium sic vertit: *quis occultis rebus sapientiam indidit?* Oppositum putat in altero hemistichio שֶׂכְוִי *res adspectabiles.* „Omnia servant praefixum terminum, moventur, cohaerent, in communem finem tendunt. Quis igitur, inquit Deus, his rebus sive visibilibus, sive ab aspectu remotis, in quibus tanta intelligentiae vis cernitur, sapientiam indidit?“ Mitto veterum παρερμηνείας, de quibus vid. Bochart *Hieroz.*

Digitized by Google

P. II. L. I. Cap. 16. Tom. II. p. 682. edit. Lips. Cf. MICHAELIS *Supplemm.* p. 1004. et p. 1007.

37. מִי־יְסַפֵּר שְׁחָקִים בְּחָכְמָה *Quis enumerabit nubes cum sapientia?* Quis alius, praeter me, numeratas habet nubes, ut de iis, quocunque modo ipsi libuerit, summa cum sapientia disponere possit? Videtur imago de lustratione militari depromta. Cf. Ps. 147, 4. *Quis stellas numerat nomine quamque suo?* In altero hemistichio, וְנִבְלֵי שָׁמַיִם מִי יַשְׁכִּיב, plures, verbum שָׁכַב *jaciendi, ponendi, collocandi* significatu capientes, vertunt: *quis collocat*, sternit, disponit, *utres coeli?* Alii: *quis demittit?* coll. שִׁכְבַת הַטָּל *descensus roris*, Exod. 16, 13. 14. Sed aptior prodibit sensus adscita significatione arabici סכב *effudit* (unde שִׁכְבַת זֶרַע *effusio seminis*, Levit. 15, 16. 17.), ut sit: *coeli utres quis effudit*, i. e, quis imbrem de coelo demittet in terram e nubibus? eae enim *coelis utres* vocantur, quia in iis aqua coelestis quasi utribus continetur, et ex iis, cum Deo libet, effunditur. Hieronymus: *quis enarrabit coelorum rationem, et concentum coelorum quis dormire faciet?* Retulit נִבְלֵי ad נֵבֶל, quod est organi musici nomen, et haec verba intellexit de summa concordia, qua revolvuntur orbes coelestes, q. d. quis silere faciat admirabilem harmoniam orbium coelestium? Nota est Pythagorica sententia de concentu musico et harmonia coelorum.

38. Hunc Versum junge cum superiori: quis utres effundit, בְּצֶקֶת עָפָר לַמּוּצָק *colliquescendo pulverem in massam fusilem?* ita ut pulvis aridus multo imbre colliquescat in massam fusam. Verbum יָצַק de metallo dicitur, cum igne liquatur, vid. Exod. 25, 12. 38, 27. 1 Reg. 7, 46., et hinc מוּצָק metalli fusa massa, 1 Reg. 7, 16. 23. — וּרְגָבִים יִדְבָּקוּ *Et ut glebae agglutinentur*, divulsae prius siccitate? nam superfuso copioso imbre, dehiscentes prae nimia siccitate terrae partes quodam velut glutine cohaerescunt et uniuntur.

CAP. 39. Hactenus ex praecipuis mundi partibus, et iis quae in aëre fiunt, aut in coelo specialiter, ubi amplior elucescit majestas, et plura admiratione digna, Deus suam admirandam potentiam, sapientiam et providentiam ostendit, qua haec primum a se sint condita, et deinceps regantur; jam transit ad animantia, et in eis singularem suam sapientiam Jobo ita ante oculos proponit, ut agnoscere debeat, ne quidem unius animalis interiorem indolem ipsi perspectam exploratamve esse; unde sponte consequitur, summae esse temeritatis, si homo ad arcana Dei consilia penetrare, aut cum eo congredi, et concertare velit, ut Jobus faciebat.

1. Incipit a *leone*, ferarum rege. הֲתָצוּד לָלָבִיא טָרֶף *Num venaberis leaenae* (ea enim nomine לָבִיא proprie indicatur, vid. BOCHARTI *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. I. T. II. p. 11. edit. Lips.)

Digitized by Google

praedam? Quis illis tantam praedam comparare possit, et cibum, quanto indigent? Et tamen hoc divina fit providentia, ut se intra deserta continentes magna ex parte ibi abunde inveniant, unde alantur. *Leaenam* autem nominat, quod ea, praesertim ubi scymnos habet, est in praedas avidissima. וְחַיַּת כְּפִירִים תְּמַלֵּא *Et appetitum leunculorum implebis?* חַיָּה apparet h. l. eodem modo usurpari, quo haud raro נֶפֶשׁ, quod non tantum *halitum*, *animam*, *vitam*, verum etiam *appetitum* et *desiderium* significat, vid. Ps. 24, 4. 27, 12. 78, 18.

2. Graphice describitur gestus et habitus illarum ferarum in specubus praedae insidiantium. De verbo שׁוּחַ, s. שָׁחַח, propr. *sidit*, *subsidit*, vid. not. ad Ps. 10, 10., ubi itidem adhibetur ad improbi hominis insidiantis habitum describendum. יָשְׁבוּ *Sedent* ad prosiliendum compositi, ut Ps. 10, 8., et Arabibus وَهَبَ est tam *sedit*, quam *saliit*, *insiliit*. סֻכָּה *Tugurium*, *tabernaculum*, de leonis lustro et Ps. 10, 9. Jer. 25, 38. usurpatur. לָמוֹ pro simplici לְ *ad*, ut supra 27, 14.

3. Cf. not. ad Ps. 147, 9.

4. יַעְלֵי־סֶלַע, propr. *ascensores rupis*, esse *ibices*, satis evicit Bochartus l. l. L. III. Cap. 23. T. II. p. 289. sqq. edit. Lips. Cf. libr. nostr. *Bibl. Naturgeschichte*, P. II. p. 205. De momento temporis, quo pariunt, loquitur hoc Versu, quod ignorent homines, ut illis parturientibus opem ferre, aut eas nonnihil sublevare non possint. „Non hic agitur de otiosa et mere speculativa cognitione, sed de ea cognitione, quae Deo propria est, qua res omnes non solum novit, sed et dirigit atque gubernat. Proinde haec hebraea verba, חֹלֶל אַיָּלוֹת תִּשְׁמוֹר *an parturitionem cervarum observasti?* Graeci sic reddunt: ἐφύλαξας δὲ ὠδῖνας ἐλάφων, *custodivistine partus cervarum?* prout שָׁמַר utrumque sonat, *observare*, et *servare*, vel *custodire*. Porro absque Dei custodia, brevi deficeret hoc genus inter mille pericula, quae vel a venatoribus, vel a feris illi imminent, ut ipsas matres taceam foetus suos in discrimen adducere. Quod ad hanc vocem Chrysostomus ita observat: *Recte autem dixit* ἐφύλαξας, custodivisti. *Cum enim hoc animal semper sit in fuga, et metu et formidine, semper saliat et subsultet, quomodo non patitur abortum, sed maturus foetus editur?*“ Bochartus l. c. p. 249.

5. הֲתִסְפּוֹר יְרָחִים תְּמַלֶּאנָה *Numerasne menses, quos implent*, scil. a conceptione ad partum? Hoc referendum est ad statum illud tempus, quod huic generi, prae aliis, a domino naturae est assignatum, q. d. num tu ille es, qui definis menses, quos cervae uterum gestantes observant, facisne, ut tam accurate numerum teneant? Verum alterum hemistichium, וְיָדַעְתָּ עֵת לִדְחֻנָּה *nostine tempus partus earum?* arguere videtur, ignotum fuisse, nostri poetae aetate, aut gente, quod serius, Plinii tempore,

Digitized by Google

exploratum fuit, cervas ineunte autumno concipere, et octonis mensibus partus ferre (Vid. Bochartum, l. c. p. 248.). Redi ad not. supra ad 38, 18.

6. Nostine tempus, quo תִּכְרַעְנָה *sese incurvant*, scil. ad partum, cf. 1 Sam. 4, 19. de uxore Phineis, וַתִּכְרַע וַתֵּלֶד *et incurvavit se et peperit.* יְלָדֵיהֶן תְּפַלַּחְנָה *Natos suos diffundunt*, i. e. fissa et aperta matrice excludunt, in lucem edunt. *Findendi* verba et Arabibus de partu excludendo usurpari, pluribus ostendit Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. Cf. not. ad Bocharti edit. Lips. T. II. p. 252. Verba חֲבָלֵיהֶם תְּשַׁלַּחְנָה *dolores suos emittunt*, plures explicant: a parturiendi doloribus liberantur, foetu suo in lucem edito. Sed חֲבָלִים *dolores partus*, h. l. poetice vocantur *foetus dolore in lucem emissi*, quomodo et a Graecorum Tragicis ὠδῖναϛ usurpatum, Schultensio observante. Ita Euripides Jon. 45. *Λαθραῖον ὠδῖν' εἰϛ Θεοῦ ῥίψαι δόμον. Clandestinum dolorem partus in Dei projicere domum.* Ita Aeschylus Agamemn. Vs. 1427. Ἔθυσεν αὐτοῦ παῖδα, φιλτάτην ἐμοὶ Ὠδῖνα — — *Mactavit suam ipsius natam, charissimum mihi dolorem partus.*

7. יַחְלְמוּ בְּנֵיהֶם יִרְבּוּ בַבָּר *Invalescunt filii eorum, crescunt in agro*, deserto, coll. arab. برّ *ager, campus patens*, Chaldaice בְּבָרָא, quod ab Onkelosо Gen. 24, 31. Exod. 21, 19. pro hebraico בַּחוּץ *foras* positum. *Foras*, i. e. extra lustra, aut spelaea, in quibus mater eos pepererat, aut lactaverat. Eam scilicet relinquunt, naturae quodam instinctu, quam primum ejus opera se posse carere sentiunt. Hoc est, quod in altero hemistichio dicitur: יֵצְאוּ וְלֹא־שָׁבוּ לָמוֹ *egrediuntur nec redeunt ad eas*, ad matres, ut plerique vertunt, quomodo tamen generis erit enallage, quum לָמוֹ sit masculinum. Schultens לָמוֹ ad *hinnulos* refert, *non redeunt sibi*, ut designetur *fiducia*, qua *sibi* jam satis placent, suique juris esse volunt. Sed redundare videtur, ut supra 3, 14. 6, 19 24, 16.

8. De פֶּרֶא *onagro*, fera libertatis amantissima, et prorsus intractabili, vid. Bochartum T. II. p. 214. edit. Lips., et quae nos ibi in notis ex recentioribus historiae naturalis scriptoribus addidimus. Cf. libr. nostr. *Bibl. Naturg.* P. II. p. 158. מִי־שִׁלַּח פֶּרֶא חָפְשִׁי *Quis dimisit onagrum liberum?* ab hominis scil. potestate, ut liber sit et sui juris, nec instar asini domestici mancipatus. Jumenta, et alia animantia, quae homini serviunt, videntur veluti hominum vinculis adstricta; at onager, liber per deserta oberrans, et maxime efferus et indomitus, videtur velut a vinculis solutus. וּמוֹסְרוֹת עָרוֹד מִי פִתֵּחַ *Et vincula feri asini quis solvit?* ut homo in eum non dominetur. Non quod antea in vinculis fuerit, sed quod natura eum sine vinculis esse voluerit. עָרוֹד non est significatione diversum a פֶּרֶא, sed Chaldaeis et Syris magis usitatum *onagri* nomen.

Digitized by Google

9. אֲשֶׁר־שַׂמְתִּי עֲרָבָה בֵּיתוֹ וּמִשְׁכְּנוֹתָיו מְלֵחָה *Cujus domum posui desertum, et habitacula ejus salsuginem.* Constitui ei, ut in deserto versaretur, procul ab hominum habitatione. De מְלֵחָה proprie *salsugo*, hinc *terra salsuginosa*, i. e. sterilis, deserta, vid. not. ad Ps. 107, 34. et Bochart. p. 222.

10. יִשְׂחַק לַהֲמוֹן קִרְיָה *Ridet ad strepitum civitatis*, ei volupe est in desertis vagari, תְּשֻׁאוֹת נוֹגֵשׂ לֹא יִשְׁמָע *strepitus* (supra 36, 29.), clamores, *exactoris non audit*, non curat, ejus scilicet, qui velit ab eo operam et ministerium aliquod exigere, ut a bobus, jumentis, et aliis animantibus, quae sub se habent, solent homines. נוֹגֵשׂ *Exactor*, supra 3, 18., ἐργωδιώκτης, cujus vices erga asinos praestat agaso.

11. Et quamvis homini non serviat, qui in mercedem laboris cibum illi subministret, victus tamen illi abunde suppetit. Quia יְתוּר הָרִים מִרְעֵהוּ *pervestigatio montium pascuum ejus*, id quod per montes hac illac perquirit, est ei pascui et pabuli loco. Amat onager herbidos montes, ut diserte tradit PALLAS in *Actis Academ. Scientiar. Petropolit. pro Ao.* 1777. *Parte poster.* Petropol. 1780. 4. p. 264. יְתוּר nomen formae יְקוּם, יְבוּל, a verbo תּוּר *circuire*, *circumlustrare*, Num. 13, 2. 16. 17. 21. Sed Chaldaeus, qui יְאַלֵּל *explorat*, nec non Alexandrinus, qui κατασκέψεται, et Hieronymus, qui *circumspicit (montes pascuae suae)* vertit, pro verbo habuerunt, formae יְהוּא Cohel. 11, 3., ex more Aramaico.

12. הֲיֹאבֶה רֵים עָבְדֶךָ *Numquid volet oryx servire tibi?* Nomine רֵים, sive, ut alias scribitur, רְאֵם, aut contracte רֵם (Ps. 22, 22.), non *rhinoceros* significatur, ut Hieronymus vertit, sed vel *monoceros*, quomodo Graecus Alexandrinus interpretatus est (vid. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 188. sqq.), vel fera quaedam indomabilis et saeva ex *caprearum* genere, Arabibus רים *Reem*, Graecis ὄρυξ dicta, cujus descriptionem optimam dedit OPPIANUS in *Cyneget.* L. II. Vs. 445. seqq., cf. BOCHARTI *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. 27. T. II. p. 335. sqq. edit. Lips.; quam Bocharti sententiam contra Schultensium, רֵים *bubalum ferum* notare contendentem, nos vindicavimus et magis comprobavimus in uberiore Annotatione p. 365. 366. laudati Operis. Ad *orygis* audaciam et violentiam pertinet, quod apud MARTIALEM *Epigr.* L. XIII, 95. legimus: *Matutinarum non ultima praeda ferarum*, Saevus oryx, *constat*, *quot mihi morte canum?* Et OPPIANUS l. l. Ἔστι δέ τις δρυμοῖσι παρέστιος, ὀξύκερος θὴρ, Ἀγριόθυμος ὄρυξ, κρυερὸς θήρεσσι μάλιστα. *Est quaedam saltibus familiaris, acuto cornu fera, saevus oryx, feris maxime horrendus.* Plura de hujus animalis feritate ex Oppiano dedimus in not. ad Ps. 22, 22., quae si perlegeris, magis percipies vim quaestionis Jobo h. l. propositae, num sit unquam tentaturus alligare hoc animal ad suum praesepe (אִם־יָלִין עַל־אֲבוּסֶךָ *num pernoctabit ad prae-*

Digitized by Google

sepe tuum), ut boves aut jumenta, sibi illud aliorum more subjiciens? Nomine רְאֵם sive רֵים designari *bubalum ferum* cum Schultensio denuo quidem contendit DE WETTE in *Commentar.* ad Ps. 22, 22., cui accessere GESENIUS in *Lexico Hebr.* utroque, et A. TH. HOFFMANN in *Commentar. philol. crit. in Deuter.* 33. s. *Observatt. in difficiliora V. T. loca* p. 52. Quos tamen Viros Doctissimos vix credo satis perpendisse argumenta, quibus Bochartus ex usu loquendi non Arabum tantum, verum et Chaldaeorum probavit, רְאֵם s. רֵים non esse bovili, sed caprini aut cervini generis animal (nam utrumque genus confundere solent, vid. not. nostr. ad Bochart. T. II. p. 233. seq. edit. Lips.). Et de Arabibus quidem nulla est dubitatio. Ii enim רים constanter ad צבי et דזאל *(Gazal)* referunt, quibus nominibus animalia non ex boum, sed ex caprearum seu damarum genere significari, tam certum est, quam quod est certissimum. Chaldaeos vero quod attinet, in Talmudico tractatu *Baba Bathra* Cap. 5. fol. 73. b. nomen אוּרְזִילָא, idem quod arabicum *Gazal* (quod Arabes Mauritani *Rgazal* efferunt, vid. HOESTII *Descript. Fesae et Maroc.* p. 294.), *Ajin* et *Aleph* permutatis, Glossator exponit ראם. Et in Tractatu de *Sacrificiis* (זְבָחִים) Cap. 14. fol. 113. b. in ipso textu Talmudis legitur אורזילא דרימא בת יומא, ubi in Glossa rursus: אורזילא הוא ראם. Ab his non multum recedit Aben-Esra, qui ad Ps. 22, 22. רְאֵם *ibicem* interpretatur, quod animal est capreae congener. Porro quod hoc ipso in quo versamur loco רְאֵם negatur cicurari posse et ad praesepe alligari, non cadit in bubalos, qui, teste RUSSELLIO in *Hist. Nat. Halebae* P. II. p. 6. vers. teuton., in Syria haud aliter ac boves et vaccae in stabulis ali solent, lactis, quod praebent, sapidi causa, adhibenturque et ad arandum. Nemini vero in mentem veniat orygem, animal fugacissimum et saevum, ita cicurare velle, ut aratro inserviat, ut Versu proximo habetur.

13. הֲתִקְשֹׁר־רֵים בְּתַלְמ־עֲבֹתוֹ *Num vincies orygem ad sulcum funis sui?* i. e. ut sulcum agat secundum eum funem, quo tu eum regas? Sunt, qui ante עֲבֹתוֹ repetant ב, ut sit: *num ligabis orygem in sulco fune suo?* Sed phrasis, *sulcus lori ejus*, pro, qui ad lorum moderatoris ducitur recta linea, magis est hebraica. In posteriori hemistichio, אִם־יְשַׂדֵּד עֲמָקִים אַחֲרֶיךָ *num occabit valles post te?* possunt vel *campi*, *planities* intelligi, quomodo עֵמֶק Jos. 17, 16. Jud. 1, 19. ponitur, quod loca plana et depressiora agriculturae magis sunt idonea, quam aspera et confragosa, vel *convalles* vocat porcas in terra factas arando, quibus sulci subsunt demissiores. De שָׂדַד *occare*, ut Jes. 28, 24. Hos. 10, 11. (saepius haud exstat in V. T.), cf. MICHAELIS *Suppll.* p. 2282. Mirum videri possit, cur noster dicat אַחֲרֶיךָ *post te*, i. e. te praeeunte occabitne? quum rusticus non praecedere bovem aratorem, sed subsequi fere soleat. Sed observavit Pineda ex

Digitized by Google

Columella (6, 2.), quum vitulus domandus, et aratro sit assuescendus, esse, qui clava salignea praeeat, ad impetus reluctantis modicis ictibus coercendos; idemque facere quotidie aratores Hispanos, etiam cum ab equis aut mulis terra proscinditur, ut unus antecedat, qui ducat, alter qui sequatur, et stivam teneat.

14. הֲתִבְטַח־בּוֹ *Num fides ei*, quod scilicet tuum opus in agro facere, et pro te arare possit, כִּי־רַב כֹּחוֹ *quia multum est robur ejus*, quod robore valeat, quasi ejus robore possis magna opera et multa facere, ut facis bubus? וְתַעֲזֹב אֵלָיו יְגִיעֶךָ *Et relinques*, permittes, concedes, *ei laborem tuum*, agrum tuum proscindendum?

15. הֲתַאֲמִין בּוֹ כִּי־יָשִׁיב זַרְעֶךָ *Num credes ei, quod reddet semen tuum?* Sunt, qui intelligant, referetne domum segetem tuam ubi demessa fuerit? Sed sensus est potius: putasne illum humum tuam ita apte araturum esse et comparaturum, ut tandem reddat tuam sementem, i. e. ut ex hoc ejus labore et terra ab eo aptata feliciter proveniat ac crescat seges ut tandem demetatur, et in aream comportetur ad triturandum? וְגָרְנְךָ יֶאֱסֹף *Et aream tuam*, i. e. מְלֹא גָרְנְךָ *plenitudinem areae tuae*, sive דָּגַן גָּרְנְךָ *frumentum areae tuae, colliget?* Num imponere ei fruges potes, ut eas ad tuam aream portet? Per haec omnia significat, animantium hanc aut illam et variam naturam ex Dei arbitrio pendere nec homines illam immutare posse.

16. Onagro et qrygi, deserticolis, commode jungitur Arabiae solitudinibus familiaris *struthiocamelus;* nam de eo agi in iis, qui proxime sequuntur, versiculis, omnia quae de illo animali dicuntur, abunde docent, ut copiose ostendit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 16. T. II. p. 847. sqq. ed. Lips., postquam inde a p. 838. alias conjecturas refutasset, quibus commemorandis nos igitur commode poterimus supersedere. Cf. *Bibl. Naturgeschichte* P. II. p. 297. sqq. כְּנַף־רְנָנִים נֶעֱלָסָה *Ala struthionum exsultat;* ex alis et crebra illarum agitatione alacritas struthionum tota pendet. Quamvis enim ad volatum iis sint inutiles, tamen currentes mire juvant, et spirante vento ipsis sunt tanquam vela in navi. Leo Africanus *Descript. Africae* L. IX. Cap. 55. p. 510. edit. Tigur. *In alis pennas habet grandes albi et nigri coloris, quibus volatu inutilis, ad cursum crebra alarum et caudae agitatione juvatur.* רְנָנִים Bochartus (p. 847.) proprie *struthionum feminarum* nomen putat, a רָנַן *clamavit, vociferatus est, cantavit*, quod earum vox magis canora esse dicitur, quam marium; unde et alias יְעֵנִים, aut בְּנוֹת יַעֲנָה, itidem a *vociferando*, עָנָה, vocantur. Et Arabibus struthionis feminae vox זמאר *cantus* appellatur. אִם־אֶבְרָה חֲסִידָה וְנֹצָה *Siquidem ala* tanquam *ala ciconiae et pluma* scil. לָהּ *ei* est, i. e. quae (כָּנָף *ala*) vere ala et pluma est, qualis in ciconia. אִם *Si* h. l. idem valet quod *siquidem, quia*, ut Jer. 23, 38. מַשָּׂא יְהוָה תֹּאמְרוּ לָכֵן כֹּה

Digitized by Google

אָמַר יי *et si*, quia *onus Jovae dicitis*, *ideo sic dicit Jova.* Vid. et Ezech. 35, 6. אֶבְרַת חֲסִידָה concise dictum pro אֶבְרַת לָהּ כְּמוֹ לַחֲסִידָה *ala est ei sicut ciconiae.* Quod autem alam struthionis *pennam* et *plumam* esse dicit, eo pertinet, quod struthio, ut Bocharti verbis utar (p. 852.), „est avis non avis, quae in multis accedit ad naturam quadrupedis. Sic observavit jam Aristoteles *de partibus animalium* L. IV. sub finem, *struthionem quaedam habere avis, quaedam quadrupedis propria;* quod protinus per partes probat. Item Diodorus de Arabia agens L. II. Cap. 50. postquam struthionis naturam descripsisset, eum concludit χερσαῖον καὶ πτηνὸν ἅμα φαίνεσθαι, *terrestrem simul et volucrem videri.* Hinc Plinius scribit *esse paene bestiarum genus.* Et Tertullianus: *bestiae quaedam magis, quam avis.* Cazuinius: *animal compositum ex natura avis et cameli.* Quum igitur hoc animal quadrupedis tam multa habeat, hic describitur cum feris quadrupedibus. Et quia res παράδοξος videri queat, tale animal pennas et plumas habere, ideo proponitur cum hac asseveratione: *vere penna et pluma*, subaudi, illis est. Neque obscurum est, cur non solum pennas habere dicatur, sed et *ciconiae* pennas. Struthio colore pennarum plane ciconiam refert. Marmolius *Africae* L. I. Cap. 23. *In alis et in cauda magnas habet pennas, nigras et albas, ut ciconiae pennas.* Et Scaliger *Exercitat.* 230. *Omnes* (struthiones) *fusco et albo picti sunt, ut mihi dixerunt multi mercatores Africani. Quod ut melius intelligerem, ciconiae colori comparabant.*“

17. Cohaeret hic Versus cum proximo. כִּי־תָעֲזֹב לָאָרֶץ בֵּיצֶיהָ *Si*, quando, *relinquit terrae ova sua.* Quod ipsum afferunt Arabum et historiae naturalis scriptores et poetae, ex quibus multa attulerunt Bochartus, p. 856. et Schultens in Commentar. Ad תַּעֲזֹב est בַּת־הַיַּעֲנָה *struthio femina* (vid. 30, 29.) intelligendum. וְעַל־עָפָר תְּחַמֵּם *Et super pulvere calefacit* scil. בֵּיצֶיהָ, i. e. super pulvere ova sua relinquit calefacienda, fovenda, incubanda. Ad rem facit Leonis Africani locus A. Schultensio allatus: *Habitat* (struthio) *in desertis inaquosis, atque ova numero* 10 *aut* 12 *in arena emittit; ac brevissimae cum sit memoriae, loci confestim obliviscitur. Quare femina in haec ova incidens, sive propria, sive aliena incubat, et calefacit.* Vel pertinent haec verba eo, quod struthionis ova tradunt solo calore solis, aut fotu pulveris excludi, sine matris opera. Quod etsi fabulosum sit (vid. *Bibl. Naturgeschichte* p. 299.) et Bochartus p. 858. recte merum somnium esse pronunciet, tamen potuit poeta communem opinionem sequi.

18. וְתִשְׁכַּח כִּי־רֶגֶל תְּזוּרָהּ *Tunc obliviscitur fore, ut pes ea comprimat*, ita stolidus est, ut non cogitet, fieri posse, ut ova sua, quae humi reliquit, ferarum aut hominum pedibus premantur; quasi illi perinde sit, utrum atterantur, nec ne.

Digitized by Google

19. חָקְשִׁיחַ בָּנֶיהָ *Duriter tractat pullos suos.* Verbum קָשַׁח, praeter hunc locum solum Jes. 63, 17. item in Hiphil obvium, idem significat, quod קָשָׁה (arab. קسי) *durum esse*, coll. arab. قسح *praedurum* et *rigidum* est, unde in Hiphil tam *obdurari*, ut Jesajae loco citato, quam *duriter agere cum aliquo*, ut h. l. „Verbum masculinum חִשְׁקִיחַ pro feminino usurpatur, ex generis enallage Hebraeis frequenti, maxime circa animalia. Ut Jes. 14, 11. תַּחְתֶּיךָ יֻצַּע רִמָּה וּמְכַסֶּיךָ תּוֹלָעַת *sub te sternitur lumbricus et obtegit te vermis;* ubi nomina feminina, sed verba masculina sunt. Contra Exod. 8, 2. (al. 6.) וַתַּעַל הַצְפַרְדֵּעַ *et ascendit rana*, et Vs. 14. (al. 16.) וַתְּהִי הַכִּנָּם *et fuit pediculus*, masculinis nominibus foeminina verba junguntur. Quem esse Scripturae morem, dicit Kimchius in Jesajam, cum non loquitur de hoc vel illo animali, sed עַל דֶּרֶךְ הַכְּלָל, universaliter de tota specie, quomodo hic de struthione. *Pullos suos*, hebraice בָּנֶיהָ *filios suos*, i. e. ova, ex quibus pulli emersissent, si fovisset. Ita filii vocantur δεινοτικῶς. לְלֹא־לָהּ *Ac si sui non essent.* Plenum esset, כַּאֲשֶׁר לֹא יְהוּדוּ לָהּ. Ut Jobi 10, 19. כַּאֲשֶׁר לֹא הָיִיתִי *ac si non fuissem* (Cf. Storrii *Observatt.* p. 287.). Sed in hoc libro stylus quandoque est valde concisus, quia soluta non est oratio, sed stricta. Et huic oppositioni suus est lepos: *filios suos tanquam non suos.* Quale illud Pauli 1 Cor. 7, 30. *Οἱ κλαίοντες ὡς μὴ κλαίοντες, καὶ οἱ χαίροντες ὡς μὴ χαίροντες.* Et Hebr. 11, 27. *Τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν.* לָרִיק יָגִיעָה בְּלִי־פָחַד *Frustra laborat, absque metu* est. *Frustra laborasse* dicuntur matres, quae filios pariunt non victuros. Ut Jes. 65, 23. *Non frustra laborabunt, nec generabunt ad conturbationem.* Ut in Aeschyli Agamemnone propter ablatos pullos dolent vultures *δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες, amisso labore, quem in pullorum nido servando insumpserunt.* Hoc eodem sensu struthionem *frustra laborare* noster scribit, cum ova, a se non sine labore edita, negligit, quia scilicet *absque metu est.* Non sine omni metu: est enim animal timidissimum, indeque natum apud Arabes proverbium: *struthione timidior;* sed hic struthio dicitur esse *metus expers*, quia provido illo timore caret, quo parentes impelluntur ad prospiciendum suis, qui timor ex amore oritur. Sed struthio, quia non amat, ita nec suis timet. Quamprimum e nido excessit, ovorum suorum oblita, alienis eodem affectu, quo propriis, incubat.“ Bochartus.

20. כִּי־הִשָּׁהּ אֱלוֹהַּ חָכְמָה *Quia oblivisci fecit eam Deus sapientiae*, i. e. privavit eam naturali in foetum affectu, quam hic *sapientiam* appellat, ita eam stolidam natura fecit, וְלֹא־חָלַק לָהּ בַּבִּינָה *nec partitus est ei in s. de intelligentia*, i. e. non est ei quicquam intelligentiae impertitus, ut suos foetus curaret, aut adverteret, quid suis ovis ita expositis posset accidere. חָלַק, alias *dividere*, hic *impertiri* significat, ut Deut. 29, 25., et

Digitized by Google

Graece *τέμειν*. Recte igitur h. l. Symmachus: *οὐκ ἔνειμεν αὐτῇ σύνεσιν*, pro eo, quod Alexandrinus: *οὐκ ἐπεμέρισεν αὐτῇ ἐν τῇ συνέσει*, ut Simoni Mago dicitur Actor. 8, 21. *Οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ*. Alia stuporis argumenta in struthione, veluti quod quaecunque se offerunt, ferrum, ossa, prunas, lapides, vorat, quod capite inter frutices abdito putat se totum latere, et quae plura sunt hujus generis, recensuit Bochartus p. 864. seqq., quae tamen a nostro poeta spectata esse vix puto.

21. כְּעֵת בַּמָּרוֹם תַּמְרִיא *Quo tempore in altum sese extollit.* Verbum מָרָא, hoc solo loco obvium, exponunt fere *extollit se*, quasi sit trajectis literis factum ex רָאַם, quod perinde ac רוּם *altum esse* significet. Sane hoc aut tale quicquam notare, arguit contextus. Ita et Alexandrinus, *ὑψώσει*, et Syrus תַּתְרִים *erigit se.* Hieronymus: *alas erigit.* Chaldaeus: מָיְכָא *volat.* Quod Schultens collato arabico مرى *ad vehementiorem cursum scutica incussa adegit equum*, nostrum verbum *ad cursum se incitat* vertit, ideo nequit admitti, quod quum verbi arabici notio primaria sit in *stringendo*, *perstringendo*, unde et de equo dicitur cum *inflictis flagello aut scutica ictibus* ad cursum adigitur, haec *ad cursum incitandi* notio mere est adventitia. Nec in dialectis cognatis verbum מָרָה (quod proprie cum verbo arabico, ultima *Je*, convenit) tale quicquam notat. Retinenda igitur vulgo recepta interpretatio: *cum in altum sese extollit*, i. e. cum venatores ad eum accedunt, e cubili suo exsurgens in altum extollit, quo simul staturae proceritas commendatur, de qua omnes, qui de hac ave scripserunt. Plinius: *altitudinem equitis insidentis equo excedunt.* Plura vid. apud Bochartum T. II. p. 688. Cum igitur a venatoribus excitatus struthio in altum se tollit et fugae se dat, תְּשַׂחֵק לַסּוּס וְלִרֹכְבוֹ *ridet equum et sessorem ejus*, eos cursu vincit, et praeterit celeritate, dum partim currit, partim, adjuvantibus alis, volitat. De summa struthionis velocitate, quae apud Arabes in proverbium abiit (*cursu pollentior quam struthio, invehitur alis struthionis*, de summa levitate cursus), plura collegit Bochartus l. c.

22. Occasione ex equi mentione (Vs. 21.) sumta jam de eo agit, quam admiranda sit ejus natura. Sed in virtute ejus bellica maxime immoratur. Hoc autem nemini est adscribendum, nisi Deo ipsi, quod tam ferox animans homini subjecit, ut eo proelia obire possit. Cum nostro poeta in quibusdam convenit VIRGILIUS *Georg.* 3, 75. sqq. Utramque, vatis Hebraei et Romani, descriptionem illustravit GODOFR. LESS, Theologus quondam Gottingensis, in peculiari Commentatione quae legitur in Ejus *Scriptorum variorum Syllage (Vermischte Schriften*, Goetting. 1782. 8.) P. I. p. 1. seqq. Versionibus antiquis hujus pericopae illustrandis et emendandis operam utilissimam impendit JOA. GOTTL. KREYSSIG

Digitized by Google

in *Observatt. Philologico-Criticis in Jobi Cap.* 39. Vs. 19—25. Lips. 1802. 8. Dedita opera et valde copiose tractarunt locum nostrum Arn. Bootius *Animadverss. Sacrr. ad textum hebr. V. T.* (Londin. 1644. 4.) Lib. III. Cap. 6—11. p. 57—110. et Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 8. T. I. p. 58—110. edit. Lips. הֲתַלְבִּישׁ צַוָּארוֹ רַעְמָה *Num indues collum ejus tonitruo?* Sic equi fremitum et hinnitum vehementiorem appellat. *Colli* meminit, quod e collo hinnitus prorumpat in equo. רַעְמָה i. q. רַעַם *tonitru*, cum ה paragogico. Bootii sententiam, Bocharto quoque probatam, nomine רַעְמָה *jubam* significari a רָעַם, quod Aramaeis non solum *tonare*, sed et *altum esse* notat, ut רוּם, et in Aphel *extollere*, unde *juba* רַעְמָה dicta sit, a situ, quomodo Graece λοφίη, quia est ἐν τῷ λόφῳ, *in vertice*, i. e. in summa parte colli et capitis, idoneis argumentis refutavit Schultensius, quorum vel primum sat habet ponderis, quum poeta non tam in sola equi forma et pulchritudine depingenda, sed maxime in *fortitudine* ejus *bellica* praedicanda versetur, quam in priore hemistichio nomine גְּבוּרָה designet, non satis cohaesura duo incisa, si רַעְמָה simpliciter *jubam* notet. Schultensius vero ipse nostra verba sic vertit: *convestis cervicem ejus tremore alacri.* Docet nimirum, radicis רָעַם significationem primariam eandem esse, quae רָעַד, *tremuit.* Inde adducta formula Arabica ארעדת פראיצי *intremuere interscapilia mea*, et laudatis Gienharii verbis, פריצה *vocatur particula carnis inter caput et scapulam, quae non cessat tremere in equo;* ex his omnibus conficit, nostro loco indicari affectionem illam tremulam, quae in cervicibus equi conspicitur, eaque quasi indutum ejus collum dici, haud secus, atque militari ornamento: adeoque *collum ejus induis tremore* indicare tremulum illum, et alacritatis plenum motum, quo genus equinum prae reliquis distinctum, circa interscapilia et carnem, inter humerum collumque. In quam tamen interpretationem rectissime Bouillier *Observatt. Miscell.* p. 392. „Nescio quid aliis videatur; at meo saltem judicio operosus ille eruditionis Arabicae apparatus tantum ab illustrando loco abest, ut potius nobilis figurae splendorem offuscet atque oblitteret. Si enim, misso Arabismo, רַעְמָה ex communi usu per *tonitru* interpreteris, tropum habes splendidissimum, reique sic appositum, ut nihil supra. Si equum generosum et bellacem cogites, ardua cervice, crispante juba superbientem, simul, vibrantibus colli musculis, pugnam provocantem, atque cum hinnitu ignes naribus efflantem, quis neget, aptissima figura collum ejus tonitru velut amictum repraesentari?"

23. הֲתַרְעִישֶׁנּוּ כָּאַרְבֶּה *An fecisti, ut moveretur sicut locusta?* id est, ut saltaret locustae ad instar. Sic Chaldaeus Paraphrastes Jer. 51, 27. דִּיהוֹן סָלְקִין סוּסְוָתְהוֹן מְפַנְּכִין הָא כַּזַּחֲלָא *quorum equi ascendunt saltantes ut locustae.* Id Arabice חַרְגַּל uno verbo dixeris, eoque maxime proprio. Nam Hebraice חַרְגֹּל

Digitized by Google

locusta est, et Arabice חַרְגֹּל *locusturum agmen*. Unde גִּלְבַּרְתִּם אַלְהָרֵם *saltavit equus*, scilicet more locustae, quam animal esse πηδητικόν, et a saltu *salterellam* lingua vernacula dici, etiam vulgo notum est. Neque videri debet insolens, quod generali *motus* nomine saltus equi significatur. Nam et Graece σκαίρειν dicitur equus, qui solo insultat. — Ut igitur σκαίρειν primo *moveri*, deinde etiam *saltare* significat, idque de equo, ita etiam Hebraeum רָקַד, ut ex hoc loco apparet. Et R. Salomo recte omnino hic habet: מדלג כארבה ומקפץ *insultat et salit, ut locusta*. Quae similitudo docet, non agi solum de equi elatione in pedes posteriores, sed de pleno saltu, quo totus equus, locustae instar, in sublime fertur. Graece ἀναπηδᾶν, et σκιρτᾶν, et ἀνασκιρτᾶν, Latine *insultare* dixeris. Significatur ille equi saltus, qui ad pompam pertinet, cum plano solo ideo insultat, ut agilitatis suae specimen edat, et detineat spectantium oculos. BOCHARTUS. Alii reddunt: *Numquid terrebis eum sicut locustam?* Alii item: *An facies, ut strepat sicut locusta?* Sed utramque interpretationem merito rejecit Bootius. Illam, quia הַרְעִישׁ nusquam est *terrere*, sed *quatere* et *commovere*. Hanc, quia, utut nomen רַעַשׁ quandoque *strepitum* sonet, et verbum יִרְעַשׁ *strepet*, Ps. 72, 16.; tamen haec significatio praesenti loco non quadrat. Locustas enim licet Plinius *tanto penarum stridore volare* dicat, *ut alites credantur*; illarum tamen stridor haudquaquam conferri potest cum eo sono, quem excitant equi quadrupedantes. Praeterea non confertur hic equorum agmen cum nube locustarum, gregatim volantium, sed comparatur unus equus uni locustae, nempe motus ratione, non soni, quem singulae non excitant, nisi valde exilem. הוֹד נַחְרוֹ אֵימָה *Majestas fremitus ejus terror*, sive *terrori*, *est*, vehemens sonitus, quem naribus sternutans edit, terrorem affert omnibus, qui audiunt. De magnifico tonitrus sonitu הוֹד dicitur Jes. 30, 30. — נַחַר h. l. neque *pectus* significare, quemadmodum Alexandrinus vertit, neque *nares*, quae potius נְחִירַיִם sonant, sed idem esse quod נַחֲרַת *equi fremitus*, Jerem. 8, 16., abunde probavit Bochartus. Jerosolymitae verba sunt: *E Dane auditur* נַחֲרָה סוּסָיו *fremitus equorum ejus, voce hinnitum faciunt* equorum *ejus, concutitur universa terra*. Ubi res ipsa docet, נַחֲרָה esse *fremitum*, sive sonum, qui תְּנוּחֵי חוֹטֶם *in naribus equi*, formatur, qui Graecis φρυαγμός, de qua voce Tzetzes in Lycophronem: *Οὐκ ἔστι δὲ φρυαγμὸς ὁ χρεμετισμὸς* (hinnitus), *ἀλλ' ὁ ἀπὸ τῶν ῥινῶν τῶν ἵππων ἐκπεμπόμενος ἦχος, ὅταν γαυριῶσι*. Huc facit, quod Chaldaeum et Syrum verbum נָחַר, et harmonicum Arabicum, ῥέγχειν, *stertere*, significant, et *naribus sonum edere*. VIRGILIUS *Georgg.* III. Vs. 85. *Tum si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit; micat auribus, et tremit artus, Collectumque fremens volvit sub naribus ignem.* Idem de equo in ipsa pugna *Aeneid.* XI, 496. *Emicat, arrectisque fremit cervicibus.* Apud Lucretium Lib.

Digitized by Google

V, 1075. hinnit equus, *Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma.*

24. יַחְפְּרוּ בָעֵמֶק *Fodiunt in valle.* „Quae numeri est enallage, Hebraeis familiaris. Maxime, cum, quod de uno dicitur, extenditur ad plures, ut hic *equi* nomine significentur equi nobiles et bellicosi, quotquot sunt. Sic Ps. 14, 1. *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Corrupti sunt* etc. Ideo mutatur numerus, quia de singulari homine res non est, sed de pluribus. Alii: *fodiunt in valle*, subaudi *pedes ejus*, sed sine exemplo paris ἐλλείψεως. R. Salomo יַחְפְּרוּ *fodiunt*, i. e. explorant, quomodo sumitur Deut. 1, 22., et ad equites refert, qui in vallibus insidiantur; quod videtur longe petitum. Omnino de equis agitur, qui, si sunt animosi, ungulae crebro motu terram fodiunt atque atterunt.“ Bochartus. Hinc inter nobilis equi notas Virgilius *Georg.* III, 87. 88. et hanc affert: — — *cavatque Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.* Et Apollonius L. III. *Argonauticon: Ὡς δ' ὅτ' ἀρηΐος ἵππος, ἐελμένος πολέμοιο, Σπαρθμῷ ἐπιχρεμέθων κρούει πέδον. Ut bellator equus, pugnae succensa amore, hinnit humumque gravi pulsat pede.* Ceterum בָעֵמֶק *in valle* fodere legitur equus, i. e. in campo, planitie, ut Jos. 18, 16. Jud. 1, 19., quia planis et campestribus locis equi maxime gaudent. Recte igitur Alexandrinus: *ἀνορύσσων ἐν πεδίῳ.* Sunt, qui עֵמֶק *scrobem* intelligant, quam ungula sua fodit equus, quod merito improbatum Bocharto, cum quia עֵמֶק *vallis*, ea notione nusquam occurrit, tum, quia, si *vallis* pro *scrobe* hic esset, equum vates dixisset fodere עֵמֶק *vallem*, non, fodere בָּעֵמֶק *in valle.* Verba וְיָשִׂישׂ בְּכֹחַ plerique vertunt: *robore suo exultat*, sensu sane idoneo; sed quum in Hebraeo non additum sit suffixum, videtur potius reddendum: *exultat cum robore*, quod non infeliciter expressit Hieronymus: *exultat audacter.* Et Lutherus: *und ist freudig mit Kraft.* Alexandrinus: *γαυριᾷ ἐν ἰσχύϊ*, quem aptissime usum esse verbo *γαυριᾶν*, quod proprie *exsultare cum aliquo sensu gloriae* significat, praecipue vero de equis generosis usurpatur, prae alacritate exsultantibus, ostendit pluribus Bochartus p. 77. seqq. יֵצֵא לִקְרַאת־נָשֶׁק *Prodit in occursum armorum*, adversis armis se infert, et in medias acies ruit. Ita et Oppianus *Cyneget.* p. 204. equum dicit *Ὅπλοις ἀντιάαν, πυκινὴν ῥῆξαί τε φάλαγγα, Occurrere armis, mediosque irrumpere in hostes.* יָצָא verbum bellicum, vid. e. c. Num. 21, 23. Jos. 8, 14., cujus vim bene expressit Lutherus: *und zeucht aus den Geharnischten entgegen.*

25. יִשְׂחַק לְפַחַד וְלֹא יֵחָת *Ridet ad pavorem, nec percellitur*, contemnit, quae hominibus formidolosa sunt, arma et acies. וְלֹא יָשׁוּב מִפְּנֵי־חָרֶב *Nec redit a conspectu gladii*, non retrocedit, cum arma videt et conflictum, sed alacer in medias acies irrumpit. מִפְּנֵי־חָרֶב potest et *metu gladii* reddi, quod significat supra 19, 29. Levit. 26, 37. Jes. 21, 15. 31, 8. Thren. 5, 9.

Digitized by Google

26. עָלָיו תִּרְנֶּה אַשְׁפָּה *Super eum stridet pharetra*, dum scilicet sagittae in pharetra, quam eques gestat, inter se collisae inter currendum strepitum edunt. Alii עָלָיו vertunt *in eum* s. *adversus eum*, ut supra 13, 26. 21, 26. 31, 38. Quod praefert quoque Bochartus, quia equum non perculli armorum equitis sui stridore, tantum non sit fortitudinis ejus indicium, quam si hostilium strepitu non terreatur. Verbum רָנָה convenit cum cognato רָנַן *clangorem*, *stridorem edidit*, quod apud Arabes de stridore arcus usurpatur, cum sagitta excutitur, adeoque hic vel maxime proprie adhibetur. *Pharetra* dicitur *stridere* per metonymiam continentis pro contento, nam intelligendae sunt *sagittae*, quas בְּנֵי אַשְׁפָּה *filias pharetrae*, vocat Jeremias Thren. 3, 13. לַהַב חֲנִית וְכִידוֹן *Flamma*, i. e. vel *fulgor*, collata synonyma phrasi Habac. 3, 11. (בָּרָק חֲנִית), vel *mucro hastae*, qui ita appellatus esse possit, quod ut flamma tenuatur, et in acumen desinit. כִּידוֹן esse *lanceam*, multis probavit Bochartus p. 86. sqq.

27. בְּרַעַשׁ וְרֹגֶז יְגַמֵּא־אֶרֶץ *Cum motione et concussione sorbet terram*, i. e. terram movendo et quatiendo deglutit *quasi*, celeritate cursus sui. Motio enim et concussio intelligenda h. l. non qua movetur equus, sed qua movetur et quatitur terra sub equi currentis pedibus. Nempe רַעַשׁ et רֹגֶז, ut hoc loco simul juncta, fere de motu terrae usurpantur, ut Ps. 77, 19. Jes. 14, 16. Verbum יְגַמֵּא quidam *fodit* reddunt, coll. Chaldaico גּוּמָא *fovea*. Cui interpretationi recte opposuit Bochartus (p. 98.): „Etsi verbum גָּמָא sono alludat ad nomen גּוּמָא *fossa*, tamen *fodere* nusquam significat. Quin גָּמָא et גּוּמָא sunt voces diversae linguae, notionis et originis. Verbum גָּמָא mere Hebraeum est, sed nomen גּוּמָא mere Chaldaeum. *Aleph* in גָּמָא radicale est, sed in גּוּמָא servile, et pertinet ad formam nominis, sive radix sit גּוּם, sive גָּמַם, quod ultimum puto verius, quia Arabice גַּמּוּת est *lacuna*, et verbum גמם de aquis, *in unum colligi*. At גָּמָא est *sorbere*. Exstat in Hiphil Gen. 24, 17., ubi Abrahae servus Rebeccae dicit, הַגְמִיאִינִי *fac me sorbere*, vel, *da mihi sorbendum aliquantum aquae ex hydria tua*. Etsi alibi non reperiatur in V. T., tamen significatio certa est, cum, quia sermonis series docet, ita reddendum, tum, quia servus ipse, suamet verba repetens Vs. 43. pro הַגְמִיאִינִי dicit הַשְׁקִינִי, *da mihi bibendum*. *Aleph* et *Ajin* permutatis Chaldaei pro גָּמָא scribunt גָּמַע. Sic Job. 39, 33. in Targum, ubi de aquila אפרוחוי גָּמְעִין אִדְמָא *pulli ejus sorbent sanguinem*.“ Loca alia ex Talmude apud Bochartum ipsum et in Buxtorfii *Lexico Chald. Talmud.* p. 450. legi possunt. Quod igitur noster equum dicit *sorbere terram*, cursus pernicitatem et vehementiam indicat. Equum depingit, qui, cum impetu in proelium ruens, campum iuterjectum quatit, et vorat quasi, id est, pernicitate sua tam rapide decurrit, atque emetitur, ut devorasse videatur, et uno haustu absorpsisse. Eadem figura Arabes

Digitized by Google

dicere solent אלחתם אלפרס אלארץ *deglutivit equus terram*, pro, *celerrimo cursu eam rapuit.* Hinc להים *velox et acer equus*, quasi *deglutiens terram.* Plura dabunt Bochart. p. 99. et Schultens ad h. l., qui et observant, nec Latinis poetis inusitatum esse, equos dicere *rapere*, *consumere*, *carpere terram.* Sic Virgilius *Georg.* III, 143. equas ait *acri carpere prata fuga.* Et Silius L. III. Vs. 308. *campumque volatu cum rapuere, pedum frustra vestigia quaeras.* Alterum hemistichium, וְלֹא יַאֲמִין כִּי־קוֹל שׁוֹפָר *neque credit, quod sonus tubae* sit, plerique sic intelligunt, equum bellicum proelii cupiditate ita ardere, et ad tubae clangorem ita affici, ut prae gaudio non credat tubam sonare. Alii: nec videtur credere, tubam esse, quae sonat, q. d. nihili facit clangorem tubae. Mallem cum Bocharto: *non consistit firmus, cum tubae sonitus* auditur. Hiphil, יַאֲמִין, observat h. l. idem esse quod Niphal, יֵאָמֵן, ut supra 15, 31. de impio dicitur, אַל־יַאֲמִין *non stabilis erit.* Sensus est, equum bellicum, audito classico, ita accendi, ut cohiberi non possit amplius, quo minus in pugnam ruat. Ut Virgilius loco supra ad Vs. 23. allato, equum canit armorum sono audito, *stare loco nescire.* Loca similia alia e poetis attulit Bochartus T. I. p. 106. edit. Lips.

28. בְּדֵי שֹׁפָר pro בְּקוֹל שֹׁפָר, nam דֵי est mera syllabica adjectio, ut Jer. 51, 58., quale כְּדֵי et מִדֵּי Jer. 20, 8. 31, 20. pro simplicibus כְּ et מִן. Sine argumento idoneo Hebraei interpretantur: *in sufficientia tubae*, i. e. cum abunde auditur tubae clangor. יֹאמַר הָאָח *Dicit evax!* gestit, et exultat, audito tubae sono, quomodo homines, cum dicunt: *evax!* הָאָח passim est insultantis interjectio, ut Ps. 31, 21. 25., et dolentis, ut Ezech. 6, 11., verum et laetantis, ut Jes. 44, 16. וּמֵרָחֹק יָרִיחַ מִלְחָמָה *Et eminus odoratur pugnam*, quomodo Plinius 8, 42., de equis: *Iidem praesagiunt pugnam.* Sic *odor* pro sensu in genere, supra 14, 9. Jud. 16, 9., et *odorari quid futurum sit*, apud Ciceronem. Describitur animosi equi gestus, quando ronchos ducit et sternutat, quasi e longinquo aliquod odoretur, ad quod libenter procurreret. רַעַם שָׂרִים וּתְרוּעָה *Fremitum principum et clamorem* sc. eminus sentit. Alii, ut Bochartus, subaudito מ ante רַעַם, *ex fremitu et clamore* sentit praelium. רַעַם *Tonitru, fremitum*, vocat vel armorum fragorem, cum hastae et clypei comploduntur, qui *ducibus* (שָׂרִים) tribuitur, ut auctoribus; vel quodvis futuri praelii vocale signum; nam ducum signa etiam ab equis intelligi, docet illud Oppiani a Bocharto allatum ex L. l. *Cyneget.* Καὶ μάθεν εἰσαΐειν κρατερῶν σύνθημα λοχαγῶν, *atque audire ducum discit vocalia signa.* תְּרוּעָה *Vociferatio* h. l. indicat barritum et conclamationem bellicam universi exercitus, quo animum suis addere, hostibus autem terrorem incutere solent, ut Jos. 6, 5.

29. הֲמִבִּינָתְךָ *Num ex intelligentia tua*, i. e. tua providentia et arbitratu, יַאֲבֶר־נֵץ יִפְרֹשׂ כְּנָפָיו לְתֵימָן *volat accipiter*,

Digitized by Google

expandit alas suas ad austrum? s. austrum versus. Hoc quidam eo referunt, quod ingruente hyeme accipiter instinctu naturali a Deo ipsi indito calidum aerem quaerens, ad australes plagas avolare solet. Alii, יְאַבֵּר *plumescit* vertentes, haec ad ψιλόσιν accipitris referunt; cum abjectis veteribus plumis novae ei succrescunt, quo tempore calidiorem coeli partem, austrum versus, petere dicuntur. Sed אֶבְרָה non *plumam*, verum *pennam majorem* denotat, qua in altum volando enititur avis. נֵץ *accipitrem* notare, et nomen a נָצַח *volare* naetùm esse, quod ea avis volatu maxime praestat, pluribus probavit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. II. Cap. 19. T. III. p. 5. sqq. edit. Lips.

30. אִם־עַל־פִּיךָ יְגַבִּיהַּ נָשֶׁר *Num juxta os tuum*, tuo jussu et mandato, *attollet se aquila?* sublimi volatu, quo volucribus ceteris omnibus antecellit. Et num ad mandatum tuum factum, כִּי יְרִים קִנּוֹ *quod extollit nidum suum?* altissimis montium cacuminibus nidum suum ponat. Vid. Bochartum l. c. T. II. p. 754. seq. edit. Lips., et cf. Obad. 4. Ego, inquit Deus, ei hanc naturam indidi, ut, sicut struthio (quemadmodum supra dictum est) humi nidulatur, sic aquila contra in excelsis nidum collocet, et altius volet. Ex hac tanta naturae avium et animantium diversitate mira Dei providentia et potentia ostenditur, nobis stupenda, quum ejus rei causam non videamus.

31. סֶלַע יִשְׁכֹּן *Petram inhabitat*, sic verbum שָׁכַן cum nomine sine praepositione jungitur etiam Deut. 33, 16. Jer. 17, 16. Ps. 68, 7. וְיִתְלַנָּן עַל־שֶׁן־סֶלַע וּמְצוּדָה *Et pernoctat*, commoratur, *super dentem*, prominentiam, *rupis et arcis*, in prominentibus rupium, et propugnaculis editis et praeruptis. מְצוּדָה potes exponere, עַל repetito, *super arcem*. Intelligitur autem arx naturalis, non arte hominum facta, rupes scilicet celsa et praerupta, suapte natura munita et valida. Similiter *arces* pro *montibus* Virgilio in illo *Georg.* II. 535. de Roma urbe: *Septemque una sibi muro circumdedit arces.* Aristoteles *Hist. Animal.* L. IX. c. 32. Ποιοῦνται δὲ αὐτὰς (νεοττίας) οὐκ ἐν πεδινοῖς τόποις, ἀλλ' ἐν ὑψηλοῖς μάλιστα μὲν, καὶ ἐν πέτραις ἀποκρήμνοις.

32. מִשָּׁם חָפַר אֹכֶל *Inde*, a celsis petris et praeruptis rupibus, ubi habitat, *pervestigat cibum.* חָפַר proprie *fodit*, sed quia qui fodiunt velut terrae viscera pervestigant, hinc verbum fodiendi pro explorare et scrutari sumitur, vid. Deut. I, 22. Jos. 2, 2. 3. Cujusmodi metaphora et est in *rimandi* verbo. לְמֵרָחֹק עֵינָיו יַבִּיטוּ *Eminus oculi ejus prospiciunt.* Nullum enim animal aquila est perspicacius. Homerus *Iliad.* ρ Vs. 674. ὡς τ' αἰετὸς, ὃν ῥά θ' ὅσ φασιν Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν, Isidorus *Orig.* L. XII. c. 7. *Tanti contuitus esse dicitur, ut, cum super maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta sublimitate pisciculos natare videat.* Plura Bochartus p. 756. dabit.

Digitized by Google

33. וְאֶפְרֹחָיו יְעַלְעוּ־דָם *Et pulli ejus sorbent sanguinem*, nempe ex praeda, quam mater in nidum defert. Aelianus *Hist. Animal.* X, 14. *Σαρκῶν δὲ ἥδεται βορᾷ. καὶ πίνει αἷμα, καὶ τὰ νεόττια ἐκτρέφει.* Hoc autem in aquilarum natura summopere admirandum est, quod haec eis truculentia sit natura indita praeter aves ceteras, ut non aquam bibant (vid. Bochart. p. 757.), sed sanguinem sorbeant, et quod eâdem naturâ, jam inde ex quo sunt editi, pulli earum sint praediti, ut cadaverum sanguinem exsugant. יְעַלְעוּ Schultens ad radicem עלל referendum existimat, quae arabice est *iterato bibere*, unde forma quadrilitera, יעלעלו *affatim bibunt ad satietatem;* inde extrito ל exire possit יְעַלְעוּ. Tale est גלגותא *Golgatha*, pro *Golgolta*, *cranium*. Addit tamen: „omnium simplicissimum fuerit, thema עלע statuere, et quidem *ὀνοματοποιημένον*, quale ולע, *inserta lingua in aquam, eaque motitata, lambere*, et *sorbere*. Id Hebraeis יָלַק, et לָקַק in *canibus, aliisque*." Quicquid de origine, et formatione vocis statuas, eam *sorbere* aut tale quicquam notare, vix dubium videtur, poscente contextu eam notionem. וּבַאֲשֶׁר חֲלָלִים שָׁם הוּא *Et ubi sunt confossi*, pecisi, *ibi illa* adest, eo convolat, cf. Matth. 24, 28. Luc. 17, 37. חֲלָלִים *Confossi*, i. e. occisorum cadavera, non de hominibus tantum, sed et de quibuscunque animantibus dicitur, ut Graece *τραυματίαι*. Sunt quidem, qui aquilarum genus ullo modo cadavera attingere negent; verum id minime de omnibus et singulis aquilarum speciebus valere, ostensum a Bocharto T. II. p. 758, et a nobis in nota eidem pag. subjecta.

Digitized by Google

DEUS.

Cap. 40. 41.

Jobus, qui antea saepius non sine jactantia dixerat, se, si modo judex adesset, hilari animo causam velle dicere et gravissimis fulcire argumentis, nunc Dei majestate perculsus ne verbulum quidem profert. Provocatus autem a Deo (Vs. 2.), timide respondet (Vs. 4.), se nimis humilem esse atque abjectum, quam ut audere posset, causam cum Jova agere; se semel bisve tam praecipitanter et temerarie egisse, non amplius facturum. Ut tamen plane coargueretur et convinceretur, et si quid forte adhuc scrupuli in ejus animo resederit, id nunc omnino eximatur, Deus denuo sermonem instituens, postquam iisdem plane verbis, quibus supra 38, 2. usus fuerat, iterum eum excitasset, ut se ad novum certamen comparet (Vs. 7.), primo ejus temeritatem castigat, quod in sua innocentia tuenda adversum socios immodicus fuisset, adeo ut Dei justitiae detrahere videretur, quasi is praeter meritum innocentes aeque ac sontes et impios, affligere soleat (Vs. 8.). Ut vero eo magis sentiat Jobus, quam parum ipsum deceat, Deum, tanquam sibi parem, secum in certamen vocare, iterum aliquot quaestionibus Deus illi proponit summam suam potentiam et sublimitatem in deprimendis elatis et improbis, et ex adverso hominis imbecillitatem (Vs. 9—14.), quibus descriptionem subjungit duarum immanium et portentosarum beluarum aquatilium, hippopotami (Vs. 15—24.), et crocodili (25—32. 41, 1—26.), in quibus Dei potentia et providentia mirifica maxima eluceat. Ex quibus omnibus sponte consequitur, satius esse homini, tanto sese numini sine obmurmuratione submittere, et quae demum cunque nobis immittat, aequo et placido animo suscipere, quam cum illo velle contendere, aut poscere, ut suorum nobis reddat consiliorum et factorum rationem.

Cap. 40, 2. הֲרִב עִם־שַׁדַּי יִסּוֹר *Num contendendo* scil. contendet *cum Omnipotente castigator?* corripiet eum? Num qui audet cum Deo contendere, ut tu, Jobe, eum poterit injustitiae

Digitized by Google

arguere, aut quicquam in ulla earum rerum, quas fecit, reprehendere? יִסּוֹר *Castigator*, ad formam גִּבּוֹר *potens*, שִׁכּוֹר *ebrius*, i. q. יֹסֵר *castigans*, Prov. 9, 7., ubi in altero hemistichio respondet מוֹכִיחַ *redarguens*, quae et Ps. 94, 10. juncta reperiuntur. רֹב Infinitivus Kal verbi רוּב, i. q. רִיב *contendere* cum aliquo. Eadem h. l. est verbi רוּב cum עִם constructio, quae Jud. 11, 25. הֲרֹב רָב עִם־יִשְׂרָאֵל *num litigando litigavit* (rex Moabi) *cum Israele?* Hieronymus: *numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit?* יִסּוֹר cepit pro יָסוּר *recedet*, ut ironice dicat in Jobum, falso eum scommate perurens: itane is qui cum Deo disceptationem instituerat tanta audacia, tam facile nunc recedit, et conquiescit, desistit primo hoc certamine? Sensus satis aptus, et quod sequitur, pulchre quadrabit. Ad verbum סוּר *recedere*, nostrum יסור et Alexandrinus retulit: *μὴ κρίσιν μετὰ ἱκανοῦ ἐκκλίνει;* Alterum hemistichium: מוֹכִיחַ אֱלוֹהַּ יַעֲנֶנָּה sunt qui interrogative exponant: *qui Deum arguit, num respondebit ad illud?* Sed efficacius adversus Jobum videtur, si legas sine interrogatione: *arguens Deum respondeat ad illud*, ad unum scilicet horum, quae a me sunt proposita. Tuum est, o Jobe, qui tam audacter mecum disceptare postularas, ad haec respondere, si quid potes aut habes, vel, si non potes, assentiri, et te victum fateri.

4. קַלֹּתִי *Vilis sum* et abjectus, quomodo verbum קָלַל et Gen. 16, 4. 5. 1 Sam. 2, 30. 2 Sam. 6, 22. 19, 44. usurpatur. Alii, quia verbum hoc in Kal *festinationem* et *celeritatem* notat, ut Jerem. 4, 13. supra 9, 25., festinationem h. l. pro *temeritate* sumunt, ut sensus sit: *praecipitanter, temere egi.* Nos prius illud praeferimus. מָה אֲשִׁיבֶךָ *Quid tibi respondeam?* cujus tanta est majestas, ita stupenda opera? יָדִי שַׂמְתִּי לְמוֹ־פִי *Manum meam impono ori meo*, tantum abest, ut respondere possim, ut tacitus conquiescam manum ori admovens, nihil habens quod dicam, me victum et culpam meam agnoscens. *Manum ori imponere* gestus prae admiratione et stupore silentium sibi imponentis, ut supra 21, 5. 29, 9. Jud. 18, 19. In לְמוֹ est מוֹ adjectio syllabica, ut in כְּמוֹ *sicut*, ut לְמוֹ־פִי nihil sit amplius, quam לְפִי. „Mirifice placet poeta, quod Jobum non perseverantem in illa jactantia, sed animo demisso verba precantia jungentem fecit: egregie enim expressit humanum ingenium, absente potentiori ferociens; praesente, mansuetum et cicuratum.“ ILGEN *Jobi Nat. et Indol.* p. 199.

5. אַחַת דִּבַּרְתִּי וְלֹא אֶעֱנֶה *Semel loquutus sum* scil. de te et in te imperite et inconsiderate, *sed non respondebo* ultra, scilicet ita, ut me meaque verba defendam. שְׁתַּיִם *Bis*, vel *secunda vice*, semel iterumque scil. דִּבַּרְתִּי *loquutus sum* improvide et impatienter, וְלֹא אוֹסִיף *sed non addam*, non amplius committam, ut talia jactem aut effundam temere, jam meam culpam et imprudentiam a te abunde edoctus agnosco. Illis, quae Deus

Digitized by Google

de sua providentia admiranda per omnes orbis partes sparsa dixerat, ita convictum se fatetur Jobus, ut nihil jam ei scrupuli remaneret, sive in afflictionibus piorum, sive in felicitate impiorum. Cujus enim tanta est ubique providentia, ut nusquam injustitiae aut cujusquam rei temere factae possit argui, ei quomodo in suis cum hominibus agendi rationibus quicquam iniqui tribui poterit, sive bonos affligat, sive malos prosperet? Ac si vel ad minimum eorum, quae Deus in hac rerum natura facit, homo, cur ita factum sit a Deo, obmutescere cogitur, ac Dei opera magis admirans venerari, quam insimulare, quid quaeso in occultioribus illis Dei consiliis, et judiciis, quibus in quemque hominum utitur, videre poterit?

6. Quod denuo Deus instituit sermonem ad Jobum, non tam ad coarguendum eum, qui plane jam se victum agnosceret, et culpam suam sit fassus, sed ideo factum videtur, ut insuper magis magisque confirmaretur ad agnoscendam Dei potentiam et providentiam. Bouillier observat (p. 394.), dramatis illud ἤθει et poematis ornamento datum esse, ut in longius excurrens, quae Deo tribuitur oratio, Jobi interloquio (Vs. 4. 5.) incidatur, tanquam interspiramento quodam, ne, continuata diutius languorem legentium animo, aut taedium instillaret, vel, ne si ad ultimum Jobus, per tam longae orationis tenorem, tacuisset, quae eum majorem in modum afficere debuit, contumaciae inauditae accusari posset. Ceterum posterior hic Dei sermo iisdem plane verbis Versu hoc et proximo incheatur, quibus prior ille, supra 38, 1. 3.

8. הַאַף תָּפֵר מִשְׁפָּטִי *Num etiam solves*, irritum facies, *judicium meum?* *Etiam* emphasis habet, et nescio quid urgens, q. d. non satis habes, tuam justam causam defendere, sed et me insuper ut injustum accusas, dum me tibi inimicum quereris, et te supra modum cruciari sis. De offendiculo, quod sociis creabat Jobus, dum talia diceret imperite, loquitur Deus. Num dum se innocentem et sui similes, tanquam impios, affligi intemperantius querebatur, colligi poterat, aequo Deum in utrosque judicio uti, nec utrorumque discrimen facere. תַּרְשִׁיעֵנִי לְמַעַן תִּצְדָּק *Damnabis me, ut justificeris*, ut justus appareas, ut te justum ostendas, et causae tuae aequitatem defendas, me injustum pronunciabis; quasi aliter nequeas tuam justitiam asserere, nisi me arguendo iniquitatis?

9. וְאִם־זְרוֹעַ כָּאֵל לָךְ *Et an* est *tibi brachium tanquam Dei?* id est, tali potentia es, quali Deus? ut mihi sis socius, et mecum contendere audeas aut possis. וּבְקוֹל כָּמֹהוּ תַּרְעֵם *Et voce, quali ille, tonabis?* In tonitru suam potentiam, ut supra 37, 2. 38, 25. dictum est, ostendit Deus. Haec, inquit, quum tu non possis, quid mecum disputare, quasi mihi par sis, postulas? אִם sunt, qui conditionaliter capiant, cum sequenti versiculo jungentes; quod si brachium habes divino par, et tam vehementi, quam

ille, voce intonare potes, age, ornare elatione ut ille. Sed praestat singulos per se Versus intelligi, ut אִם serviat interrogationi, id enim magis urget.

10. עֲדֵה־נָא גָאוֹן וָגֹבַהּ *Ornare quaeso elatione*, majestate, *et sublimitate*, celsitudine, ut ego, te altum et magnificum in omnibus exhibens et ostendens. גָּאוֹן h. l. in bonam partem, pro *magnificentia, eminentia* sumitur, ut verbum Exod. 15, 1. *Canam Domino*, כִּי גָאֹה גָּאָה *quia magnificum se praebuit*. Sunt Dep velut ornamento elatio et celsitudo, quibus decoretur. וְהוֹד וְהָדָר תִּלְבָּשׁ *et majestate ac decore induaris* velut vestimentis. Cf. Ps. 104, 1.

11. הָפֵץ עֶבְרוֹת אַפֶּךָ *Effunde effervescentias naris tuae*, i. e. irae, cujus signum in nare apparet, sicut ego. Irarum fluctus fac erumpant effervescantque in tuos adversarios et tibi rebelles, effunde irae tuae incandescentiam, ut eos, quum libuerit, proteras et prosternas, ut ego assidue, quum volo, facio. פּוּץ, ut consonum arabicum Verbum, proprie de aquis exundantibus et late sese diffundentibus dicitur, ut Prov. 5, 16., hinc et irae graviori, quae tanquam fluvius extra alveum erumpens et aestuabundus omnia ruit sternitque, tribuitur. Et Arabes dicunt אפאץ אלסיל *exundare fecit*, effudit, *iram*. Cf. SCHULTENS *Animadverss. philologg.* ad h. l. et *Origg. Hebrr.* L. I. Cap. 4. עֶבְרָה *Tumor aestusque irae*, ab עָבַר *transivit*, quod itidem de fluvio dicitur, quum intumescit, altiusque sese effert, ut Jes. 8, 8. וּרְאֵה כָל־גָּאָה *Et adspice omnem elatum*, superbum arrogantem, scilicet oculo minaci vultuque irato, nam in malum *videre* hic sumi, ostendit additum, וְהַשְׁפִּילֵהוּ *et deprime eum*.

12. רְאֵה *Intuere*, inquam; anadiplosis, ut novum quid addatur. וַהֲדֹךְ רְשָׁעִים תַּחְתָּם *Et contere impios sub se*, i. e. in loco suo, ubi sunt, ubi quam maxime florent, et in summum rerum fastigium evecti sunt, de suo eos statu deturba. In הֲדֹךְ est ה radicale, nam si esset a דּוּךְ, quod *conterendi, comminuendi* significatu Num. 11, 18. legitur, esset הָדֵךְ. Verbum הָדַךְ etsi nusquam alias in V. T. occurrat, tamen vix est dubium cognatae esse notionis cum דּוּךְ et arabico הַדַּךְ *diruit, irruit, oppressit*.

13. טָמְנֵם בֶּעָפָר יָחַד *Absconde eos in pulvere simul*, omnes scilicet tibi rebelles eo usque in terram e sublimi splendore dejice, ut nihil amplius de iis appareat, sicut ego illis facere possum et soleo. Gravitas ruinae, imo mors et interitus hac phrasi significatur, quasi diceret: in sepulchrum eos detrude, ne ultro compareant, aut aliis negotium facessant. פְּנֵיהֶם חֲבוֹשׁ בַּטָּמוּן *Facies eorum alliga*, constringe, conclude *in abscondito*, aliquo scilicet loco, ut 3, 16. 18, 10. 20, 26., ut in tenebris absconditi et e medio sublati non jam cernantur.

14. וְגַם־אֲנִי *Tunc etiam ego*, si illud feceris, quod Vs. 11. 12. 13. dictum est, אוֹדֶךָ *celebrabo te*, laudabo tuam potentiam

Digitized by Google

et celsitudinem. כִּי־תוֹשִׁיעַ לְךָ יְמִינֶךָ *Quod salutem tibi parare possis dextra sua*, i. e. de te confitebor, quod tua potentia et robore te ipse servare possis, alterius cujusquam auxilio non egens, sed tibi ipsi sufficiens, ut ego. Haec ubi feceris, tum te mihi parem agnoscam, et mecum certare et contendere poteris. Quodsi haec non potes praestare, cede, et te mihi subjice, mea consilia curiosius non inquirens. At haec non potes, quum quicquid roboris habent omnia, ex me habeant, nec sua ipsorum ope servari queant, sed mea indigeant: solus ego per me subsisto, citra cujusquam opem.

15. Quia proxime antea *elatorum* meminerat, quos ipse solus cohibere, reprimere et deprimere possit, subjungit mentionem et descriptionem duarum immanium belluarum, quae inter cetera animantia immensa mole corporis et robore maximo eminent, in quibus Dei potentia et providentia mirifica prorsus agnoscatur. Et quod primo quidem loco inde ab hoc Versu usque ad Vs. 24. describitur animal, esse *elephantem*, maximum terrestre animal, plures existimarunt. Neque negari potest, esse in ea, quae sequitur, descriptione quaedam, quae in elephantem quadrent. Sed multo magis omnes, quae hic leguntur, notas convenire in *hippopotamum*, abunde ostendit Bochartus *Hieroz.* P. II. Lib. V. Cap. 15. T. III. p. 705. sqq. edit. Lips. Nihilominus Schultensio in Commentar. ad h. l. et Michaeli in *Notis ad versionem Jobi teutonic.* et *Supplemm.* P. I. p. 156., non defuerunt rationes, quibus alteram sententiam commendarent. Earum potiores examinavimus nos et Bocharti sententiam, de hippopotamo, confirmavimus in Notis Bochartianae disquisitioni l. c. subjectis. Quemadmodum in superiori Dei sermone, Cap. 38. 39., de solis *terrestribus* actum erat, ita in hoc posteriore satis jam per se vero est consentaneum, solum agi de *aquaticis*, ne instituti ordinis ratio perturbetur. Jam vero quum eorum, qui hoc sermone describuntur animalium, alterum, *Leviathan*, ex praestantissimorum fere interpretum consensu sit *crocodilus* Niloticus vel inde credibile sit, τὸν *Behemoth* esse crocodilo socium animal, atque ejusdem Nili incolam, *hippopotamum*. Proinde veterum scriptorum plures, ut Herodotus, Diodorus, Mela, Plinius, Pausanias, Marcellinus, alii, de utroque conjunctim agunt. Neque nomen בְּהֵמוֹת male convenit hippopotamo. Nam quum בְּהֵמָה sit *bestia quaevis quadrupes*, etiamsi aquis degat, id quod de synonymo בְּהִירָמָה diserte Arabes docent, Hebraei, quod proprium hippopotami nomen non haberent, eum, ob magnam et inusitatam corporis molem, pluraliter בְּהֵמוֹת appellarunt, quasi immanem bestiam, vel belluam multis aliis aequandam dicas. Pluralem numerum, etiam de singularibus, sed magnis et praestantibus rebus apud Hebraeos usurpari, notum. Sic יַמִּים valet *mare magnum*, Ps. 46, 3., תְּהוֹמוֹת *magnum et validissimum murum*, Jerem. 1, 18. 51, 58., שְׁמָחוֹת

Digitized by Google

gaudium magnum, Ps. 16, 11. 45, 16. Cujus loquendi usus exempla plura vid. in GESENII *Lehrgeb.* p. 664. Hujusmodi vero nomina ob significationem singularem masculinam, tractari solent ut singularia masculina, ut in tota hac pericope nostrum בְּהֵמוֹת. Ceterum sub hebraico hoc nomine latere videtur aegyptiacum *Pehemou*, vel eadem vox cum *T* in fine, *Pehomout*, quod Coptice significat proprie *bovem aquatilem*, uti hippopotamus veteribus saepe nuncupatur. Cf. P. E. JABLONSKII *Opuscula*, T. I. p. 52. Merito autem בְּהֵמוֹת *belua ingens* vocatur hippopotamus, quippe qui paucis animalibus cedit mole et statura corporis, de qua vid. Bochartum p. 706. *Ampliorem et crassiorem esse elephante* tradit ABDOLLATIPH *Compend. Memorabil. Aegypti* (edit. in octon.) p. 46. Ejus igitur descriptionem Deus sic aggreditur: הִנֵּה־נָא בְּהֵמוֹת אֲשֶׁר עָשִׂיתִי עִמָּךְ *Ecce belluam magnam quam feci tecum*, i. e. aeque ac te, non minus ac te, ut Ps. 106, 6. חָטָאנוּ עִם אֲבוֹתֵינוּ *peccavimus aeque ac patres nostri*. Bochartus עִמָּךְ *juxta te* vertendum censet (ut עִם usurpatur Jos. 7, 2. Jud. 9, 6. 18, 3. al.), id est, in vicinia tua, ac si diceret Deus: „argumenta potentiae meae nihil opus est, ut ex longinquo petam cum propinqua suppetant. Inter belluas, quas in Nilo creavi, Arabiae tuae vicino, quam mirabilis est hippopotamus?“ Sed Jobo in Arabia ad Euphratem collocato a nostro poeta, animal Niloticum vicinum, parum commode diceretur. Pertinet illud *aeque ac te*, ad ostendendam Dei potentiam, Jobi vero imbecillitatem. חָצִיר כַּבָּקָר יֹאכַל *Gramen, sicut bos, comedit.* חָצִיר non est *foenum*, uti post Hieronymum plures vertunt, sed *gramen*, est enim a חָצַר, quod arabice *viruit* denotat. Sic Jes. 40, 6. *Omnis caro* חָצִיר *gramen*, quod, juxta Vs. 8., *arescit*. Hinc Chaldaeus et Syrus recte h. l. עִסְבָּא *herbam* reddiderunt. „Bos et elephas ex aequo jumenta sunt: ideoque nihil mirum est, si eodem cibo vescantur. At ut hippopotamus, aquaticum animal, et in fundis Nili plerumque degens, bovis instar foeno [gramine potius, quis enim belluis in campis secet gramen et siccet?] pascatur, hoc vero mirum est, et inauditum, ideoque nec ab aliis praetermissum. Diodorus: *Κατανέμεται τὸν τε σῖτον, καὶ τὸν χόρτον.* Et eum ad pabulum e fluvio prodire dicit Nicander *Theriac.* Vs. 569.

Χίλοι ὅτε χλοάσουσι νέον δ' ἀπεγεύατο ποίην.

Pabula cum incipiunt herba florere recenti. Neque de nihilo est, quod bovi comparatur, quem non solum pastu et cibo, sed et mole refert corporis, et forma capitis et pedum. Unde Itali *bomarin*, i. e. *bovem marinum* appellant.“ BOCHARTUS. Similiter P. GILLIUS in descriptione hippopotami, quem viderat Byzantii (addita suae *Descriptioni Elephanti*, Hamburg. 1614.) Cap. 8. p. 125.: *Eodem anhelandi sonitu respirabat, quo bos solet. Edebat foenum, et caetera, quae boves et equi edere solent: ejus caput similitudinem gerebat bubuli capitis.* Plura de victu hippopotami vid. in not. nostra 12. ad Bochart. p. 710.

Digitized by Google

16. הִנֵּה־נָא כֹחוֹ בְמָתְנָיו *Ecce nunc potentia ejus in lumbis.* In iis enim sedes roboris. Hinc Nahum 2, 1. *Robora lumbos*, Ps. 69, 24. *Lumbos eorum nutare fac.* Ita *elumbis* pro debili sumitur, et *delumbare* est debilitare. וְאוֹנוֹ בְּשְׁרִירֵי בִטְנוֹ *Et robur ejus in firmitatibus ventris sui*, i. e. in ventre ejus firmissimo et durissimo. Quod in hippopotamum optime quadrare Bochartus observat, quippe qui ventre non minus quam reliquo corpore tectus sit, et quasi cataphractus impenetrabili corio, tantae solliditatis et spissitudinis, ut tornetur in hastas et missilia, non item in elephantem, qui in dorso quidem durissimum tergum, sed ventrem mollem habet, in quo facile confodi potest, vid. 1 Maccab. 6, 46. Nobis tamen haec in universum potius de robore illo, quo hippopotamus tota ventris mole pollet, intelligenda videntur. שְׁרִירֵי בִטְנוֹ Hieronymus et Chaldaeus verterunt *umbilicum ventris ejus*, et Jarchi nomen שָׁרִיר, hoc solo obvium, idem notare monet, quod שֹׁרֶר *umbilicus*, Cant. 7, 3. Prov. 3, 8. Ezech. 16, 4. Sed quum שְׁרִירִים nusquam alias de *umbilico* usurpetur, nec ad eam corporis partem designandam nomen in plurali numero commode adhibeatur, magis placet Reimari sententia, huic nomini *firmitatis* notionem tribuentis, a verbo שָׁרַר, Aramaeis frequente, *robustus, firmatus fuit*, unde שָׁרִיר *firmum*. Alias minus probandas interpretationes percensuimus ad Bochartum, T. III. p. 712. not. 12.

17. יַחְפֹּץ זְנָבוֹ כְּמוֹ־אָרֶז *Retorquet caudam suam* quae est *sicut cedrus*, scil. glabra, rotunda, spissa et firma. ABDOLLATIPH l. c. p. 46. (verba latine a nobis reddita apponere liceat): *Cauda hippopotami in longitudinem producitur plus quam semicubitalem; parte inferiori crassa, extrema digitum aequans, ossis instar glabra, similis caudae lacertae Varal.* יַחְפֹּץ Chaldaeus recte כַּפַּף *intorquet* reddidit. Sic Arabice חפץ אלעוד *curvavit*, inflexit, contorsit *lignum*. Ergo quum hippopotami cauda brevis crassaque sit, et valde firma, tamen is ad libitum eam flectit et retorquet, quod ut maximi roboris argumentum hic observatur. Sunt, qui hoc prius hemistichium ita reddant: *si vult*, si modo libuerit ipsi (subaudita particula conditionali כִּי aut אִם), *cauda ejus* est s. erit *uti cedrus*. גִּידֵי פַחְדָיו יְשֹׂרָגוּ *Nervi femorum ejus perplexi sunt*, s. intricati. פַּחַד h. l. non potest commode *terroris* notione accipi, qua alias occurrit, sed *femur* notat, ut arabicum פַּחַדٌ, ut pluribus probavit Bochartus p. 716. Robur beluae non aliunde melius colligitur, quam ex nervorum copia, quos valde frequentes esse oportet, quum se mutuo implicent (יִשֹּׂרָגוּ), ut rami arborum solent in sylvarum opacitate.

18. אַפִּיקֵי נְחוּשָׁה alii *robora aeris*, alii, ut Bochartus, *fusiones aeris* interpretantur, nos, cum Coccejo, *tubos aeris*, sive magis proprie cum Schultensio *alveos aeris*. „Omnino," inquit, „ossa proprie dicta, speciatim in quibus medulla conti-

Digitized by Google

netur, comparantur cum *alveis*, propter *capacitatem*, et quidem *aeneis*, ob *robur* et *duritiem*." *Tubis aeneis* in altero hemistichio optime respondent מְטִיל בַּרְזֶל *vectes ferreae*. מְטִיל hoc solo loco obvium, explicandum est ex arabico מטל *ferrum cudit et extendit*, unde מַטָּאל *qui cudendo cassides ferreas conficit, et similia*; et מַמְטוּל de ferro, *cusum et in longum extensum*. Alexandrinus: *σίδηρος χυτός*, Symmachus: *συμβλήματα σιδήρου (commissurae ferri)*, Hieronymus: *laminae ferreae*.

19. הוּא רֵאשִׁית דַּרְכֵי־אֵל *Ille est principium viarum Dei*, „i. e. *τὸ ἐξαίρετον*, Gallice *un chef d'oeuvre de Dieu*, unum ex operibus Dei praestantissimis. Quemodo vocatur Amaleo רֵאשִׁית גּוֹיִם *principium gentium*, Num. 24, 20., id est, gens una e nobilissimis; Dei timor רֵאשִׁית חָכְמָה *principium sapientiae*; vel *ἀρχὴ γλυκασμάτων* in Sirachide; ita hippopotamus vocatur *principium viarum Dei*, id est, Dei opus eximium." Bochartus. דַּרְכֵי־אֵל sunt *facta*, opera *Dei*, ut supra 26, 14. Et Proverb. 8, 22. sapientia appellatur רֵאשִׁית דַּרְכֵי־אֵל. „Utut enim, „inquit Bochartus p. 719., „sit perniciosum animal, tamen in eo multa sunt, quae admirationem excitant, vasta moles corporis, robur immane, tergus impenetrabile, stupendus oris hiatus, et portentosa voracitas, candor dentium et firmitas, mari, terrae et amni vita communis." Alterum hemistichium, הָעֹשׂוֹ יַגֵּשׁ חַרְבּוֹ, ante Bochartum plerique verterunt: *conditor ejus admovebit* scil. ei *gladium suum*, quo interficere eum possit, i. e. solus ille, qui ipsum condidit, eum vincere et perimere potest, non homo. Sed melius placet Bocharti interpretatio: *factor ejus applicavit ei* (ita Hophal הֻגָּשׁוּ 2 Sam. 3, 34. *admoti sunt* vertendum) *harpem ejus*, qua fingitur instructus hippopotamus, quia *χαυλιόδοντας*, id est, dentes exertos habet molliter flexos, acutos, praelongos, quibus tanquam *harpe*, vel ense curvato, in modum falcis fruges demetit et corrumpit. Proinde etiam Graeci poetae *harpem* tribuunt hippopotamo. Nicander *Theriac.* Vs. 566. *Ἢ ἵππου τὸν Νεῖλος ὑπὲρ Σαΐν αἰθαλόεσσαν Βόσκει, ἀρούρῃσιν δὲ κακὴν ἐπιβάλλεται ἅρπην. Aut fluviatilis equi, Nilus quem pascit, adustam trans Saïn, atque harpen damnosam immittit in agros.* Gillius in *Descript. hippopotami* supra ad Vs. 15. laud. p. 26. *In parte oris anteriore, atque inferiore, duo magni dentes ex utroque rostri angulo prominebant, etiam ex ore clauso, quos inter existebant quatuor denticuli exigui. Item in parte supera et antica duo magni dentes erant, inter quos intercedebant longe minores quatuor dentes.* Plura vid. apud Bochartum p. 723. et not. 26. ac 27.

20. Additur ratio, cur falcatis dentibus aquaticum animal instrui oportuerit, quia non tam in aquis, quam in terra pascitur, in qua segetes dentibus suis, tanquam falce, metit. כִּי בוּל הָרִים יִשְׂאוּ־לוֹ *Quia pabulum ei montes proferunt. Montium* facit

Digitized by Google

mentionem, tum quia illi iisque subjectae irriguae valles istis in terris gramine et pabulo fecundiores esse solent campestribus arenosis et sterilibus, unde *gramen montium* Ps. 147, 8. Prov. 27, 55. coll. Ps. 50, 10., tum quia magis mirum est, aquaticum animal cum pecore et jumento in collibus pasci. וְכָל־חַיַּת הַשָּׂדֶה יְשַׂחֲקוּ־שָׁם *Et omnes bestiae agri ludunt ibi*, una cum jumentis et pecoribus in collibus lascivientibus aquaticum animal pascitur.

21. תַּחַת צְאֱלִים יִשְׁכָּב *Sub umbrosis cubat.* צְאֱלִים pro צַלְלִים, more Aramaeo, ut וַיִּמְאַס pro וַיִּמְסַס supra 7, 5. et Ps. 58, 8., ad quem loc. not. vid. בְּסֵתֶר קָנֶה וּבִצָּה *In latibulo arundinis et coeni.* Plane similiter Ammianus Marcellinus L. 22. *Inter arundines celsas et squalentes nimia densitate haec bellua cubilia ponit.* Neque vero cubile solum, sed et victum in iis quaerit. Bellonius a Bocharto adductus: *Vivit arundinibus, et cannis sacchari et foliis papyri herbae.* Nili autem et vicinorum lacuum ripas arundinetis scatere, notum.

22. יְסֻכֻּהוּ צְאֱלִים צִלְלוֹ *Tegunt eum umbrae*, i. e. umbrosae arbores aut frutices, unaquaeque *umbra sua*, subaudiendum בְּ ante צִלְלוֹ. Auctor Hamburgensis navigationis anno 1549. de hippopotamis, apud Gesnerum: *Versantur ut plurimum circa litora fruticosa aut sylvosa. Quamobrem accolae fruteta resecant, ne in iis latitare possint.* יְסֻבֻּהוּ עַרְבֵי נָחַל *Obtegunt eum salices torrentis*, quo Bochartus Nilum intelligit, qui nomine נַחַל et Num. 34, 5. Jos. 15, 4. 47. 1 Reg. 8, 65. 2 Reg. 24, 7. Jes. 27, 12. nuncupetur. Quibus tamen locis omnibus additum est nomen *Aegypti*, nam in Hebraeo est נַחַל מִצְרַיִם, de qua appellatione magnus interpretum dissensus est, *Nilus*ne intelligatur, an rivus quidam circa *Rhinocoluram*, an Nili aliquod *brachium*. Itaque tutius erit, h. l. in universum salices *torrentis* s. fluminis intelligere. Neque enim probanda est Schultensii interpretatio, *salices vallis*, quum hae arbores in locis aquosis atque ad fluviorum ripas frequentes sint, unde et Jes. 44, 4. עֲרָבִים עַל־יִבְלֵי־מָיִם *salices juxta aquarum fluenta* memorantur.

23. הֵן יַעְשֹׁק נָהָר *En intumescat fluvius.* Verbum עָשַׁק, quod proprie *inseleuter, injuste agere* significat, hoc loco, ubi de flumine ponitur, idem valere quod arab. סَלَم *injuste agere*, quod et de fluminibus, ex alveo erumpentibus, omniaque inundantibus dici solet, apposite monuit et idoneis testimoniis comprobavit Schultens, tam in *Animadverss. philologg. in Operibus minorr.* p. 89., quam in Commentar. ad h. l. Et Hebraeis fluctus intumescentes vocantur זֵידוֹנִים *superbi*, Ps. 124, 5., ubi not. vid. יִבְטַח כִּי־יָגִיחַ יַרְדֵּן אֶל־פִּיהוּ *Securus est, si erumpat*, proruat *Jordanes ad os ejus*, pro עַל־פִּיהוּ *super os ejus*, ut particulae אֶל et עַל saepius permutantur, veluti 1 Reg. 13, 29. *Posuit eum* אֶל־הַחֲמוֹר *super asinum*, vid. et Jerem. 4, 3. Ezech. 18, 6. 11.

Digitized by Google

Dicitur autem fluvius *erumpere super os*, quo sensu dicuntur aquae *intrare usque ad animum*, Ps. 69, 2., et torrens *transire super animam*, Ps. 124, 4., i. e. supra os et nares eo usque attolli, ut spirandi meatus intercludat. *Jordanis* nomen poetice pro quovis flumine usurpat, ut Graecos poetas *Idam* pro quovis monte, et *Acheloum* pro quavis aqua dicere, observat Eustathius in Rhapsod. 2. Iliad. Cf. Interpp. ad Virgilii *Georgic.* 1, 9. et MACROBIUM *Saturnal.* 5, 15. Ceterum haec multo magis quadrant in hippopotamum, quam in elephantem, qui eatenus tantum in aquam progreditur, ἕως ἂν ὁ μυκτὴρ ὑπερέχει αὐτοῦ, ἀναφυσᾷ γὰρ διὰ τούτου καὶ τὴν ἀναπνοὴν ποιεῖται, *quatenus supereminet promuscis, per quam respirat et spiritum ducit*, ut jam observat Aristoteles *Hist. Animal.* L. IX. Cap. 46. At vero hippopotamum sub aqua constat intrepidum degere, neque superfusi fluminis eruptione quicquam moveri. „Cum natatus sit expers, tamen integros dies degit in fundo Nili, per limum reptans aut jacens, donec appetente nocte pabulatum exeat. Diodorus: *Dies quidem in aquis degit*, γυμναζόμενον κατὰ βάθους, *in profundo sese exercens, noctu vero per regionem pascitur.* Nota haec verba, *in profundo sese exercens*, quia emergere non potest, propter natandi imperitiam. Et eundem Bellonius *non natare* asserit, *sed fundum fluminis inhabitare, ac passim in Nili profundo divagari.*" BOCHARTUS, p. 734. In profunda voragine magni cujusdam fluminis plures hippopotamos degentes invenit quoque Sparrmann, vid. *Reise in d. südliche Africa* p. 563. vers. teuton.

24. Verba בְּעֵינָיו יִקָּחֶנּוּ vel sunt ironice capienda: *in oculis ejus capiat eum*, vel subaudita interrogandi nota: *capietne eum* scil. *venator?* Sive: quis *capiat eum in oculis suis?* i. e. ipso vidente, aperta vi et manifesta. Vix enim est, ut capiatur aliter, quam per dolum, dum circa hippopotami cubile fossam excavatam cannis obtegunt et arena aggesta, in quam ex improviso bellua decidens includitur. Vid. Bochart. p. 735. בְּמוֹקְשִׁים יִנָּקֵב־אָף *In laqueis* s. *laqueis* irretito et capto, num *perforabit* quis *nasum?* ut eum captum ducat et constrictum, quo volet, et sibi subjiciat, quomodo hodienum Arabes camelos, et Itali bubalos, annulo, per nares perforatas transmisso, ducere solent. Vid. Jes. 37, 29. et ibi not.

25. Aliud Dei opus, ex quo maxima ejus potentia et sapientia elucet, *Leviathan*, in quo describendo reliquus hic sermo versatur. Hebraeum לִוְיָתָן proprie est idem quod תַּנִּין, *draco*. Hinc תַּנִּין et לִוְיָתָן promiscue sumuntur Ps. 74, 13. 14. et Jesaj. 27, 1. Et Aquila pro תַּנִּין habet *Leviathan* Ezech. 32, 2. Non autem esse vocem compositum ex לִוְיָת תַּנִּים *conjunctio draconum*, quasi Leviathan multos dracones conjunctos referat, verum simplicem esse vocem, cujus ultima syllaba תָּן pertinet ad formam nominis, ut in נַחְשְׁתָּן, סַכְּלָתָן, עַקַּלָּתָן observat Bochartus *Hieroz.*

Digitized by Google

P. II. L. V. Cap. 16. T. III, p. 737. ed. Lips., docetque derivandum a radice לוּי, Arabibus notione *flectendi* et *contorquendi* usitata; unde לוא אלחיה est *serpentis flexus*, quo in spiras se contrahit, ut *Georgic.* I, 244. *Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis.* Verum ut vox synonyma תַּנִּין saepe transfertur ad *belluas* quascunque *terribiles* tam *terrestres*, quam *aquatiles* (vid. Gen. 1, 21. Ps. 104, 26. 148, 7. et cf. quae nos adnotavimus ad Bochart. T. III. p. 223.), ita לִוְיָתָן ad *crocodilum*, immane Nili monstrum, designandum adhibetur, Ps. 74, 14. et Jes. 27, 1. Nec aliud intelligendum esse animal, quod illo nomine hic describitur, satis cognoscitur ex iis, quae de eo dicuntur, et ita evicit Bochartus l. c. p. 739. sqq., ut dubitationi vix locus sit relictus. Cf. *Bibl. Naturgesch.* P. II. p. 244. Ante תִּמְשֹׁךְ subaudiendum esse interrogandi notam הֲ, quae in proximis versiculis expressa est, docet res ipsa. *Num trahes Leviathanem hamo?* an eum, ut piscem hamo capere et ex aquis extrahere vales? וּבְחֶבֶל תַּשְׁקִיעַ לְשׁוֹנוֹ *Et fune demerges linguam ejus?* i. e. fune, cui hamus alligatur, in aquam demerso linguam ejus arreptam extrahes, ut soles in aliis aquatilibus capiendis facere? Aliis, ut Bocharto, est hypallage: *num funem*, i. e. hamum fune appensum, *in lingua ejus demerges?* i. e. defiges?

26. הֲתָשִׂים אַגְמֹן בְּאַפּוֹ *Numquid pones juncum in narem ejus?* „*Juncum*, Graeçe σχοῖνον, id est, funem junceum, vel capistrum e fune junceo. Plinius *Hist. Nat.* L. XIX. Cap. 2.: *Junco Graecos ad funes usos, nomini credamus, quo herbam eam appellant.* Nomen illud est σχοῖνος, quod et *juncum* significat, et *funem*, e junco plexum. Sic Hebraice funis junceus peculiari nomine vocabatur חֶבֶל הַמַּגְג, quia מַגְג in *Aruch* (quo nomine Lexicon quoddam inscribitur), est, מין גומא שעושין ממנו חבל *junci species, ex quo fit funis.*“ Bochartus. וּבְחוֹחַ תִּקֹּב לֶחֱיוֹ *Et annulo perforabis maxillam ejus?* חוֹחַ alii *spinam*, i. e. hamum, spinae instar acutum, alii *uncum* interpretantur. Sed ostendit Michaelis *Supplemm.* P. III. p. 715. חוֹחַ potius esse h. l. *annulum ferreum*, sive ori crocodili circumdatum, eumque a morsu compescentem, sive per molliorem capitis anterioris partem circa maxillas extremas transmissum. Posterius haud dubie praeferendum, ut ipse Michaelis monet, ob verbum תִּקֹּב *perforas.* Quod magis adhuc confirmatur re ipsa. Solent enim piscatores Aegyptii, referente Brucio (cujus narrationem excerpsit Oedmann Fasc. V. Cap. 5.), etiamnum piscibus, hamis, aut retibus a se captis, annulum ferreum per maxillas transmittere, cui funis adaptatus, qui in ripa alligatur, ut hac ratione pisces in aqua vivi serventur, neque tamen possint effugere.

27. הֲיַרְבֶּה אֵלֶיךָ תַּחֲנוּנִים *An multiplicabit ad te preces?* Num multis tibi supplicabit, ut vivum ipsum dimittas? אִם־יְדַבֵּר אֵלֶיךָ רַכּוֹת *Num loquetur ad te mollia*, sc. מִלּוֹת *verba?* s. אֲמָרוֹת

Digitized by Google

sermones, ut Gen. 42, 30. קָשׁוֹת *dura*. Num blandis te verbis deprecabitur, ut ei parcas, ut homines alii ab aliis in bello capti solent, aut si quis in alterius potestatem venerit? Elegans prosopopoeia, qua non posse homini belluam hanc tantam ulla ratione subjici docet.

28. הֲיִכְרֹת בְּרִית עָלֶיךָ תִּקָּחֶנּוּ לְעֶבֶד עוֹלָם *Numquid feriet pactum tecum*, ut (subintelligendum ו ante תִּקָּחֶנּוּ ut supra 6, 8.) *accipias eum in servum perpetuum?* ut tibi in perpetuum eum mancipes, hominis more? Exod. 21, 6. Deut. 15, 17.

29. הֲתְשַׂחֵק־בּוֹ כַּצִּפּוֹר וְתִקְשְׁרֶנּוּ לְנַעֲרוֹתֶיךָ *An ludes eo, tanquam ave s. passere? Et ligabis eum puellis tuis?* Nempe ut illo se oblectent. Apposite affert Bochartus illud *Catulli*, II, 1—4. *Passer, deliciae meae puellae, Quicum ludere, quem in sinu tenere, Quoi primum digitum dare adpetenti, Et acris solet incitare morsus.* PLAUTUS in *Captivis* Act. 5, 4. 5. *quasi patritiis pueris, aut monedulae, Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent.* Plura vid. apud Bochartum de *passere* agentem *Hieroz.* T. II. p. 728. edit. Lips.

30. Subaudiendum est ה interrogativum, ut supra Vs. 25. יִכְרוּ עָלָיו חַבָּרִים *Num epulabuntur super eo socii*, piscatores scilicet, qui inter se societatem inierunt in captura piscium, ut fieri solet? An futurum est, ut piscatores eo capto laeti epulentur? Verbum כָּרָה h. l. ut 2 Reg. 6, 23. *epulandi* significatum obtinet, ab *excidendi, concidendi* notione (a qua demum usitatior *fodiendi* significatio est profecta), quia qui convivium aliquod magnum agitant, multas bestias caedunt et mactant. Ideo Hieronymus vertit: *concident eum amici?* Alexandrinus: ἐνοιτοῦνται δὲ ἐν αὐτῷ; Chaldaeus: *facientne super eum prandium?* Schultens verba *ironice* capit: *epulum celebrabunt super eo*, s. propter eum, *sodales.* Sed quum interrogationes antecedant et sequantur, sane multo aptius et hic Versus interrogative sumitur. Ceterum priori hemistichio sensu bene respondet alterum: יְחֻצֻהוּ בֵּין כְּנַעֲנִים num *dividet eum* scil. חַבָּרִים, piscatores, qui eum ceperunt, *inter Cananaeos?* i. e. mercatores. *Cananaeorum* nomen passim, ut Prov. 31, 24. Jes. 23, 8. Hos. 12, 8., pro *mercatoribus* usurpatur, quod ea gens negotiationi et mercimoniis addicta fuit, sicut *Chaldaeus* pro astrologo et divino, Dan. 2, 2. 10. Aquila recte h. l. μεταβόλους reddidit.

31. הַתְמַלֵּא בְשֻׂכּוֹת עוֹרוֹ *Num implebis* atque ita transfiges *missilibus pellem ejus?* Nam crocodili corticosam cutem contra omnem ictum invictum esse, et telo impenetrabilem, notum. Cf. infra 41, 18. שֻׂכּוֹת recte Bochartus est interpretatus *missilia*, proprie *spinas*, coll. arab. شَوْكَة *spina, aculeus*, hinc *arma acuta.* Possit et conferri arabicum شَكَّ *totum se operuit armis, transfixit* aliquem *hasta*, unde شَكَّة *arma.* In altero hemistichio nominis צִלְצָל explicationem Bochartus petit ab arabico صَأْلَة *arma*

Digitized by Google

quaevis, aut *sagittae*. Sed Schultensio a צלל arab. *tinnire*, est *instrumentum tinniens*, quales fuscinae, harpagones, et alius piscantium paratus.

32. שִׂים עָלָיו כַּפֶּךָ *Pone super eum*, injice ei *volam tuam*, i. e. si injicere ei ausus fueris, זְכֹר מִלְחָמָה אַל־תּוֹסֵף *recordaris proelii non addes*, i. e. non ultra recordaberis ineundi cum eo proelii, mox enim te interimet, mox de te actum erit.

33. הֵן־תּוֹחַלְתּוֹ נְכְזָבָה *Ecce spes*, s. exspectatio *ejus*, scil. qui manum ei injicere eumque aggredi tentarit, *mendax est*; personae enallage. Nam dicendum fuerat תּוֹחַלְתְּךָ *spes tua*, sed in genere dicere voluit, non tua solum, sed et quisquis alius, qui ita audax fuerit, ut ei manum admoveat, ejus spem eum fallet, quod se eum capturum, aut eo superiorem fore putasset, longe aliter accidet. הֲגַם אֶל־מַרְאָיו יִטָּל *Nonne vel ad conspectum ejus prosternetur* perterrefactus? הֲגַם pro הֲלֹא גַּם, ut saepius הֲ *nonne* est vertendum, v. c. 1 Sam. 2, 27. הֲנִגְלֹה נִגְלֵיתִי אֶל־בֵּית אָבִיךָ *Nonne revelavi me domui patris tui?* vid. et 2 Sam. 23, 17. 2 Reg. 6, 32. Jerem. 31, 20. Ezech. 20, 30.

Cap. 41, 1. לֹא־אַכְזָר כִּי יְעוֹרְרֶנּוּ *Non* est quisquam ita *saevus*, audax, *ut excitet eum*, nemo est tam truculentus, qui eum ausit lacessere, et in certamen provocare. מִי זֶה לְפָנַי יִתְיַצָּב *Quis ille, qui* (subaudiendum relativum, ut supra 38, 2. 14.) *coram me consistat?* Quum ad adspectum mearum creaturarum subsistere nequeat, qui, quaeso, meam ferre poterit majestatem? Haec et quae Versu proximo sequuntur, per parenthesin intercalantur iis, quae de Leviathane referuntur, eo consilio, ut intelligatur, quorsum superiora et sequentia a Deo proponuntur, nempe ut liberrimum Maximi, ejusdemque Sapientissimi arbitrium suspiciat omnis homo, et ne tantulum contra eum mussitare ausit. Rectissime Mercerus sensum expressit: „Quodsi Leviathan tanti roboris tam vastaeque molis, ut vel adspicientem terreat, nec quisquam tam saevus, aut potens, reperiatur, qui eum in certamen provocare audeat: quis, quaeso, mecum contendere sustinebit? me in certamen provocare, ut tu, Jobe, fecisti?“ Non igitur erat, cur Bouillier luxatam hanc pericopen et infartam alieno loco suspicaretur, quam ut suo reddatur, Versui 35. Capitis 39. conjicit subnectendam, ea lege, ut secum quoque trahat postremos duos Versus Capitis 40. In codicibus pluribus pro לְפָנַי exstat לְפָנָיו *in conspectu ejus* scil. Leviathanis, idemque expressit Chaldaeus, qui קֳדָמוֹי posuit. Praetulerim hoc vulgo recepto לְפָנַי, nisi proximus Versus obstaret.

2. מִי הִקְדִּימַנִי וַאֲשַׁלֵּם *Quis antevertit me, et reddam* scil. ei, id in quo me antevertit? Quis me bono aliquo affecit prior, aut in me aliquid contulit, ut ad rependendum obstrictus sim? הִקְדִּים h. l. est *beneficiis antevertere*, ut Piel Ps. 21, 4.

Digitized by Google

Dent. 23, 5., atque ut Arabicum אקדם pro *praevertere*, *praevenire* officio *et beneficiis* perusitatum. תַּחַת כָּל־הַשָּׁמַיִם לִי־הוּא *Sub omni coelo meum est*, quicquid sub toto coelo usquam gentium est, id *meum*, non *alius* est, adeoque nemo me antevertere potuit.

3. Resumit, post brevem insertionem, Vs. 1. 2., Leviathanis descriptionem, singulaque ejus membra, quo magis ejus moles et robur agnoscatur, prosequitur. לֹא־אַחֲרִישׁ בַּדִּין *Non tacebo membra ejus.* בַּדִּים alias *vectes*, aut *rami*, h. l. sunt *artus*, ut supra 18, 13. וּדְבַר גִּבּוֹרוֹת *Et sermonem roborum* s. *virium ejus*, quae de viribus ejus dicenda adhuc sunt. וּדְבַר est quod Graece diceretur *καὶ τὸ κατὰ*. וְחִין עֶרְכּוֹ *Et gratiam*, concinnitatem, *dispositionis*, i. e. structurae *ejus;* aptam conformationem membrorum ejus. עֶרֶךְ *Structura*, conformatio aut compositio partium, ut Exod. 40, 4. 23. חִין pro חֵין, *gratia*, ut בֶּן pro בָּן, *filius*, Jos. 1, 1. Similiter חֵן defective legitur in cod. Kennicott. 168. et in Hagiographis Neapolitanis. Alii, quia verbum עֶרֶךְ de *dispositione* s. *instructione aciei* nonnumquam dicitur (vid. Jud. 20, 22. 1 Chron. 22, 33. 35. Jer. 6, 23.), עֶרֶךְ h. l. ad praelii instructionem referunt. Quos inter Schultens, qui חִין cum consono arabico *opportunum* comparans, verba nostra ita censet reddenda: *atque opportunitatem instructionis ejus*, i. e. quam opportuna, atque tempestiva sit universa ejus structura simul et armatura, qua eum ad terrorem incutiendum ornavi. Sed prior sensus simplicior atque concinnior.

4. מִי־גָלָה פְנֵי לְבוּשׁוֹ *Quis retexit* s. retexerit *faciem vestimenti ejus? Faciem*, i. e. superficiem, extrema cutis ejus, quae ei pro vestimento est, quis nudare et discooperire ausus sit impune? Schultens: *quis revelavit faciem loricae ejus?* i. e. faciem ejus loricatam. „Nempe לְבוּשׁ *indumentum* Arabibus speciatim pro *lorica totum corpus tegente* usurpatur, quae alias דרע *lorica ex annulis conserta*. Istam vim forte exserit vox 2 Sam. 20, 8., coll. Jes. 59, 17. 68, 1. 2. Modus loquendi nemini incognitus, quo posterius Substantivum vicem implet *Adjectivi*, vid. Deut. 1, 41. Jes. 2, 20. Ezech. 26, 16." בְּכֶפֶל רִסְנוֹ מִי יָבוֹא *In duplicaturam freni ejus quis ingrediatur?* id est, in labia, seu rictus, ejus, qui freni duplicati speciem habent. Alii *duplicaturam freni*, quod ipsi injicitur, intelligunt, hoc sensu: quis cum freno duplicato audeat accedere ad eum, ut ejus rictu inserat, sicut fit equo? Ita Schultens, qui vertit: *et duplicaturam freni ejus quis adducet?* „*Venire cum aliquâ re*, est phrasis protrita Orienti, pro *eam adducere*. Negatur, quemquam tam audacem, qui belluam a natura cataphractam adversus aggredi sustineat, ut denudatum os freno instringat." Sed malo cum Jarchio, Mercero et Bocharto *duplicaturam freni* intelligere *labia*, quae cum aperit et diducit, unum infra, alterum supra, habenae duplicatae

Digitized by Google

speciem prae se ferant. „Huc facit, quod etiam Graece *χαλινοὶ*, *frena*, sunt labiorum pars quaedam. Proinde POLLUX, *Onomast.* L. II. Cap. 4. Sect. 20. cum *προτόμιον* vocari dixisset *τὴν εἰς ἄλληλα τῶν χειλῶν συμβολήν*, *mutuam labiorum commissuram*, addit: *τὰ δὲ ἑκατέρωθεν αὐτῶν ἐπὶ τὰς γνάθος καταλήγοντα χαλινοί*, *frena vero nominantur eae partes, quae utrumque ad maxillas desinunt.* Phrasi utrobique eadem.“ BOCHART.

5. דַּלְתֵי פָנָיו מִי פִתֵּחַ *Valvas faciei ejus quis solverit?* s. aperuerit. Intelligit rictum oris immensum, quem diducit cum libet, atque aperit valvarum instar, magno et horrendo hiatu. Illum vero clausum nemo ausit aperire. סְבִיבוֹת שִׁנָּיו אֵימָה *Circuitus dentium ejus terror.* Vel solus adspectus ejus dentium tot et tantorum terrorem videnti afferet. „Crocodilus scilicet sexaginta numero dentes, eosque majores habet, quam pro ratione corporis, et in illis quosdam exsertos, alios serratos et pectinatim coeuntes, morsum tenacissimum, atque ita perniciosum, ut non curetur aliter, quam morbus rabidi canis.“ BOCHARTUS, qui plura alia de crocodili dentibus attulit p. 749.

6. Tribus, qui sequuntur, Versibus describitur squamarum commissura, quibus, ut scutorum laminis cohaerentibus, totum dorsum est obductum. גַּאֲוָה אֲפִיקֵי מָגִנִּים *Elatio* sunt *robora scutorum*, q. d. elata sunt et superba robusta ipsius et praedura scuta, i. e. squamae, quae ei clypeorum loco, ita robustae sunt et durae, ut illis sese velut efferat adversus omnes, qui ipsum velint aggredi, nec quenquam timeat; sic sibi in earum duritie et robore placet, confidens fore, ut se illis tanquam scutis adversus omnes ictus et insultus protegat. Bochartus vertit: *tergum est ut laminae scutorum.* Videlicet גַּאֲוָה idem esse putat, quod גַּו Jes. 38, 17., vel גֵּוָה supra 20, 25., inserto א, quod tamen non tam *tergum* solum, quam totum *corpus* notat. Unde et Aquila et Hieronymus *σῶμα*, *corpus*, verterunt. Sed quum גַּאֲוָה alias semper *elationem* significet, tutius erit, eam notionem et h. l. retinere. סָגוּר חוֹתָם צָר *Clausum* est unumquodque scutorum ejus veluti *sigillo arcto*, clausae sunt ejus squamae et inter se compactae et connexae firmiter, ut velut contineantur et concludantur inter se angusto sigillo, quod sine ullo interstitio vel cuti, vel alteri adhaeret. סָגוּר singulare participium pro plurali, ut saepe. Hieronymus: *compactum est* corpus *squamis se prementibus.* AELIANUS *Hist. Animal.* X, 24. de crocodilo: *Νῶτα πέφυκε καὶ τὴν οὐρὰν ἄῤῥηκτος· λεπίσι μὲν γάρ τε καὶ φολίσι πέφρακται, καὶ ὡς ἄν εἴποι τις, ὥπλισται. Impenetrabile tergum et caudam a natura sortitus est, squamis enim et corticibus obsepitur, et ut ita dicam, armatur.* Plura vid. apud Bochartum p. 751. seq.

7. Ita arcto et firmo nexu sunt inter se hae squamae conjunctae, ut ne spiraculum quidem aut aer inter juncturas intercedat.

Digitized by Google

8. אִישׁ־בְּאָחִיהוּ *Vir fratri suo* recte Hieronymus vertit *una alteri*, ut אִשָּׁה אֶל־אֲחֹתָהּ Exod. 26, 3. de cortinis tabernaculi.

9. עֲטִישׁוֹתָיו תָּהֵל אוֹר *Sternutationum ejus* unaquaeque *splendescere facit ignem.* „Quum sternutat crocodilus per nares confestim actus spiritus tanto prorumpit impetu, ut scintillare videatur, et flammas emittere. Quod ideo huic animali frequentius accidere, mihi est verisimile, quia ei solemne est, ut oculis ad solem obversis apricetur.“ Bochartus. Quod plurium scriptorum testimoniis confirmat p. 754. וְעֵינָיו כְּעַפְעַפֵּי שָׁחַר *Et oculi ejus sunt tanquam palpebrae aurorae*, credas eum ardentes ejus oculos videas, auroram emergere, velut radios solares esse, qui sese sub auroram diffundunt. „Hac in parte mirus fuit *ἱερογραμματέων* Aegyptiorum cum sacro vate consensus. Illi enim apud Horum *Hieroglyphicor.* L. I. Cap. 65. *Ἀνατολὴν λέγοντες, δύο ὀφθαλμοὺς κροκοδείλου ζωγραφοῦσιν, ἐπειδήπερ* (lege *ἐπειδὴ πρὸ*) *παντὸς σώματος ζώου οἱ ὀφθαλμοὶ ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναφαίνονται, Auroram significantes, oculos crocodili pingunt, propterea quod ante totum corpus animalis, oculi ex fundo apparent.* Quomodo scilicet solis corpore nondum exorto auroraé radii emicant.“ Bochartus.

10. Pl. 12. Quae tribus hisce Versibus de igne, quem velut e naribus et ore efflat crocodilus, dicuntur, non esse ad literam capienda, sed *ὑπερβολικῶς* dici, et ad exaggerandum belluae truculentae adspectum horridum, vix monitu opus. Neque tamen nostrum in tota hac crocodili descriptione nimium ultra veritatis limites divagari, intelligent, qui legent quae de crocodilis Americania ex Bartrami Itinerum Commentariis excerpsit Oedmannus in *den Vermischten Sammlungen* P. VI. Cap. 6. p. 57. sqq. vers. teuton. Pro כִּידוֹדֵי *scintillae* in nonnullis codicibus legitur כְּדוּדֵי sicut *ollae*, sensu incommodo. Sed olim כְּאוּדֵי *sicut titiones* exstitisse videtur. Certe Aquila *δαλοὶ πυρός* vertit, et Hieronymus *sicut taedae ignis.* Praeferendum esse receptum כִּידוֹדֵי, quod et Chaldaeus expressit, nemo non videt. יִתְחַלָּטוּ *Eripiunt*, proripiunt *se* (vid. supra 19, 20.), i. e. prosiliunt.

11. E naribus crocodili vaporem, *veluti fumum*, ascendere, disertis verbis, idque plus semel, asserit Bartramus apud Oedmannum l. c. p. 57. et 68. כְּרוּד נָפוּחַ *Sicut* fumus *ollae exsufflatae*, i. e. sub qua ignis est exsufflatus, ut סִיר נָפוּחַ Jerem. 1, 13. וַאֲגַמּוֹן *Et fervoris*, coll. arab. אגם *ferbuit*, i. e. sicut fumus ex aheno aqua fervida et bulliente impleto ascendens. Simili imagine usus Virgilius *Aeneid.* VII, 463., ubi fervorem juvenis in proelium se proripientis describit: — — *magno veluti cum flamma sonore Virgea suggeritur costis undantis aheni, Exultantque aestu latices; furit intus aquai, Fumidus atque alte spumis exuberat amnis.*

Digitized by Google

12. נִפְשׁוֹ גֶּחָלִים תְּלַהֵט *Anima*, i. e. halitus *ejus inflammat carbones*, ex interno viscerum calore ejus halitus ita fervidus est, ut vel carbones accendere possit. Pariter THEOCRITUS *Idyll.* XIX, 23. de affectu amoris: *incaluit subito* σὺμαρέως νεν ἀπ' αὐτῆς καὶ λύχνον ἅψαις, *facile accendisse lucernam ex ipsa ut possis.*

13. בְּצַוָּארוֹ יָלִין עֹז *In collo ejus commoratur fortitudo*, nam quia vastum habet corpus, praevalido esse collo oportet, quo superiores corporis partes cum inferioribus committantur. וְלִפָּנָיו תָּדוֹץ דְּאָבָה *Et ante eum exsultat sollicitudo*, metus, aliis incussus, ut statim invadat animalia cetera, quibus crocodilus fit obviam. Alii sensum hunc volunt esse: nihil est, quod ei molestiam aut timorem afferre possit, quum a nullo timeat, et si qua ei molestiae aut timoris materia offerre sese potest, ea mox in exsultationem et laetitiam convertitur. Sed praestat prior interpretatio, qua terror tanquam comes sistitur, aut metator *tumidique anteambulo regis* (ut Martialis loquitur), quemadmodum a poetis exteris ira, furor et pavor *Marti* pro comitibus et armigeris assignantur. *Palladi* quoque bellorum iidem adsunt comites. Hinc in pompa, quam describit APULEJUS L. X. *illam, quam cultus armorum Minervam fecerat, duo pueri muniebant, praeliaris Deae comites armigeri, Terror et Metus, nudis insultantes gladiis.* Sunt codices, in quibus pro תָּדוֹץ legitur תָּרוּץ, quod jam Alexandrinus expressit: ἔμπροσθεν αὐτου τρέχει ἀπώλεια. Sed illud exquisitius. Bene illustravit Bochartus: „*Ante eum moeror insultat.* Quod est aliquanto plus, quam si solum dixisset, *ante eum moeror incedit.* Nam *insultare* est, alacriter, et cum aliqua pompa ferri, ut cum equum dicit poeta L. III. *Georgicor.* Vs. 117.

Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Et *Aeneid.* L. XI. Vs. 600. — — *fremit equo toto Insultans sonipes.* — — Hebraicum *insultandi* verbum דּוּץ, vel דִּיץ, alibi non occurrit in sacro textu. Sed Arabibus ignotum non est, quamvis apud Chaldaeos et Syros usitatius. Ter occurrit pro σκιρτᾶν in Luca Syro 1, 41. 44. et 6, 23."

14. מַפְלֵי בְשָׂרוֹ דָּבְקוּ *Decidua*, tori, *carnis ejus cohaerent*, quae in aliis animantibus carnis partes et veluti torositates decidunt laxiores prae pinguedine, in crocodilo sunt firmissimae et inter se arctissime connexae. מַפְלֵי בְשָׂרוֹ, ad verbum *procidua carnis ejus*, Bocharto sunt partes prominentiores, laxae et torosae carnis partes, ut in bobus aliisque animalibus saepe conspiciuntur. Virgilius *Georgic.* III, 53. *Cui collum tenus a mento palearia pendent.* יָצוּק עָלָיו *Firmum* est *super eum*, scil. unumquodque deciduorum, unusquisque torus, carnis ejus. יָצוּק propr. *fusum*, sed quia quae fusa et liquefacta sunt, postquam compacta sunt et consolidata, sunt firma et valida, non ultra laxa et diffluentia,

Digitized by Google

hinc vox haecce *compactum*, *firmum* haud raro significat, ut et Versu proximo. בַּל־יִמּוֹט *Ut non dimoveatur*, aut separetur facile, ut in aliis animalibus.

15. לִבּוֹ יָצוּק כְּמוֹ־אֶבֶן *Cor ejus firmum est*, compactum et solidum, *ut lapis*. Recte Bochartus observat, לֵב h. l. non de *animo* esse intelligendum, sed proprie, de *viscere cordis*, quod *durum* sistit poeta quoad substantiam, quod est duri ac immanis affectus habitaculum. וְיָצוּק כְּפֶלַח תַּחְתִּית *Solidum sicut fragmen inferius* scil. רֵחַיִם *molae*. Molae manuariae Hebraeorum duplici mola constabant, superiore, quae רֶכֶב ab *inequitando* dicebatur, et פֶּלַח רֶכֶב *fragmen inequitationis*, Jud. 9, 53. 2 Sam. 11, 21., et inferiore, quae h. l. memoratur ob duritiem; nam quia erat inferius, solidiori et duriori lapide constabat. De molis manuariis Hebraeorum vide plura in JAHNII *Bibl. Archaeologie* P. I. Vol. II. p. 175. פֶּלַח proprie *fragmen*, ut 1 Sam. 30, 12. Cantic. 4, 3., praesertim de *lapide molari* usurpatur, ut Arabum סַלְיָה *mola*, *aut unus lapidum molae aquariae*, *et utriusque pars inferior*, a פלח *diffregit*, *fidit*.

16. מִשְּׁאֵתוֹ *Ab ejus elatione*, cum ille se in aqua surrsum tollit, pro מִשְּׂאֵתוֹ, quod ipsum in pluribus codd. Kennicott. et Rossian. reperitur. Tertia radicalis saepe excidit, vid. 1, 21. 29, 6. 32, 18. אֵלִים, quod saepius alias *deos* significat, h. l. idem esse, quod אֵילִים *fortes* (quod et in multis libris scriptum exstat), docet res ipsa. Cf. not. ad Ps. 29, 1. מִשְׁבָּרִים alii vertunt *a confractionibus*, quas a bellua immani, et cauda, squamis, unguibus et dentibus horribili, metuunt. Alii *confractiones* intelligunt, quas in aqua excitat crocodilus, i. e. fluctuum et aquarum collisiones. Sunt libri et manu et typis exarati (a de Rossio in *Scholl. Critt.* ad h. l. indicati), in quibus מְשִׁבָּרִים, sine Dagesch in ש legitur (ut מ sit formativum nominis, non praepositio), i. e. *fluctus*, Ps. 93, 4. Jon. 2, 4. Nobis tamen retinendum מִשְׁבָּרִים videtur, et intelligendum *a confractionibus* s. *contritionibus*, scil. animi, i. e. terroribus; Orientalibus enim, apposite monente Bocharto, *frangendi* verba etiam *timendi* significationem habent, quia animus metu frangitur. Sic חַתַּת supra 32, 15. 1 Sam. 2, 4. Et chaldaicum תְּבִיר *fractio*, *confractio*, pro hebraeo פַּחַד a Jonathane ponitur Exod. 15, 16. Cf. רְהִיטָא וּתְבִירָא *terror et confractio* Thren. 3, 47. Arabicum פרק *fregit* etiam ad *timorem* transfertur, et Persice شِکَسْتَکِی, *confractio*, est *metus*. יִתְחַטָּאוּ rectissime Schultensius in *Animadverss. philologg.* anno 1708. editt. (in *Opp. minorr.* p. 94.) *obstupescunt*, *attoniti sunt*, prae metu, interpretatus est. „Verbum חָטָא propria et primaria significatione est *errare*, ἁμαρτάνειν, *aberrare a scopo*, etiam hac significatione in V. T. occurrente, sed in Arabismo frequentius. *Errare* autem ad mentem translatum *attonitum*, *mente turbatum esse* notat. Ita שָׁגַל est *errare*, *deviare*, in 4. Conjug. אִשְׁתַּגְלַל

Digitized by Google

errare fecit, in Corano saepissime et *amentavit*; שַׁגָּעוֹן *error*, et *attonitus mentis incertitudo* et *stupor*, *ecstasis prae metu*. Sic תאה arabice est *errare*, unde hebraeum תֹּהוּ *locus vastus*, *in quo aberratur*; hoc etiam ad mentem transfertur, et notat *attonitum*, *mente turbatum esse*. Sic nostro loco יִתְהַמֻּאוּ *prae metu attoniti sunt*, *et amentes*, scil. nescii, quo se vertant, vastam videntes belluam, qualis est Leviathan, sive crocodilus, immanem et humanae carnis avidam, adspectu horribilem. Paene oblitus eram, verbum תָּעָה *errare* apud Hebraeos in eundem usum adhiberi, unde est Jes. 21, 4. תָּעָה לְבָבִי פַּלָּצוּת בִּעֲתָתְנִי *errat cor meum*, *et horror perterret me*. Ibi *errare cor* dicitur, quum metu horret. In Persismo idem observo, ubi est *improbus et violentus homo*, *cor vagum reddens*, id est, *metum injiciens*, periphrasis latronis."

17. מַשִּׂיגֵהוּ חֶרֶב בִּלִּי תָקוּם *Aggrediens eum gladius non consistet* scil. gladius, si quis gladium conetur in eum adigere, resistet ejus cutis durior. Verba בִּלִּי תָקוּם et ante alterum hemistichium subaudienda: *non subsistet* חֲנִית *hasta*, aut מַסָּע *telum*, vel ab arab. נשׁשׁ *confodit hasta*, vel i. q. arab. מִנְזָע *sagitta*, a נזע *attraxit arcum*, i. e. nervum ejus, uti fit ad jaculandum. Alii מַסָּע ita jungunt cum חֲנִית, ut hoc in regimine positum sit, et חֲנִית מַסָּע ad verbum notet *lanceam profectionis*, i. e. ejaculationis, hastam missilem, a נָסַע *proficisci*, et הַסִּיעַ *facere proficisci*, *transferre*, ut duo lanceārum genera fuerint, רֹמַח, quae manu tenebatur, altera vero, quae projiciebatur, et חֲנִית מַסָּע *hasta ejaculationis* dicebatur. Sic אֶבֶן מַסָּע *lapidem translationis*, qui e monte effodiebatur et e fodina transferebatur ad aedificandum, invenies appellari 1 Reg. 6, 7. Atque hoc tam Hieronymus, quam Graecus Alexandrinus sequuti videntur, qui posterius hujus Versus hemistichium verterunt, ille quidem *hastam et thoracem*, quasi חֲנִית מַסָּע sit unius teli nomen, non duorum nomina; hic vero δύρυ ἐπηρμένον καὶ θώρακα, quasi hastam dicas, quae attollatur et incitetur in hostem. Nec minor dissensus de nomine שִׁרְיָה, quod alii idem esse cum שִׁרְיוֹן et שִׁרְיָן, *lorica*, putant, alii vero pro teli genere habent, quia hic agatur de armis, quae oppugnant, non quae propugnant. Ita Bochartus, qui *spiculum* notare ait, ut arabicum סִרְיָה. Sed nihil obstat, quo minus שִׁרְיָה loricam notare possit, quod cum crocodilo pugnaturus, et eum aggressurus ea indutus esse debeat, sed quae tamen nihil ei sit profutura aut adversus eum constitura, quia ille protinus oppugnantem se perimet ac perdet. Ceterum quod noster inutiles adserius crocodilum gladios et tela dicit, confirmant quotquot de hoc animali scripsere. Sic Ammianus (adductus cum pluribus aliis a Bocharto p. 768.) *cutem ita validam crocodilum gerere* ait, *ut ejus terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur*, *et etiam acutissimum ferrum repercussum obtundant*.

Digitized by Google

18. נְחוּשָׁה — יַחְשֹׁב *Reputat pro stramine ferrum*, arma ferrea, *et pro ligno putredinis*, putrido, *aes*.

19. לֹא־יַבְרִיחֶנּוּ בֶּן קֶשֶׁת *Non fugabit eum filius arcus*, qui quibusdam est *sagittarius* ipse, praeeunte Hieronymo, aliis *sagitta*, quae et *filius pharetrae* Thren. 3, 13. Id haud dubie praeferendum. Ita *filius* et *filia vaginarum* pro *gladio*, ipsosque hos *filios arcus* concelebrant Arabes. Similiter Pindarus *diem παῖδα ἁλίου*, *filium solis*, vocitat, atque vicissim *ἀκτίνων πατέρα*, *acutorum radiorum patrem*. Item *ὕδατα ὄμβρια παίδας νεφέλης*, *aquas pluvias*, *filias nubis*. לְקַשׁ נֶהְפְּכוּ־לוֹ אַבְנֵי־קֶלַע *In stipulam vertuntur ei lapides fundae*, i. e. funda missi, quorum multus apud veteres usus fuit, vid. 1 Sam. 17, 39. Jud. 20, 16. 2 Paral. 26, 14. Lapides illi non plus ei quam stipula nocent, quia cutem habet contra omnes ictus invictam, uti Plinius ait *Hist. Nat.* L. 8. Cap. 25.

20. כְּקַשׁ נֶחְשְׁבוּ תוֹתַח *Instar stipulae reputantur fustis*, i. e. collective *fustes*. תּוֹתַח coll. arab. ותח *fuste percussit*, unde מיתחה *fustis*, hinc clavam denotat, qua caput contunditur. וְיִשְׂחַק לְרַעַשׁ כִּידוֹן *Et ridet ad strepitum lanceae*, quae ad ipsum percutiendum vibratur, sed frustra, quum illius cutem penetrare nequeat.

21. עֲלֵי־טִים — תַּחְתָּיו *Sub eo acumina testae*, *sternit rem acutam super lutum*. Describitur cubile belluae, quae ob cutis duritiem ita molliter super rupes praeacutas et incidentes, quae saepe sunt in mari aut fluminibus majoribus, velut super lutum resideat, ut in molli-strato homo jacet. Ita Coccejus: „corii durities tanta, ut acuta sternat subter se sine noxa, et scopulis pungentibus, aut secantibus instar tribulae, incumbat.“ Bochartus vero *tergus belluae testarum eminentiis* (quarum comparatione etiam Aelianus in eodem argumento usus est) *et tribulis* comparari putat, interpretationem hoc modo instituens: *Pro eo* s. *loco ejus* (ut תַּחַת supra 16, 4.) sunt *acumina testae*, i. e. frustra gladium et hastam, aut quodvis aliud telum in hoc animal intentaveris, nam *pro eo* nihil feries, quam *testarum eminentias*, i. e. squamas, tam forma, quam duritie testis similes, ut non jam animalis corpus, sed *tribulam* potius *in luto* jacere putes, cujus tergum, lapidibus et ferris exasperatum, quosvis ictus repercutiat. Quod quaesitum est, ac e longinquo petitum. Hieronymus: *sub ipso erunt radii solis*, *et sternet sibi aurum*, *quasi lutum*. Ei חֶרֶשׂ est idem quod חֶרֶס supra 9, 7. i. e. *sol*, item חַדּוּדֵי *acumina* pro *radiis acutis*, denique חָרוּץ *aurum*, ut Ps. 68, 14. Proverb. 3, 14. 8, 10. 19. Quam interpretationem haud dubie accepit Hieronymus a magistro suo Lyddensi, et eam ipsam inter suos propagatam tradit Jarchi, „in loco,“ inquiens, „mansionis ejus sunt splendores solis, nam squamae ejus, *sub ipso*, i. e. in ventre, splendent atque lucent, sicuti sol. חַדּוּדֵי

Digitized by Google

idem significat, quod חֶרֶב חַדָּה (Ps. 57, 5. Ezech. 5, 5.) *gladius acutus*, qui est politus et splendens, quare *splendores* hic חַדּוּדֵי vocantur. חָרֶשׂ h. l. idem quod חָרֶס supra 9, 7., et חַרְסָה Jud. 14, 18. (al. 19.), i. e. *sol.* In altero versiculi parte repetitur, quod in priori dictum erat verbis diversis, sed idem significantibus. יִרְפַּד חָרוּץ respondet dictioni חַדּוּדֵי חָרֶשׂ, et עָלַי־טִיט voci תַּחְתָּיו, i. e. in loco illo, quo Leviathan cubat, super arena, istud lutum, stratum ejus, splendet sicuti aurum, ut Cant. 3, 10. רְפִידָתוֹ זָהָב *stratum ejus aurum.* חָרוּץ est species auri, ut Prov. 3, 14. מֵחָרוּץ תְּבוּאָתָהּ *prae auro praestantissimo est proventus ejus*, et Prov. 8, 19. טוֹב פִּרְיִי מֵחָרוּץ *melior est fructus meus quam aurum praestantissimum.*" Sane utroque loco חָרוּץ respondet τῷ כֶּסֶף *argento;* nec sensus, qui ex Jarchii interpretatione prodit, est contemnendus.

22. יַרְתִּיחַ כַּסִּיר מְצוּלָה *Fervefacit tanquam ollam profundum*, agitatione sua bullire quasi facit, tanquam ollam aqua repletam ignique superpositam (coll. supra Vs. 12.), ingentem aquarum molem. מְצוּלָה non solum de *mari*, sed etiam de *Nilo amni* Zach. 10, 11., item de luto Ps. 69, 3. dicitur. Aquae superficiem rapido crocodili cursu veluti fervere atque aestuare, diserte dicit Bartramus apud Oedmannum (P. VI. p. 58.). יָם יָשִׂים כַּמֶּרְקָחָה *Mare ponit*, reddit, *sicut vas unguentarium.* Hieronymus: *quasi quum unguenta bulliunt*, ita omnia miscet sua jactatione et agitatione in mari, ut mixti unguenti speciem prae se ferat. Nec est praetereundum, quod Bochartus observat, poetam hac similitudine simul respicere odorem musci, qui crocodilo proprius est, et ex mediis aquis, ubi commoratur, diffunditur. *Vid. Hieroz.* T. III. p. 762. edit. Lips., et quae nos ex Abdollatipho et Hasselquisto addidimus not. 12.

23. אַחֲרָיו יָאִיר נָתִיב *Post se lucere facit semitam*, quia rapido suo cursu aquas commovens albicantes eas reddit, unde altero hemistichio dicit: יַחְשֹׁב תְּהוֹם לְשֵׂיבָה *Reputat* sc. aliquis, reputares *abyssum pro canitie*, dum sulcum a tergo ducens spumam albicantem excitat. Ita Homerus saepe πολιὴν ἅλα, et πολιὴν θάλασσαν, *canum salum, canum mare* dicit, id est, λευκὴν διὰ τὸν ἀφρὸν, *album propter spumam*, ut Scholiastes, a Bocharto citatus, explicat. Sic Apollonius, ubi de Argonautis remigantibus, I, 545. μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι, *longe semper albescebant viae.* Et Catullus in *Epithalamio Pelei: Tortaque remigio spumis incanduit unda.* Manilius *Astron.* I, *Ut freta canescunt, sulcum ducente carina.*

24. Prius hemistichium, אֵין עַל עָפָר מָשְׁלוֹ, vulgo vertunt: *non est in terra comparari ejus*, i. e. *simile ei*, quasi מָשְׁלוֹ sit item quod נִמְשַׁל *similis est;* sed מָשַׁל in prima specie, s. *Kal*, semper *dominandi* notionem obtinet, quae et h. l. aptum sensum fundit: *non est in terra τὸ dominare ejus*, i. e. nullum aliud

Digitized by Google

in terrarum orbe animal, tam late dominatur, nullum ei par est potentia. Eum sensum inter recentiores interpretes solus vidit Muntinghe, cui tamen videtur ignotum fuisse, מָשְׁלוֹ eadem significatione jam Salomonem Jarchium cepisse, etsi ceterum sensu paullo diverso: *nullum aliud animal in eum dominatur*, quod hebraice esset אֵין עַל עָפָר מֶמְשָׁל בּוֹ. Bene Hieronymus: *non est super terram potestas, quae ei comparetur.* Ceterum in describenda crocodili potentia iisdem fere verbis, qualibus noster, usus est rerum naturalium peritissimus Cepedius (La Cepede *Hist. Nat. des Ovipares*, T. I. p. 189. seq.). Locum integrum apposuit Muntinghe in not. versioni Schultensianae a se continuatae subjecta, p. 175. vers. teuton. הֶעָשׂוּי לִבְלִי־חַת Quippe *qui factus est defectu terroris*, s. sine terrore, i. e. ut recte Hieronymus: *ut neminem timeres.* עָשׂוּי Participium Paul, pro usitatiore עָשׂוּי (quod ipsum et in pluribus libris scriptis exstat), ut supra 15, 22. צָפוּי *prospectatus.*

25. אֶת־כָּל־גָּבֹהַּ יִרְאֶה *Omne altum videt*, velut sub se, ut solent elati inferiores se despicere, q. d. despicit quicquid aut in terra aut mari elatum est, prae se, quum cetera facile vincat, et inter omnia, quantumvis robusta et ferocia animalia, principatum obtineat, ut diserte altero hemistichio dicit: הוּא מֶלֶךְ עַל־כָּל־בְּנֵי־שָׁחַץ *ipse rex est super omnes filios ferociae.* De בְּנֵי־שַׁחַץ vid. not. supra ad 28, 8. Pro שָׁחַץ unus de Rossii codex a prima manu exhibet שַׁחַת *corruptionis*, quod forsan et Symmachus legit, quum βρώμοδους, *foetidi*, verterit. „Nullus codex," addit de Rossi, „שֶׁרֶץ *reptilia*, vel *aquatilia*, quod habent plerique veteres, ut LXX, Syrus, Chaldaeus, probantque ex recentioribus criticis Michaelis, Moldenhauerus, Dathius." Nos vero miramur, illud שֶׁרֶץ, sensum tam jejunum fundens, ulli umquam placere potuisse. Bene ceterum Jarchi sub hujus Versus finem addit: „quomodo ergo in animum tuum ausus es inducere, ut caput tuum coram me attolleres ad disceptandum contra me, qui haec tam admiranda (qualia sunt Behemoth et Leviathan) condidi?"

Digitized by Google

LIBRI CLAUSULA.

Cap. 42.

Jobus iterum se fatetur errasse, et culpae commissae veniam petit (1 — 6.). Qua impetrata etiam pro sociis, quorum sermones Deus improbat, intercedit (7 — 9.), et sic Deo reconciliatus pristinam felicitatem recuperat, et longaevus moritur (10 — 16.).

Cap. 42, 2. יָדַעְתָּ כִּי־כֹל תּוּכָל *Novi, quod omnia possis.* Alii כֹּל faciunt infinitum a יָכֹל *potuit*, ut sit geminatio verborum usitata: *scio quod valendo vales*, eodem sensu, id est, scio te valentissimum esse, robore et potentia pollere quam maxime. Ita Jer. 42, 10. שׁוֹב תֵּשְׁבוּ *habitando habitabitis.* Malim tamen כֹּל *omnia.* In textu יְדַעְתָּ defective scriptum est, ut Ps. 140, 13. (coll. עֲשִׂיתָ Ezech. 16, 19.), pro יְדַעְתִּי, quod ipsum in pluribus libris et scriptis et editis exstat. Sed quod in textu est, potius יְדַעְתָּ (Dan. 4, 6.) more Aramaeo videtur efferendum. וְלֹא־יִבָּצֵר מִמְּךָ מְזִמָּה *Nec prohibetur a te cogitatio.* Sunt qui exponant: et quod te nullae hominum cogitationes lateant, qui abstrusissima *quaeque* mentium penetralia scruteris. Ita Hieronymus: *et nulla te latet cogitatio.* Verum videtur sensus potius hic esse: nihil, quod Deus cogitet, conetur et moliatur, ei denegatum esse et impossibile (ut hoc posterius hemistichium ad declarationem prioris subjungatur); parem in eo esse facultatem, non sicut in hominibus, qui multa velint, quae non possint. Sic Alexandrinus: ἀδυνατεῖ δὲ σοὶ οὐδέν. מְזִמָּה h. l. in bonam partem sumitur, ut Prov. 1, 4. 2, 11., ubi cum דַּעַת, חָכְמָה et תְּבוּנָה jungitur. Hisce verbis se victum simul et convictum Jobus fatetur, agnoscens, quum tanta Dei potentia ac sapientia in omnibus rebus conditis appareat, nihil plane ab eo fieri absque ratione, unde sponte consequitur, sapientiae divinae consiliis, quantumvis impervestigabilibus, summa cum animi demissione et reverentia hominem acquiescere debere; nec esse, quod quis de sapientissimi Numinis factis queri debeat aut obmurmurare, sed esse placide et aequo animo suscipienda, quaecunque ille facit aut decernit, etsi eorum rationem non perspiciamus.

3. מִי זֶה מַעְלִים עֵצָה בְּלִי־דָעַת *Quis est iste, qui celat consilium absque scientia?* „Excidit hic בְּמִלִּין, nam manifesta est repetitio divinorum verborum supra 38, 2., ut et Vs. quartus;

Digitized by Google

quod cum minus adverterint Interpretes, ob leviculum discrimen utriusque loci in varia se scindunt. Sunt, qui de Deo exponant, quibus se comitem addit Schultensius, sic sententiam interpretatus: *Quis hic obsignans consilium, quod nosci nequit?* Bonus est sensus. *Sigillum* in S. Scriptura, praesertim apud Prophetas, notat tectum illud et impervium, quo Deus sua decreta et consilia a mortalium obtutibus removet et absondit; quod sigillum integrum remanet, usquedum ea ipse Deus exsequenda aperiat, ut videre est passim in Apocalypsi Joannis. Sic Jobus divinam scientiam sibi imperviam fatebitur. Obscurant divina consilia homines, dum ea se divinare posse confidentes, propriique ingenii acie penetrare, aliis eadem pandere satagunt, aut ex inventis a se hypothesibus explicare. Obsignat eadem Deus, non revelando, quippe suapte natura tam alte demersa, ut ingenii humani vis omnis iis perscrutandis impar sit. Magis tamen naturale videtur, verba ipsissima esse Capitis 38., quae per mimesin repetita sibi applicat Jobus, q. d. ille ego sum, de quo dixisti: *quis est*, qui obtenebrat *consilium sermonibus imperitis?* מַעְלִים synonymum est עֵצָה מַחְשִׁיךְ, atque idem valet. Ut nimis argutum sit, leve vocum discrimen captare, ad diversam sententiam exsculpendam. Quod enim obscuratur, idem et absconditur. Nimis jam clarum, quod monuimus, nostro loco vocem מַחְשִׁיךְ a priori repetendam, aut excidisse, aut subaudiri." BOUILLIER. מַעְלִים additum legitur in quodam Kennicotti codice, idemque expressit Syrus. „Pro מַעְלִים Kennic. 248. מַחְשִׁיךְ *obtenebrans*, ut 38, 2. Ita forte per *Sin* (מַחְשִׁיךְ), *cohibens*, LXX, qui vertunt φειδόμενος, *parcens verbis*. Syrus utrobique videtur legisse מַחְשִׁיב *cogitans*." DE ROSSI. Mira suavitas, ait ILGEN (*Jobi Natura atque Virtutt.* p. 200.), in Jobi responsione. „Verba eadem adhibet, quae Jova 38, 2., ut ea quasi cum suspirio repetere videatur: *Ach wohl! wer war es (wie Du sagtest), der von den grossen Absichten urtheilen wollte, und ohne Kenntniss sie verdunkelte?*" לָכֵן הִגַּדְתִּי וְלֹא אָבִין *Igitur indicavi*, exposui, enunciavi, *nec intelligebam*, i. e. talia protuli, quae non satis intelligebam, quum de tuis judiciis quererer, et te dicerem ex aequo bonos et malos affligere, et ejusmodi multa, ingravescente vi doloris. נִפְלָאוֹת מִמֶּנִּי *Mirabiliora me*, i. e. quae magis erant admiranda, quam ut ea possem assequi, quae meum captum et ingenii mei facultatem superabant, proferre et disputare ausus sum, וְלֹא אֵדָע *nec sciebam*, quum tamen illa non caperem, sed quae jam, plenius a te edoctus, ex arcanis tuis consiliis pendere agnosco.

4. שְׁמַע־נָא וְאָנֹכִי אֲדַבֵּר אֶשְׁאָלְךָ וְהוֹדִיעֵנִי *Audi, quaeso, et ego loquar, rogabo te, et notum mihi fac*, quod te rogabo. Sunt qui haec Dei verba esse putant, supra 38, 3. וְאֶשְׁאָלְךָ וְהוֹדִיעֵנִי, ad Jobum directa, quae is hic repetat. Ita et Bouillier: „Eadem, qua Vs. 3., mimesi, dicta sibi a Deo verbatim repetit, irrisionemque ac reprehensionem sui justissimam continere, ultro fatetur." Sed

Digitized by Google

hoc friget. Malo cum aliis ipsius Jobi verba esse, se jam totum Deo submittentis, et ei sese docendum tradentis, non sicut antea, quando cum illo disputare posulabat, quum diceret (supra 13, 22.): *audi, et ego loquar, vel loquere, et ego respondebo.* Sed nunc summa cum demissione se quicquam scire non posse profitetur, nisi ab eo edoctus fuerit. Sine, te rogem posthac, quae mea interierit cognoscere, ut a te edoctus ea sciam, qui me tuae disciplinae plane submitto.

5. לְשֵׁמַע אֹזֶן שְׁמַעְתִּיךָ *Ad auditum auris audieram te,* auditu tantum rumorem tui nominis et potentiae admirandae perceperam, וְעַתָּה עֵינִי רָאָתְךָ *nunc autem oculus meus vidit te,* non quod Dei majestatem videre vivens quisquam possit *(non videbit me homo et vivet,* Exod. 33, 20.), sed oculum mentis intellige: ut certiora sunt, quae vidimus, quam quae audimus, ita Jobus dicit se longe exactius et perfectius Dei potentiam nosse, quam antehac, quum antea de fama duntaxat et auditu intellexisset Dei potentiam, nunc vero ab ipsomet Deo et ejus ipsius loquentis sermone edoctus eam accuratius cognoverit.

6. עַל־כֵּן אֶמְאַס *Propterea aversor* seil. בְּדְבָרַי רִאשׁוֹנִים *verba mea priora,* ut bene Aben-Esra; quicquid antea in te sum temere loquutus et imperite. Hieronymus: *ipse me reprehendo.* וְנִחַמְתִּי עַל־עָפָר וָאֵפֶר *et poenitentiam ago super pulvere et cinere* sedens, cf. Jes. 58, 5. Jon. 3, 6. Dan. 9, 3. Significat ergo Jobus, se ex animo poenitere, quod talia temere in Deum effudisset, quibus ejus gloria et potentia occultaretur et obscuraretur. Desinit hic metrica libri interstinctio, quae supra 3, 3. inceperat.

7. Ratio irae divinae in tresviros dicitur haec: כִּי לֹא דִבַּרְתֶּם אֵלַי נְכוֹנָה כְּעַבְדִּי אִיּוֹב *Quoniam non estis loquuti ad me,* s. coram me, *rectum sicut servus meus Jobus.* Quod esse comparative intelligendum, res ipsa docet. Nam et Jobus et ejus adversarii peccarant. Ille quidem, quod immodice suam integritatem defendens inconsultas passim et audaciores querelas effuderat, quibus justissimum numen injustitiae insimulare videretur. Ab adversariis autem in eo peccatum est, quod de Providentiae rationibus, et agendi modo circa bonos et pios male judicarint, putantes et asserentes, Deum non nisi injustos affligere et sceleratos, itaque afflictiones, praesertim tam atroces Jobi, apertissima et evidentissima esse ejus scelerum et improbitatis signa, adeo ut injustum fore Numen judicarent, si Jobus culpa immunis tam infanda pateretur, quodque maluerint exploratissimae amici innocentiae notam inurere, quam consilia Providentiae sibi abscondita fateri, eamque taciti adorare. „Hic objicies: si Jobus eadem inconsiderati sermonis, cum tribus adversariis, culpa involvitur; quare ii soli gravantur divina sententia? Sed responsio est in promptu. Haudquaquam nimirum par fuit ratio Jobi, atque adversariorum, nec aequaliter ab hoc et ab illis peccatum dixeris. Jobus, intemeratae sibi inno-

Digitized by Google

centiae conscius, ex doloris vehementia, in voces non satis cum debita Deo reverentia et animi demissione congruentes, eruperat; quod venia dignum judicat benignissimus Deus, post objurgatum merito tamen, ex gratia, Jobum. At Triumviri, cum eos nihil ad ejusmodi saevitiam stimularet, et contrarium potius omnia suaderent, provocante in id nemine, nullo indicio permoti, miserum Jobum insectantur, et contumeliosis auspicionibus, quid suspiciones loquor? imo apertis criminationibus onerant, de Dei interim erga eum providentia ea cogitantes, quae a vero erant alienissima. Aequum igitur fuit, ut innocentia Jobi patefieret, simulque divinum, in eo tot plagis vexando, consilium; et quod consequens erat, ut accusatores in reorum vicissim ordinem transditi, inconsulti judicii, calumniae, immanitatis damnarentur; ut justo illi pudore suffunderentur, nec nisi supplicante pro iis Jobo, cum Deo demum in gratiam redirent." Haec optime Bouillier (*Observatt.* p. 414.), cui tamen non possum in eo assentiri, quod in dictione כַּעַבְדִּי particulam praefixam Caph non vult similitudinem notare, sed tantum relationem ad eam rem, cui praefigitur, ut vertendum sit: *non loquuti estis de me recta aut convenientia, ad negotium servi mei quod attinet.* Quam vim tamen Caph nusquam in V. T. habet, nec idoneo testimonio probare potuit Bouillier; nam loci Jes. 58, 4. לֹא־תְצוֹמוּן כַּיּוֹם *non jejunatis secundum diem hunc*, i. e. ut eo jejunari oportebat, plane diversa est ratio. Nimis horum verborum sensum restringit Aben-Esra, dum quod dicit Deus triumviros non aeque rectum, ac Jobum, loquutos esse, ad solam vult culpae confessionem pertinere, quam illi non aeque, ac Jobus, fecissent. Sunt, qui אֵלַי sumant pro עָלַי, et exponant: *de me non recte estis loquuti;* sed malo ut sonat *ad me*, quod haec tota disputatio velut praesente Deo agitaretur, et ad illum tam Jobus, quam socii verba facerent, et coram eo, tanquam arbitro et indice totius controversiae, unde et Alexandrinus et Hieronymus ἐνώπιόν μου, *coram me*, verterunt. „Dum tresviros illos, lata sententia, condemnatos audimus, de Elihuo interim altum silentium est. Causam requirunt interpretes, nec facile inveniunt; aliis atrum, alii vero album huic silentio calculum subesse volentibus. Potius ego sic reliquorum damnatione exemtum crediderim. Longe enim, a Triumvirorum, ejus sententia discrepat; cum et moderatius, et meliori animo, et verioribus principiis nixus, in Jobum insurrexerit; nimiam ejus audaciam, impatientiam, propriaeque innocentiae fiduciam, quasi nullius culpae labe adspergeretur, redarguere contentus, et consciam virtutem ultra modum efferentem, sese retundere. Diserto encomio juvenem ornari, necesse non fuit, cujus dicta sua se veritate satis approbant. Porro si cogitas, ejus causam a ceterorum causa sejunctam esse, et orationem talem, ut ei Jobus ipse nihil reponendo, acquievisse videatur; hoc, inquam, posito, quod sententiae in ceteros latae non involvitur, satis indicat, Dei suffragium tulisse. Denique spectandus hic tantum re-

Digitized by Google

stabat integritatis Jobeae, assertore Deo, meritissimus triumphus.“ Bouillier.

8. שִׁבְעָה־פָרִים וְשִׁבְעָה אֵילִים *Septenos tauros et totidem arietes* in holocausta offerre jubentur, sicut et in lege Mosaica pro peccatis holocausta offerri praescribuntur, idque numero septenario, vid. Lev. 23, 18. Num. 23, 1. 21. 29, 32. 2 Par. 15, 26. וְהַעֲלִיתֶם עוֹלָה בַּעַדְכֶם *Et offeretis holocaustum pro vobis* scil. per ipsum, quod arguit, quod praecessit וְלֵכוּ אֶל־עַבְדִּי אִיּוֹב *et ite ad servum meum Jobum*, et quod subjicitur, יִתְפַּלֵּל עֲלֵיכֶם *orabit pro vobis*, ut vestra vobis culpa remittatur. Ipse enim vobis erit sacerdotis loco, quia nullum sacrificium sine sacerdote fiebat. Vide, quantus jam honor Joho habeatur, qui sacerdos eligatur a Deo ad expiandum et sacrificium offerendum pro sociis. Item observa, ter hoc versiculo Deum eum appellare *servum suum*, non sine insigni favore, et amicitiae atque reconciliationis nota et signo. כִּי־אִם exponunt simpliciter, *nam*, *quia*, ut אִם redundet, ut Prov. 2, 3. Verum est adversative capiendum, *sed*, tacita antithesi, quasi dicat: *neque enim vos*, *sed* פָּנָיו אֶשָּׂא *faciem ejus suscipiam*, ejus ratione habita, ut Gen. 19, 21. 32, 21. Deut. 28, 50., לְבִלְתִּי עֲשׂוֹת *ad non faciendum*, quo minus agam *vobiscum* secundum a vobis commissam *stultitiam*, sicut stultitia vestra meretur. נְבָלָה concise positum pro בְּנִבְלָה אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם בִּי *secundum stultitiam*, *quam contra me fecistis*, coll. Jud. 20, 10. לַעֲשׂוֹת כְּכֹל־חִנְּבָלָה אֲשֶׁר עָשָׂת בְּיִשְׂרָאֵל Hieronymus: *ut non vobis imputetur stultitia.* Alii נְבָלָה h. l. putant metonymice *stultitiae poena* sumendum, sicut עָוֹן et חַטָּאת pari ratione passim adhibentur, e. c. Mich. 6, 6. Zach. 14, 19. Ps. 31, 11. 32, 5. 49, 6. Reimarus vertit: *propterea quod non fecit* scil. Jobus *aeque ac vos stultitiam*; sed לְבִלְתִּי omnino est *quo minus* vertendum, ut Levit. 18, 30. Jerem. 17, 23. 24. coll. simili constructione Gen. 19, 21. נָשָׂאתִי פָנֶיךָ לְבִלְתִּי הָפְכִּי אֶת־הָעִיר *tui rationem habui*, *quo minus urbem subverterem.*

9. Ante צֹפַר subaudienda copula ו, quae et alias inter tria nomina secundo tantum praeponitur, ut Deut. 29, 22. Ps. 45, 9. וַיִּשָּׂא יְהוָה אֶת־פְּנֵי אִיּוֹב *Suscepitque Jova faciem Jobi*, i. e. ejus preces exaudiit, ei gratificatus pro sociis oranti.

10. וַיהוָה שָׁב אֶת־שְׁבוּת אִיּוֹב *Et Jova reduxit captivitatem Jobi. Captivitatis* figuram quidam eo volunt pertinere, quod Jobus in manum Satanae quasi traditus fuisset, atque sub malis plagisque ab eo immissis constrictus teneretur, donec eum Deus solvisset, atque in integrum restituisset. Alii ad greges ovium, boum armenta, a Sabaeis et Chaldaeis abacta (1, 15. 17.), referunt, quae, Deo procurante, omnia sint domino suo restituta. Sed recte monuit Schultens, *reducta abductione* s. *captivitate* h. l. nihil aliud significari, quam *instaurationem fortunarum collapsarum*, cf. Jerem. 30, 18. Ps. 14, 7. 85, 2. Apocal. 13, 10.

Digitized by Google

„Formula videtur proverbialis, qua mutatio fortunae indicatur, et metaphora sumta a rebus praeda abductis, quoniam hujusmodi latrocinia inter populos nomadicos saepe accidebant. Convenit formula, quam Latini usurpant e re nautica petita, *colligere naufragium*, qua etiam reparatio magnae calamitatis aut malorum illatorum indicatur. CICERO in *Orat. pro Sextio* Cap. 4. *Sed necesse est — — me totum superioris anni reipubl. naufragio exponere; in quo colligendo, et reficienda salute communi omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, consilia versata.* Hinc non solum bonorum direptorum compensationem sub illa formula intelligendum putem, sed etiam pristinae valetudinis restitutionem ex morbo lethali, omnino rerum, quae antea Jobi prosperitatem constituerant.“ DATHE, בְּהִתְפַּלְלוֹ *Postquam orasset*, ut Gen. 30, 18. בְּבֹאוֹ *postquam venisset ex Paddan Aram*; Exod. 3, 12. בְּהוֹצִיאֲךָ *postquam eduxeris populum hunc ex Aegypto*, cf. Esth. 2, 7. Jos. 5, 4. בְּעַד רֵעֵהוּ *Pro socio suo*, i. e. pro unoquoque ex sociis, singulare partitivum pro plurali. In eo autem, quod pro iis orarit, a quibus tot convitiis proscissus fuerat, novum specimen consummatissimae virtutis praebuit.

11. לְפָנִים *Antea*, ut Deut. 2, 10. Nehem. 13, 5. priusquam super eum afflictiones venissent. וַיֹּאכְלוּ עִמּוֹ לֶחֶם *Et comederunt cum eo panem*, i. e. epulati cum eo sunt, in signum laetitiae et congratulationis. וַיָּנֻדוּ לוֹ *Ac condoluerunt ei*, ejus vicem sibi doluisse ostenderunt, et totam superiorem fortunam. De קְשִׂיטָה quod, an *numum* significet, aut *vas pretiosum*, aut aliud quicquam, incertum, vid. not. ad Gen. 33, 19. et qui ibi laudati sunt, quibus adde MICHAELIS *Supplemm.* p. 2207. sqq. נֶזֶם זָהָב *Monile aureum*, ornamenti genus, quod vel etiam de naribus suspendebatur, cf. not. ad Gen. 24, 22. Ceterum haec sunt congratulantium, et amicitiam recolentium donaria, ut saepe divitibus et amicis munera dari solent, non tam ad ditandum, quam ad eos demerendos.

12. Declaratio ejus, quod supra Vs. 10. dixerat, in omnibus rebus suis Jobum duplo auctum fuisse a Deo: pro septem millibus ovium, quae ante habuerat (supra 1, 3.), habet nunc quatuordecim, pro tribus millibus camelorum nunc sex millia, pro quingentis boum jugis et asinabus nunc mille.

13. שִׁבְעָנָה *Septem*, cum Nun epenthetico, ut Hos. 10, 6. בָּשְׁנָה pro בּוּשָׁה *pudor*. Jarchi *bis septem*, sive *quatuordecim*, quod et Chaldaeus interpres expressit, significari putat, quasi idem sit, quod dualis שִׁבְעַיִם Levit. 12, 5.

14. תְּאַחַת *Unius*, i. e. primae; cardinalis numerus pro ordinali, ut Exod. 1, 15. Ruth. 1, 4., etiam in masculino genere Gen. 1, 5. 2, 11. Recte Jarchi observat, nomina filiorum Jobi pulchritudinem earum significare. Et יְמִימָה quidem a יָמִים *dies* denotare volunt *diurnam*, quod pulchra esset et clara ac splendida formae elegantia, ut dies, *belle comme le jour*, ut Gallice dicitur.

Digitized by Google

Convenit nomen *Dianae*, quam a *die* appellatam esse, arguit, quod Hesychius diserte dicit: Ἡμέρα, Ἀρτέμιδος ἐπίθετον. Verisimilius alii יְמִימָה i. q. arabicum يمامة *columba* esse putant. קְצִיעָה *Casia* ab aromate ejusdem nominis appellata est, *quod pretiosa esset instar casiae* (ut Chaldaeus explicat) scil. odoratae, quam videntur veteres in magno pretio habuisse, hinc et inter alia aromata, quibus ornata et suffita dicitur sponsa regia Ps. 45, 9. *casiae* fit mentio. Tertia nomen nacta est קֶרֶן הַפּוּךְ *cornu stibii*, a praestantia itidem formae, quod naturali sua forma aeque venusta esset et ornata, ac eae mulieres, quae stibio oculos fucant (vid. 2 Reg. 9, 30.). פּוּךְ est stibium, quod pro collyrio feminae aqua dilutum oculis immittunt, ut dilatentur pulchrioresque fiant, eodemque aliis admixtis, supercilia pingunt, Arabibus اَلْكُحْل *Al-cohhol.* Vid. SHAW *Itinerar.* p. 220., et RUSSEL *Hist. Nat. urbis Aleppensis* P. I. p. 136. seqq. vers. teut. קֶרֶן *Cornu*, h. l. videtur *vas corneum* notare, quo servari solebat stibium, quo *abundantia* illius ornamenti significetur, quasi perinde speciosa fuerit, ac si abunde e cornu stibium ad se decorandam *sumsisset.* Alexandrinus κέρας ἀμαλθείας, *cornu copiae*, vertit, quod nomen ex fabulis Graecorum depromptum. Plura de hac interpretatione vid. in SPANHEMII *Histor. Jobi* Cap. 15. §. 13. seqq. p. 353. edit. Serpil.

15. Verbum masculinum singulare נִמְצָא junctum est nomini feminino plurali נָשִׁים יְפוֹת, ubi sensus habetur ratio, quasi diceret וְלֹא נִמְצָא דָּבָר מֵעֲשֵׂה vel *nec repertum est tale quippiam*, quod sequitur. Ita Gen. 1, 14. יְהִי מְאוֹרוֹת. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 720. וַיִּתֵּן לָהֶם אֲבִיהֶם נַחֲלָה בְּתוֹךְ אֶחֵיהֶם *Deditque eis pater earum hereditatem in medio fratrum suarum.* Suffixa masculina vel sunt *communia*, ut filii simul comprehendantur, veluti Exod. 1, 21. Ruth. 1, 13., vel ם est pro ן, ut versa vice מִלִּין pro מִלִּים saepe in hoc libro. Quod autem filiabus aequalis sortitio cum fratribus erat, ex Arabum more fiebat, quem sanxit Mohammedes *Corani Sur.* 4, 11. Hebraeorum jure, ubi esset mascula proles, jus successionis ad solos filios restrictum fuisse, colligitur ex Num. 27, 8. Cf. JAHN *Bibl. Archaeologie* P. I. Vol. II. p. 291.

16. Plura hic addita leguntur in Graeca Alexandrina versione, de quibus vid. SPANHEMII *Histor. Jobi*, Cap. 5. §. 6—10. p. 107. sqq. edit. Serpil., et J. D. MICHAELIS *Einleitung in die göttlichen Schriften des alten Bundes* p. 15. sqq.

Digitized by Google

Digitized by Google

32101 063698011

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google